DIDYMI HERMANNOVILLANI

DISQVISITIONES VBIQVISTICÆ.

SIVE

DE CHRISTO

Contra VBIQVISTAS, aliosq; PRÆDICANTES à CHRISTI Ecclesiâ, & CHRISTO, quà doctrinæ, quà vitæ studiis, longè exerrantes.

CVM IRENICA

AD EOSDEM PRÆDICANTES

PARÆNESI.

Ex libris PP. Camald. Ertarũ ppe Varsaviã

~~Ex libris Michaelis [illegible]~~

Superiorum permissu

VILNÆ

Typis Academicis Anno MDCXLIV.

VNIVERSO PRÆDICANTUM POPULO.

Præsertim veró

SUPERINTENDENTIBUS, PASTORIBUS, Diaconis, & omnibus, Dominorum in Religione Diſſidentium, per Pruſſiam, reliquaſq; Ampliſſ. Polon. & M. D. L. Provincias, Conſcriptis, Patratis, vel adlectis Patribus.

χαίρειν τε, καὶ εὐπράττειν.

QUod felix, fauſtumq; ſit, PP. CC! Quod Chriſtianæ rei vniverſę, Ampliſſimo Polon. Regno, & Nobis juxta ac Vobis omnibus, Superi benè vertant! Pacis ad vos Nuncius, inter alios, ego quoq; omnium minimus, hoc tempore adſum. Simul enim, atq; piiſſimi, longeq. Ampliſſimi, per Reg. Pol. & M. D. L. Sacrorum Antiſtites, pro ſua in Vos, quantumcunq; adverſarios, ne dicam hoſtes, pietate; adnitente etiam, & pro incredibili Sapientiâ, Prudentiâ, Gravitateq; ſuâ, accurante PACIFICO NOSTRO SALOMONE, Jnvictiſſimo Rege VLADISLAO. IV. proximâ apud Varſaviam Synodo, Chriſtianæ Reconciliationis negotium aggreſſi, Synodicâ vos Epiſtolâ (quam deinceps Humaniſſimæ, Chriſtianiſſimæq; ad Vos itidem, ipſius VLADISLAI MAGNI literæ ſecutæ ſunt) ad Pacem & Concordiam invitavêre: quid ego, ad nuntium ita lætum, agerem aliud? quàm cum Rege, Regumq; maximo vate, exclamarem, Pſ. 122. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; in Domum Domini ibimus?* Ibimus, inquam, ibimus in Domum Domini; quando poſitis, DEo benè propitio, ſive odiis, ſive partium ſtudiis, Catholicæ-

tholicæ intuiti lucem veritatis, æquis tādem animorum passibus, Magnam illam Sanctæ in terris CHRISTI Ecclesiæ Domum, unà petemus omnes; qui Varium, diversumq; hactenus iter, pro tantâ gliscentium in Orbe Christiano sectarum varietate, dudum tenebamus. Et, quid ni ita exclamarem? qui oculis quasi coram intueri mihi jam videor, quod eadem illâ Ode, idem nobis Rex ac vates præcinit. *Ierusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum!* Quo enim alio CHRISTI Ecclesiam, quàm Jerosolymæ nomine ille appellaret? quę, ut *Vera Pacis Visio* esset, & olim semper, & nunc iterum *Ædificatur ut Civitas*: ut ita omnium nostrûm, tandem aliquando sit *Participatio in idipsum*: Vel, juxta Pagnini versionem, *jungatur sibi simul*; vel, juxta Tremellij vestri Notas, *planè coagmentetur in se pariter: ne, ut ante, structurâ oppidorum, religione, & administratione differat &c.* Quocirca, (libet enim PP. CC. etiam ad Buchanani vestri lyram, ingeminare tam lętam, tam divinam oden:)

O lux candida, lux mihi
Læti conscia nuncij! &c
Quâ visam Solymæ edita
Cælo culmina, & ædium
Moles nobilium, & suo
Augustā populo Vrbem!

Quid Vos interim, PP. CÇ? Si quid orando, obtestandoq; extorqueri à Vobis potest, *Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem!* Rogate inquam: vel potius, etiam Tremell. vestro interprete, *Expeditę pacem Ieruschalaimorum, dicentes, Tranquilli sint amantes tui.* Nam & ego, eodem interprete, *Eloquor nunc, Pax sit in Te*; &, cum Pagnino, *sit Pax in antemurali tuo, tranquillitas in palatiis tuis*: deniq;, & cum Vulgato

noſtro, *Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis*. Quæ dum ego vota concipio, non pauci Veſtrûm, ita hoc loco videntur occinere. Tu verò, cum Diſqq. iſtis tuis, videris, quod Poeta ait, *Pacem orare manu, præfigere puppibus arma*! vel, quod Nazianz. *Alterâ manu panem, lapidem alterâ præferre*; vel deniq; ad veterum morem, *Arietem per fecialem immittere*! Nam, & veſtris illis apud Torunium, cùm ſcripto nuper edito, Magiſtratum ſuum, ab iſto cum Catholicis fraterno prorſum congreſſu, avellere niterentur; non ſatis erat, Venturis à noſtrâ parte Theologis, *Currus, & Equos, & Equitantes, & famulitiorum greges*, illiberali ſanè dicacitate objectare; niſi Didymo quoq; ſupercilium, propè Prædicanticum, affricarent. Ego verò PP. CC. (ita propitios habeam Superos!) nihil malim, quàm vobiſcum Pacem. Quâ etiam de cauſâ magnam belli hujus partem, ipſe ultro præcidi. Cum enim BRENTIANA atq; BULLINGERIANA Vbiquitate expeditâ, de CADMÆA inſuper agendum, demonſtrandumq; adeò Chriſtiano Orbi eſſet, ſapientiam, pietatem, religionemq; propè omnem veſtram, in unâ rixandi, litigandi, &, per mutua populi Chriſtiani vulnera, ludendi libidine ſitam eſſe; lubens ac volens, in ipſo dimicationis æſtu, ex parte receptui cecini, & tertium hunc militiæ meæ cuneum, intra caſtra ſtationeſq. totum eſſe juſſi. Quanquam, & ipſam *Brentianam, ac Bullingerianam Vbiquitatem*, non omni ſum campo perſecutus: quippe, qui *SINE IRA, ET ODIO, quorum cauſas*, cum Tacito Annal. 1. *procul habeo*, vel inuitus, certamen hoc

initio

initiò susceperim. Vobis enim classicum canentibus, & nostra infestis signis inuadentibus, *Pro aris & focis* pugnaturus occurri; &, non jam ad vestri ruinam, sed ad meam, meorumq; salutem, arma ex adverso etiamnum ostento: *defensivo*, ut ajunt, magis quàm *offensivo* bello Vbiq; congressurus. Ac videte, quæso, Disquisitionum mearum ordines! Omnes exercitibus vestris, dudum in nos sævientibus, ex adverso stant. Si DISQ. I. II. III. Statum, conditionem, & precipua Vbiquistarum mysteria evolvo; cogunt me, tot & tanta Vestrûm volumina, cùm alibi, tum Regiomonti quoq;, ad plebem sparsa. Quorum pauca de multis, mihi quoq; non oscitanter lecta, & hic suo loco quædam citata. Si item IV. V. & sequentibus deinceps quindenis Disqq. plerasq; Vbiquistarum nænias, strophas, & artes in apricum produco, jacta in nos, jugulosq; nostros à vobis tela averto. Quam ob rem, preter ea, quæ è *Form. Concordiæ, Institutionibus Dieterici, Compendio loc: Leon. Hutteri, Synopsi germ. Danielis Michaelis, & Disp. IV. Antibellarm. Ioan. Himmelij; Thesibus item Smidelini, aliisq; Brentij, Gerlachij*, & id genus libris, passim libata sunt; paullò accuratius vocavi ad libram, Tum *Ioan. Behmij* geminam *De Perichoresi duarum in Christo naturarum* Dissertationem, Regiomonti Anno 1630. editam: Tum *Cœlestini Mislentæ* plerasq; Collegij Prutenici Disputationes: uti *IV De Persona Christi: V. de officio Christi; VI. de statibus Exinanitionis &c.* nec non, & *Dissertationem, de Christo Mediatore*, Anno 1635, ab eodem cusam. Tum deniq; & illud *Anni* 1617. *no-*

 mine

mine totius Ministerij Regiomontani, ad Principis sui Confessionem Responsum; & illam Anni 1641, ad Quæstionem, *Quid de Calviniano in Prussiâ Prædicante censendum?* Declarationem. Si DISQ. XXI. de Vbiquistarum, aliorumq; in S.R. I. Acatholicorum, juribus dissero, non modò strophas Calovij, hic n. 431 443. 456. detectas, reijcio; sed & vim, & injuriam singularem, Catholicis omnibus, tum à *Christiano* Ohm/ *Publico apud Regiomont. Iuris Professore, atq; Academiæ Rectore*; tum à *Matthæo Lungwitio Prædicante, Laureæ Sveticæ authore* factam, necessario retundo. Et illi quidem, nõnulla n. 445. hîc reposita cùm sint, superest, ut istius quoq; intemperiæ, vel extra ordinem hic producantur. Vix est pagina, quin Catholicos, acerrimè, ac prorsus Prædicanticè insectetur; tamen pag. 125. ita suos dundaxat S. R. J. membra, & proinde à Gustavo Adolpho Sveciæ Rege, necessariò defendendos fuisse asserit, ut propè Catholicos è S. R. I. exterminatum eat. *Citra omnem dubitationem*, inquit, *universis constat, Sanctum, & quod solum salvare potest, DEI Verbum, verumq; Sacramentorum usum, & veros Christianos, qui CHRISTO Salvatori, in DEI Verbo & fide. Vera conjuncti sunt, primæ ac præcipua S. R. I. membra, portionemq; in conspectu DEi esse. Hiscè in omni bello, per Germaniam gesto, sincere Gustavus Rex obligatus atq; obstrictus, ne sanguini quidem Regio, aut vitæ pepercit.* Illud duntaxat abest, ut, quod toto volumine facit, hic verbo asserat, Catholicos (uti minus sincera, aut vera S. R. I. membra) ferro & flamma expurgandos inde esse. Si quas Catholici; in dies

horasq;

horasq; singulas patimur, subinde iniurias memoro, facit id, justus animi dolor ac vulnera: quæ, ut sopiri per se, ac sanari etiam possent, perpetuis refricantur Prędicantûm criminationibus atq; maledictis: ut mirum non sit, sicubi fortasse ipsa se styli acies nonnihil exerat, quæ vel Mislentæ, aliorumq; intemperiis non potest non exacui. Qua se tamen offensúm, nemo jure queri poterit, nisi qui offensę causam dederit. Cui ego in antecessum, eâ, quâ vel vniversus Prędicantum Senatus Ser. Electori ac Principi suo; vel Mislenta S. R. M. & Principibus Proceribusq; Catholicis, provocatione occurro. *Solenniter in conspectu DEI* (inquit Ministeriũ Regiom. in suo An. 1617. Resp. pag. A. 3.) *& universæ Christi Ecclesiæ protestamur: nos &c. &c.* At vero Mislenta pag. T. 4. Manual. *Vbi solenniter protestor, me ex numero, ac censu hominum ejusmodi excipere &c. &c.*

Deniq; si DISQ. XXX. cum Bullinger. Vbiquitate, profligatissimos fratrum vestrorum, Populiq; vestri mores, in scenam produco, illum sequor, cui Ezceh 43. v. 10. imperatum divinitus fuit, *Ostendere domui Israël Templum, ut confunderentur ab iniquitatibus suis, & metirentur fabricam, & erubescerent ex omnibus quæ fecerunt.* Jactant illi Vestri sese, nova quadem Ecclesiâ, quasi Templo ac Domo DEi: videant proinde, & quasi coram spectent, illa Templi Ecclesiæq; suæ ornamenta ac decora: desinantq; porrò Ecclesiæ Christi, ac morbis vulneribusq; nostris, more suo, insultare. Sentimus equidem nos: adeoq; *cum Hosio Ep: 10 Bellarmino de Gemitu Columb.*

lumba, & aliis plurimis, vitia nostra plangimus: atq; utinam, quemadmodum cupimus, resecare atq; abolere à stirpe omnia possimus! In hæc, si Vobis PP. CC. pugnare nobiscum animus est, jungite socias manus; at Ecclesiam Christi ne scinditote. Subruite nobiscum regnum Diaboli, at regnum CHRISTI, Ecclesiam, Fidemq; populorum, ne dissipate. Jam hoc à Vobis, præter Cassandros, Duræos, Grotios, Pareos, multi inter Vos, ab Irenicis suis satis noti dudum flagitant; hoc idem Catholici omnes, & cum iis Magnus Rex VLADISLAUS, suis, Antistitumque suorum literis, postulat. Date obsecro, tandem locum piissimis ac justissimis MAGNI REGIS, Magnorumque Præsulum votis, qui vno quasi Pauli ore, ita Vos, hodie alloquuntur, 2. Cor 5. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura; vetera transierunt &c; Pro Christo ergo Legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, Reconciliamini DEo.* Quibus ego, (qui hoc, & omni vobiscum congressu, præ oculis mihi, tum illud Sallust in Fragm. sisto, *Pacis causâ bellum suscipitur, & labor spe otij sustentatur*: tum vero & illud Aug. 15. civ. 4. *Pacem requirunt laboriosa bella, pacem adipiscitur gloriosa victoria*) votum meum ita jungo; ut ejusdem Divi Pauli verbis, omnium fronti Epistolarum præfixis, ex intimo animi sensu ad Vos inclamen, *Gratia Vobis, & PAX, à DEo Patre nostro, & Domino IESV CHRISTO. Ego autem*, liceat ejusdem Apostoli verbis vti, *libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris; licet plus vos diligens, MINVS DILIGAR.* 2. Cor. 12. 15.

Omnium Vestrû m. Amicus ad Aras

Didymus Hermannovillanus

DISQVISITIO. I.

Qui sint Vbiquistæ? quomodo cum Formulâ Concordiæ renati, & per eandem mutuò collisi? cur hoc tempore, præ cæteris, impugnandi?

1. NE quid studio brevitatis, de ipso controversiæ statu omittatur, omittenda erunt, quæ in Modo, ac Methodo tractandi inijcere moram aliquam possunt. Quocirca distributis per suas Disquisitiones totius causæ capitibus, omnis controversia per suas Propositiones ad calcem deducenda, explicandaque est, sumpto ab ipsâ Vbiquistarum origine exordio.

PROPOSITIO. I.

Vbiquistæ, quanquam monstrosus, verus tamen & germanus Lutheranismi partus sunt.

2. MOnstri enim simile est, ad firmandum contra Zuinglij, Calvinique combennones, Lutheranismum. Vbiquitatem, quæ eundem funditùs subruit, invenisse, inventamq; fovere. Nam cum Zuingliani, & omnis Calvini Schola veram, & realem præsentiam Corporis Christi de Sacramento Eucharistiæ sustulissent, Lutherani verò, potestate Sacerdotum novæ legis, ipsoque Ordinis Sacramento everso, proindeq; etiam Transsubstantiatione negatâ, præsentiam illam adstruere aliâ viâ non possent, ad Vbiquitatem, *tanquam ad Sacram anchoram*, confugerunt. Ex eo quippe quod

Humanitas, & Caro Christi (ut ipsi aiunt) vi unionis Hypostaticæ, inter alia Divina attributa, etiam Omnipræsentiam, seu Vbiquitatem participet, ideoq; Vbiq; realiter præsens per se sit, erit etiam in pane, & vino: ideoq;, ut vere præsens sumetur. Audi infra n. 22 Marbachium differentem. Quod quidem dogma præterquã quòd *Lernææ excetræ instar*, Eutychianismi, Arrianismi, aliarumq; capita Hæresum, & monstra germinet (ut infra videbimus disp. 20.) quia insuper ipsum Eucharistiæ Sacramentum, cuius adstruendi causâ effictum est, prorsus evertit. non potest non esse monstrosum.

PROPOSITIO. II.

Ipsos Lutheranos, monstrosi de Vbiquitate suâ dogmatis piget ac pudet.

3. NAm & olim, quanquam *per Ioannem Brentium* Præpositum Tubingensem, primumq; Vbiquitariorum Parentem, *& per Iacobum Smidelinum*, (quem alias Doctorem Jacobum Andreæ vocant) aliosque, tanquam aliquis *Vrsi fœtus*, multum lamberetur, tamen circa annum 1571. à Saxonicis Theologis publico decreto (quod Bellarm. in Judicio libr. Concord. Err. 3. & Busæus in Ep. Dedic. Thesium recitant) ita Dresdæ damnata Vbiquitas est, ut etiam Theses à Theologis Societatis JESV Ingolstadij contra Vbiquitatem defensæ, tanquam orthodoxæ, sint Vitembergæ recusæ, testibus Joanne Busæo in Dedicatione Thesium Moguntinarum ad Regem Poloniæ, & ipso Cælestino Myslenta thesi 48. Disputationis 4. Collegij Pruthenici.

4. Quin ipse Philppus Melancthon (illud Lutheri plane τοῦ πατρὸς παιδίον! ille, inquam, germanissimus tanti Germaniarum Prophetæ pullus, alter ille He-

lias,

lias, de igneo curru, á quo etiamnum Germanici orbis incendium viget, *Phaëthontis instar*, non jam in Eridanum, sed in Lemanum lacum præceps ad Calvinianos tandem lapsus) in cap. 3. ad Colossenses, & in Epistolâ ad Fridericum Comitem Palatinum Anno 1559. datâ, Vbiquitatem ita damnat, ut *dogmata*, ac mysteria Vbiquitariorum *omnia vocet portentosa, ignota eruditæ Vetustati*. Neq; aliâ sané de causa *Corpus doctrinæ* à Philippo scriptum, & in Ecclesiis Lutheranis ante receptum, Anno 1574. in Torgensi Conventu damnatum est à Saxonicis Vbiquistis, quàm quòd Melancthon quanquam Augustanæ Confessionis architectus esset, Vbiquitatem semper odisset, & quà verbis, quà scriptis insectaretur.

5 Deniq; Regiomontani Prædicantes, in suo Anni 1617. ad Sermi Electoris Confessionem Responso, Vbiquistarũ nomen à Calvinistis sibi tributum perferre non possunt. Vnde inter alia, quæ dictâ Confessione à Calvinistis sibi impacta quiritantur, *Duodecimo*, inquiunt, *Puriores Theologi Lutherani in scripto Electorali, sarcasmis benè aculeatis infestantur, dum odioso VBIQVITARIORVM nomine, non unâ sed duabus vicibus notantur*. Ita istos nominis piget, cum sectæ magis puduisse ac piguisse oportuerit.

PROPOSITIO. III.

Vbiquitas libro potissimum Concordiæ exclusa, & à suis, in ipso ortu, iterum propè oppressa extinctaque est.

6. SIcut omnes aliæ sectæ, inter se, suosq; prorsus dissectæ oriuntur, adolescunt, & intereunt, ita & præsens Vbiquitatis monstrum, cùm *Embryonis instar* fovendum esset, progenitorum suorum, ut vidimus col-

lisu, discrimen, *propè ad abortum*, adijt. Succursum tamen est infelicissimo partui circa Annum 1576. quo, ut est in Præfat. Libri Concordiæ, Torgæ in Saxonia *Liber*, sive *Formula Concordiæ* à Ministellis aliquot (Timotheus Kirchnerus, Nicolaus Seleccerus, Martinus Kemnitius & Jacobus Andreæ Smidelinus cum citandis num. 35 capita fuisse dicuntur) conceptus, & sequentibus annis ita probatus est, ut non *maiorum* duntaxat *gentium Dij*, *Deæq;*, in summis illis Lutheranæ Theologiæ Doctoribus, aut Prædicantibus, verùm (quod Cardinalis Bellarminus in libri Concord. refutatione, uti vanissimum, & ab omni Conciliorum, Veterisq; Ecclesiæ usu alienissimum jure miratur, ac ridet) in Scholarchis, Didascalis, Hypodidascalis, &c. omnes etiam inferi, ac *minorum gentium Dij*, immò & Medioxumi, & ἡμίθεοι Semones, & Fauni, & Satyrisci & caprimulgi, vel juxta Plautum

Dij omnes, magni, minutiq; & Patellarij

vel juxta Græcos apud Rhodig. libri 2. cap 3. πάντοι ἅπαντ novum illud *Vbiquitatis Idolum*, publicâ jam Apotheosi consecratum adorarent.

7. Sed & hic *Cantherius*, ut aiunt, *in portâ*. Subitò enim librum Concordiæ, & nata in eo Vbiquistarum somnia, exagitarunt, tum Neustadiani, Bremensesque Calvinistæ; tum verò multò etiam magis, Anhaltini Luthericolæ, adeò, ut cùm ijs Selneccerus Admonitionem suam opponeret, luctuosamq; Tragœdiæ illius Catastrophen vereretur, non aliunde, quàm de cœlo spem, auxiliumq; exposceret, ac librum suum verbis hisce clauderet, *Veni tandem Domine, Veni, & finem impone huic Tragœdiæ*. E diverso Anhaltini librum suum chronographicâ hac sententia finierunt.

At tV DoMIne, qVoVsqVe? eVIgILa, & VenI.

Quid

8. Quid agerent demum infelicissimi illi Concordiæ Patres? Erfurti in Turingiâ, Kemnitius, Selneccerus & Kircknerus, primi Vbiquistarum Triumviri conveniunt, *Apologiam Concordiæ*, *Decumanum opus* (ut ait Busæus epist. dedic. Apologetici sui) *magis de vasis vinarij*, quàm de *mentis hospitio profundunt*; *Heidelbergâ vulgari idiomate expressum protrudunt*. Hîc Anhaltini sibi minimè defuerunt, & cum alia arma, tum verò Iesuitarum Moguntinensium atq; Ingolstadiensium Theses, quibus illud Vbiquitatis monstrum confectum esset, adversarijs obiecerunt: quibus, cùm adversarios, neq; respondendo, neq; resistendo pares esse, aut unquam fore satis scirent, defensionem suam vulgari hemistichio concluserunt.

Tandem bona causa triumphat!

9. Et non licet hîc, quod Georgius Stengelius *in laqueis Iac. Reih. cap. 17.* super Confessione Augustanâ (primo potissimoq; Concordiæ semine ac fundamento) fecit, super *Formula Concordiæ* unumquemq; percontari? *In cuius tu Confessionis Aug.* (Formulæ Concordiæ) *verba iurasti? cùm illa adhuc juvencula, tot decretis, conventibus, colloquiis, Synodis, juramentis, coniurationibus sit violata, immo in patrio conclavi, in suo sacrario, in ipsâ Academiâ Vitembergensi, à suis Prædicantibus infelix oppressa?*

PROPOSITIO. IV.

Vbiquitas novo, ac planè civili suorũ bello, iterum petita, & ad summum discrimen adducta est.

10. NOn est id necesse multis demonstrare, cum à Laurentio Forero in *Bello Vbiquistico* abundè sit demonstratum. Summa eò redit. Ante annos circiter viginti, *Balthasar Mentzerus*, Gissæ Hassorum cum suis, in Academiâ Gissana collegis, Theses, ad puram

Evangelij novi flammam haud satis decoctis, super Vbiquitate proposuit. Id genus ξαγ[illegible]ματοσ non faciebat ad Theodori Thummij, aliorumque in Tubinganâ Academiâ professorum, stomachum. Continuò Mentzerus, ut est in proverbio, κύων δίκην ὀφλεῖ! Opponuntur enim Thesibus Theses, certatur que non jam argumentis, sed convicijs, probris, maledictis, Criminationibus acerrimè.

11. Non latuit Vitembergenses, & universos apud Saxoniam, *novæ fidei*, aut potius *fidiculæ* fidicines, fidicinasq;: interponunt suam, imò, & Principis sui authoritatem, ut arbitrio lis permittatur. Permissa est, sed eo eventu, ut, cùm Saxonici illius judicij trutina in alteram partem declinasset, Saxonia quoq; civili illi, inter würtembergicos Hessosque, bello implicaretur. Et fortè non alijs magis sive armis sive causis Giisana demum Academia succubuit adeoq; civili bello penitus extincta videtur. Vide Forer. Bellum à pag. 224.

PROPOSITIO. V.

Præ Cæteris Controversiis, ea quæ de Vbiqvitate est, ipsius CHRISTI causâ, propè necessariò hoc tempore, ac loco tractanda est.

12. CAusa Prima est, quòd serpens ille, qui Gen. 3. v. 15 *Calcaneo Mulieris* & benedicto illius semini perpetuò insidiatur, juxta Psal. 90. v. 13 modò *Leonem*, per Tyrannos, modò per Sectarios, maximeque per Vbiquistas nostros, *Draconem* ita agit, ut quo magis Christi gloriam, & Maiestatem ad speciem videtur attollere, eo magis halitu suo Tartareo, Christum, & Christi fidem de pectoribus Christianorum aboleat. Nam ut bene Hilarius libro contra Arrianos, *Quisquis*

Chri-

Chriſtum, qualis ab Apoſtolis prædicatus eſt negavit, Antichriſtus eſt. Nominis Antichriſti proprietas eſt, Chriſto eſſe Contrarium. Hoc nunc ſub opinione falſæ pietatis efficitur, hoc ſub ſpecie Prædicationis Evangelicæ laboratur, ut Dominus IESVS Chriſtus, dum prædicari creditur, denegetur.

13. Neq; ſecus alter huius ſeculi Hilarius, Card. Bellarminus libro 3. de Chriſto cap. 20: ubi cùm ex ipſius Brentij Vbiquiſtarum Principis ore docuiſſet, *Ab Vbiquiſtis mutari Chriſti humanitatem in Deitatem*, & myſterium Incarnationis omnino diſſolvi, ſubiungit, *Nimirum huc ab initio Sathanas ſpectabat, ut paulatim per indulgentiarum, Purgatorij, & ſimilium rerum reprehenſionem, tandem eò res deveniret, ut Chriſtus ipſe, & ſumma fidei noſtræ myſteria impiè abnegarentur.* Quanquam & Lutherus hic non omnino vanus augur fuit, qui (uti à Smidelino in Epitome Colloquij Mompelgarten. citatur) Tom. 2. Vitember. pag. 120: & Tomo 3. Vitember. pag. 54. aiebat, *Spiritum Sacramentariorum, à levioribus ad maiora progredi, ut tandem dicat, quod Baptiſmus, quod peccatum originis, quod ipſe Chriſtus nihil ſint.*

14. *Altera cauſa*, Quod vicini nobis Regiomontani Prædicantes, à quibus in omnes Regni Poloniæ Provincias, Hæreſis, & Regnum Prædicanticum propagatur, iſtud *Vbiquitatis Idolum* eò magis proponunt adorandum, quò minus, per divinas, humanaſque, ac præſertim patrias etiam Leges, quod infra Disq. 20. & ſeqq. patebit, intra privatum quoque Lararium, id colere ijs licet.

DISQVISITIO. II.

Quis sit Status Controversiæ? & quæ Vbiquistarum præcipua Mysteria?

15. MVlta veteres Vbiquistæ Paradoxa, vel potius Monstra produxerunt, quæ Moderni, Præsertim Regiomontani, etiam auctiora reddiderunt, uti ex scriptis eorum infra citandis patebit.

PROPOSITIO. I.

Vbiquistæ asserunt Duarum in Christo naturarum, non tantùm Vnionem in unâ Hypostasi, ac Personâ Divinâ, verùm & realem ipsarum inter se Communicationem.

16. DOcent enim Divinitatem Humanitati non tantùm unitam, sed etiam communicatam esse, *non eo quidem modo*, (ut Patres Concordiæ cap. 8. præclaris scilicet similitudinibus illustrant) *quo asser asseri, vinum vasi, vestis homini vestito, homo item homini Amicitiâ, vel societate coniunguntur, sed quomodo Anima corpori, Ignis carboni, vel ferro candenti*: ubi, naturis scilicet utrisque integris permanentibus, realis est earum unio, & Communicatio. Quale porrò, quantumque hoc mysterium sit, post librum Concordiæ & Smidelinum in Thesibus Vitembergensibus, Daniel Michael Superintendens Mekelburgicus, superiore anno satis explicuit, in suâ Synopsi, in quâ Lutheranos Calvinianis articulis è diametro opponit. Sed & de nostris Regiomontanis

Cæle-

Cælestinus Myslenta Disp. 4 Collegij Pruthenici Thes. 27 rem declarat similitudine περιχωρήσεως seu Immeationis, vel Circumincessionis Divinarum Personarum, quam quidem περιχώρησιν Joannes Behmius cum suo Respondente M Michaele Eifflero Anno 1630. geminâ Dissertatione typis exscripta, & à nobis, 4 Disquisitione refellendâ, proposuit.

PROPOSITIO. II.

Vbiquistæ, in dictâ naturarum communicatione vel περιχώρησει, vel, ut minimum, in ipsâ attributorum utriusq; naturæ participatione, & τῶν ἰδιωμάτων κοινωνίᾳ rationem formalem unionis hypostaticæ constituunt.

17. M*Vtuum hunc naturarum unitarum ingressum, & circumplexum arctissimum* (inquit Behmius differt 1. memb 2. n. 4) *quicunq; negat unionem hypostaticam in Christo soluit, atq; sic eum in castra sua rapit* Nestorius. *Quisquis enim ipsum rei formale, vel consequens formalis proximum & immediatum negat, rem ipsam destruit.* Idipsum asserit differt: 2. memb. 6. n 15. Ad eundem modum: *Vnio hypostatica,* (inquit Conrad. Dietericus, catechet instiitut: pag. 330) *non tantùm in naturarum ad se invicem communicatione, tanquam propria formâ suâ subsistit, sed ex eadem, proprietatum utriusque naturæ, sive idiomatum, vera, & realis Communicatio, tanquam effectus consequitur.* Idem adstruunt alij, Valentiâ Lib 2. cap. 1 Bellar. lib. 3. cap. 1. Busæo in Apologet. testibus.

PROPOSITIO. III.

Vbiquistæ, ex vi confictæ ab se unionis hypostaticæ, sequentia Paradoxa adstruunt.

18. PRimum, de reali idiomatum Communicatione, ita ut perfectiones Divinas, *Omnipotentiam*, *omniscientiam*, &c tribuant Christo, non tantum secundùm Divinam, sed etiam secundum humanam naturam. Solent id vocare ἰδιοποιΐαν, ἰδιοποίησιν, οἰκείωσιν: ratione cuius dicunt veras esse prædicationes, non tantùm in Concreto, *Christus Homo est Omnipotens*, vel, *hic homo est ubique*, sed etiam in abstracto v. g *Christi humanitas est Omnipotens*, *Christi Caro est ubique*. Vnde Behmius Diss. 2. memb 5. n 1. *Christus*, inquit, *etiam juxta carnem, est verè Omnipotens* Joan. 2. v. 25. *Verè Omnisciens* Matth 28. v. 28.

19. *Secundum*, de reali Communicatione Gloriæ, & Maiestatis: ita ut omnis Gloria, & Maiestas, quæ Verbo Divino, secundùm Divinitatem competit, in Carnem Christi, ab instanti Conceptionis redundarit, *quamvis* (ut in lib Concord. loquitur Lutherus) *Maiestatis suæ radios, in Carne sua, Christus ad tempus subtraxerit, nec nisi aliquando* V. G. in monte Thabor Matth. 17 v 2 & alias, in patratione miraculorum, *erumpere passus sit, ne Divinitas eius Mortalium oculos penitus lateret.* At post Resurrectionem, & Ascensionem, eadem Maiestas, quasi *pleno copiæ cornu*, in humanitatem penitus effusa fuit: quemadmodum Ditericus cum alijs expresse asserit Quibus insuper Joannes Marbachius cap 2 pag. 28 & pag. 20 cum quibusdam addit, *humanitatem Christi & Carnem ad consortium Sanctissimæ Trinitatis evectam esse.* Id commentum vocant μετάδοσιν, μεταποίησιν, βελτίωσιν, ὑπερύψωσιν.

Ter-

20. *Tertium* De Communicatione Officij Christi, tum Prophetici, tum Sacerdotalis, tum etiam Regij, ita, ut *Christus secundùm utramq; naturam* fuerit, atque etiamnum sit, *Mediator*, *Pontifex*, *Redemptor*, & *Rex*, adeoq; regias functiones suas obeat ubique Præsens, secundùm humanitatem. Ita Marbachius cap. 3. pag. 37. Diericus pag. 369. & 378. &c. Id vocant κοινωποιΐαν, κοινωνίαν ἀποτελεσμάτων. Ratione cuius Patres Concordiæ, apud Busæum in Præfat. Apologet, contendunt, *Christum, etiam secundùm naturam Divinam obedivisse Deo Patri.* Gerlachius veró, eodem teste, addit, *Christum, etiam secundùm Divinitatem, nunc in cœlo orare pro nobis.*

21. *Quartum*, est Palmarium illud de ipsa fatali *Vbiquitate*, & *Omnipræsentia*, de quâ inter alios cum suo Eifflero Behmius Diss. 2. memb. 6. n. 14. Ideo, inquit, *Christus, etiam secundùm humanitatem, â primo statim Conceptionis articulo, cunctis Creaturis indistanter adfuit, quanquam ad tempus exaltationis & intrhonisationis Maiestaticæ plerumq; sine cooperatione.* Potest id, atq; etiam solet πανταχουσιασμὸς vocari.

22. *Quintum* De Ascensione in Cælum, & sessione ad dexteram Dei, proinde & de Adventu Christi ad judicium. *Cum enim*, ut Marbachius cap. 1. pag. 6. & cap. 2. p. 18. scribit, *Sacramentarij præsentiam Christi in Eucharistiâ negarent, & contra Lutherum urgerent, humanitatem Christi in cælis ad dexteram Dei sedere, Lutherus suo illos gladio jugulaturus, Eo, inquit, ipso quia ad dexteram Dei sedet, in Eucharistiâ præsens est. Quia dextera Dei, non significat locum aliquem in Cælo determinatum, sed immensam Dei virtutem, omnia implentem, ad quam, cùm Christus secundum humanitatem assumptus sit, secundum eandem humanitatem omnia impleuit, proindè etiam in Eucharistiâ præsens erit.*

PROPOSITIO IV.

Vbiquistæ plerosque Symboli Apostolorum Articulos, adeoque totam Mysterij Incarnationis Oeconomiam evertunt.

23. DE Articulis Symboli, patet è quinto Paradoxo, patebitq; uberius infra Disq 18. *Illud*, quoq; aliud evidenter sequitur: Vt enim præsentia realis in Eucharistia defendaretur, inventa est Vbiquitas, ad adstruendam Vbiquitatem, necesse est *Iesum solvere* ut dicitur Joan 4 v 3 Nam & Vnio hypostatica nova, planeq; Paradoxa excogitatur, &, ex vi illius unionis, conficta realis, eaque Vbiquistica communicatio, primò quidem Naturarum, deinde Attributorum, tum Maiestatis, denique operationum, uti patet è Formula Concordiæ, Corpore Pruthenico, Synopsi Danielis Michaelis, & alijs à Valentia, Bellarmino lib 3 alijsque Doctoribus citatis. Quæ quidem omnia, uti & alia Vbiquistarum somnia, deinceps sigillatim referentur, ac simul refellentur.

DISQVISITIO, III.

An Vbiquitas evidentibus suorum discordiis, strophis, & contradictionibus evertatur?

24. PRius quàm Vbiquistarum causa, promptis ex omni rationum πανοπλίᾳ telis profligetur, præmittendum est generale, contra hanc a-

liasq;

liasq; sectariorum omnium molitiones, ab evidentibus eorundem contradictionibus, strophis, & discordijs, valiturum argumentum.

PROPOSITIO. I.

Falsitas, Mendacia, imposturæ, & hæreses, contradictionibus se potissimùm produnt, & refellunt.

25. ID adeo verum est, ut in Analyticis, omnique Philosophorum ac Theologorum dimicatione, adversarium ad contradictionem adegisse, vicisse sit. *Veritas enim*, ut vulgo aiunt, *simplex est, falsitas autem & mendacium, semper varia*: vel, ut Aristoteles 1 post. 6. *Verum vero consonat, à falso autem citò dissonat ipsum verum.*

26. Quin & Lutherus ipse (ut jam ex *ore suo judicetur nequã servus* Luc. 19 22.) lib de votis Monast. *Mendacia*, inquit, *citius dignoscere non potes, nisi quando sibimetipsis contraria sunt. A Deo enim ordinatum est, ut impij semper seipsos confundant, & quod mendacia non consonant, sed semper contra semetipsa testentur.* Huc facit solenne illud, ore, calamo, utinam verò & corde! à Luthero sæpius promptum. *Si vel semel deprehensus in mendacio essem, dignus enimverò essem, ut nemo deinceps mortalium fidem mihi adhiberet.*

PROPOSITIO. II.

Omnes Sectarij non tantùm Ecclesiæ Catholicæ, & oppositis sectis, verùm & symmystis suis, & sibimetipsis contradicunt.

27. NIhil enim magis ἀσύςατον, quàm Sectariorum doctrna, quam Lactant lib. 3. inst. c 6. idcir-

id circo dixit *Inconstantem*; quod nunquam ac nusquam sibi constet, sed per se concidat ac se ipsa evertat. Quot igitur unquam fuerunt sectariorum erectæ synagogæ, totidem fuerunt & Babilones, in quarum unaquaq; omnia turbata, confusa, male cohærentia, secum pugnantia, & mutuo sese evertentia, ut non minus de Arianis, quam de cæteris eorum sociennis dixerit olim Epiphan. lib. 3. de Hemarijs ἦν τὸ πᾶν κυβείας ἔμπλεον, *negotium universum vanæ* (id est inconstantis, & ad aleatorum morem in fraudem intentæ, id enim Ephes. 4. v. 14. κυβεία sonat) *nequitiæ plenum.* ἃ γὰρ ἕκαστος ἐφρόνει ταῦτα ὁ ἕτερος οὐκ εἶχεν, ἕως σχίσματα δὲ διηρέθησαν πρὸς ἀλλήλους, *Quæ enim unus aliquis sapiebat, eadem alius non habebat, divulsi sunt ab invicem in schismata & sectas.*

28. Si quis porrò causam sectarum istarum quærat, audit è Clement. Alexand. Stromat. Orat. ἑνὸς γὰρ ὄντος τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ κυρίου, διὰ τοῦτο καὶ τὸ ἄκρως τίμιον κατὰ τὴν μόνωσιν ἐπαινεῖται, μίμημα ὂν ἀρχῆς τῆς μιᾶς. τῇ γοῦν τοῦ ἑνὸς φύσει, συγκληροῦται ἐκκλησία ἡ μία, ἣν εἰς πολλὰς κατατέμνειν βιάζονται αἱρέσεις. *Cùm enim unus sit Deus, & unus Dominus, etiam id, quod pretiosum excellensq; est, ob unitatem laudatur, cùm sit imitatio quædam unius principij illius. Vnius itaq; huius naturâ Ecclesia vera concluditur, quam in multas dissecare conantur hæreses.*

29. Neq; ipsæ sibi duntaxat repugnant ac contradicunt synagogæ magis, quàm unusquisq; sectariorum sibimetipsi, adeo ut quot sunt uspiam sectarij, totidem sint, vel Protei in omnem se formam figuramq; in horas refingentes; vel Vertumni ad omnem sive auræ, sive iræ motum

motum varij ac diversi: Vel Arcesilæ, qui nihil sciri posse doceant, & tamen hoc ipsum sciant: Vel somniatores illius similes, qui somnijs fidem dandam negabat, somnijs vid. ita edoctus: vel deniq; Satyri illius convivæ, qui ex eodem ore θερμὸν ἅμα τε καὶ ψυχρὸν, *Calidum simul & frigidum*.

PROPOSITIO. III.

Lutherus & Calvinus, plurimis & manifestis contradictionibus & antilogijs falsitatem vanitatemq; hæreseon suarum prodiderunt, ut cæci videantur, qui id non vident.

30. QVis singulas utriusq; ἀντιφάσεις pertexat? Qui Lutherum *Vertumnum*, sive, ut Jureconsulti vocant, *Ardelionem*, ut verò Comici, *Gnathonem*, intueri volet, adeat vel Joannis Cochlæi *Lutherum septicipitem*, vel Joannis Fabri *Babiloniam Antilogiarum Lutheri*, in qua de omnibus Christianæ Religionis capitibus magnus ille prophetes &, ut vulgo dicitur, μάσθλης ἄνθρωπος *aliud stans*, ut aiunt, *aliud sedens*: vel deniq; Caspari Querhamer Laici hominis, Civis Hallensis opusculum vernacula lingua *Wetterhan*, dictum, eo quod Pinnaculi instar, ad captandos ventos supra tecta positi, novus ille, uti se appellat, Evangelistes, spectari possit, Apostolo teste Eph. 4. v. 14. κλυδωνιζόμενος καὶ περιφερόμενος παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, *fluctuans & circumactus omni vento doctrinæ*, quippe qui vel in uno de S. Eucharistiæ sacramento art. ut eo libro demonstratur, plus tricies sibi contradicat.

31. Jam verò Calvinus, quantum in semetipso fuerit Proteus, ac Vertumnus, vel ex unius Nicolai Romæi

opere patet, in quo Calvinum, unico institutionum suarum opere, per decem, ἀσύςατα, nimium quantum *sibi discolorem!* X spectaculo exhibet. Quod si quis aut Ægidij Hunnij Lutherani *Calvinum Iudaizantem*, aut Conradi Schlusselburgij, itidem Lutherani, *Theologiam Caluinistarum*, aut etiam Ioan Botsacci Gedanensium Archisynagogi *Explicationē Decimi Aug. Conf. Articuli* fuerit intuitus quantum, ubiq; contradictionum inveniet!

PROPOSITIO. IV.

Prædicantes Sectariorum, inter se dissecti ac discordes, ad populum tamen concordiam simulatè venditantes, Epicuræos egregiè referunt.

32. MEmorat Plutarchus, aliud domi sedendo, aliud foris stando agere solitos Epicuræos Quibus cum Stoici obijcerent, Ecquid publicas aras consecrarent, Deosq; ad populum venerarentur, cum domi nullos esse disserendo adstruerent? responderunt, *sint nec ne Dij, difficile negari posse, si pro concione quæratur; facillimum vero, si domi.*

33. *Non absimile quiddam* (inquit lib 3. de Concordia discipul. Lutheri Fridericus Staphylus, is qui novum illud Evangelium de ipsius Lutheri ore Vittembergæ exceptum, apud Regiomontanos in Prussiâ ebuccinandum susceperat, & cum alijs multis de causis, tum ob perpetuam sectariorum discordiam ad Catholicæ se gremium Ecclesiæ deinde receperat) *nunc Soboles Lutheri. Domi enim tanquam fratres Cadmæi, altercantes inter sese, ita omnem religionem tractant, ut nullam pæne suæ Confessionis August. certitudinem relinquant, cùm eandem tamen sic propugnant foris, quasi rem agant serio. Nam in consultationem, quando ventum est, eam doctrinæ suæ quasi confessionem proponunt,* deie-

deierantq́, adeo, in ea concordes eſſe, ut in fundamento nihil dici poſſit, aut cogitari concordius. At, &c. Quæ ſi Staphylas non loqueretur, res tamen ipſa, cum de Lutheranis, tum de alijs omnibus ὀφθαλμοφανερῶς loquitur. Nusquam enim plus ſpectari poteſt vulpium Samſonicarum, cùm metus alicunde ingruit, caudis ſibi mutuò cohærentium, &, cùm vel tantillum licet, capitibus in diverſa tendentium.

PROPOSITIO. V.

Inſulſiſſimæ Vbiquiſtarum ſtrophæ, eorundem vanitatem, ignaviam, & ſummam ignorantiam produnt.

34. SI quod ſectariorum genus, in rationando ac diſputando inſulſum eſt, Vbiquiſtarum ſanè inſulſiſſimum. Quàm enim pertinaciter Chriſti Corpus Vbique eſſe adſtruunt, tam ignavè, jacta in ſe adverſariorum tela declinant. Aut enim, quod vulgo dicitur, *Rogati de quaſillo reſpondent de gergillo*; aut, quod omnium commune atq́, extremum eſt κενοσφύγετον, ad Modum, ſine modo ullo recurrunt. Nam redacti ad incitas, ſolemne illud ſuum identidem occentant, *Humanitatem & Corpus Chriſti eſſe quidem ubiq́; ſed cum non extenſo, carnali, aut humano, verum ſpiritali, ſupernaturali, divino, & ineffabili modo ſit, quo tandem pacto ſit, id verò ſciri non poſſe.*

35. Hanc eorum cantilenam, vel potius coccyſmum, apud Buſæum, *Apolog. pag.* 110. *ad theſ.* 63 Valentiam, pag 257 pag. 234. & pag 244 Bellarminum, *Tum. lib.* 3. *de Chriſto*; *Tum in judicio, & Apologia ſæpe.* ipſos deniq́; Vbiquiſtas Brentium, Smidelinum, Behmium alios, in primis verò *in ipſo Concordiæ libro pag.* 305. b.

libro pag. 305. b. & *in Appendice* pag. 22. quavis ferè paginâ repereris. Quod, quid aliud est quàm suis se strophis prodere; vel, quod aiunt, ἀλώπεκα ἀντὶ λέοντος, *Vulpem pro Leone*?

PROPOSITIO. VI.

Vbiquistæ suis se contradictionibus & discordijs refellunt.

36. PRincipiò constat Formulæ Concordiæ, in qua Vbiquitas, *Dianæ Lestricæ instar*, iterum fusa aut recusa Orbi apparuit, præcipuos architectos fuisse Smidelinum, Kemnitium, Musculum, Selneccerum, Cornarium, & Kirchnerum. At isti cum manus socias, turri illi Babel tùm Torgæ, tùm deinde in Cænobio Bergensi iuxta Magdeburgum anno 1575 admovissent, non minùs deinceps corpore, quàm animo & sententijs discreti in diversa abierunt. Postea enim quam Liber Concordiæ hinc Calvinistarum, inde Lutheranorum Anhaltinorum, Bremensium, aliorumq; telis undiq; petitus est, delecti sunt ex illo ipso heroum numero, Martinus Kemnitius, Nicolaus Selneccerus, & Timotheus Kirchnerus, *Magni cum potestate Triumviri*, qui pro suo illo Concordiæ Numine, scriptam Erfurti in Thuringiâ Apologiam Heidelbergæ lingvâ maternâ edunt.

37. Quid vero profecerunt? Audiamus Busæum in Ep. Dedicat. Apologetici sui. τὸ μῆλον ἔριδος, *in medium proiectum est: nouum discordiarum Seminarium consecutum. Sic enim Omnipræsentiæ partum tuentur, ut prorsus abijciant, Smidelino Concordiæ Architecto, & Principi Vbiquitatis Patrono, renuncient, ut formulæ, ut sibi ipsis turpissimè contradicant.* Et quæso nunquid apertæ sunt ἀντιφάσεις & con-

& contradictiones? *Christus secundum humanitatem est ubique* : &, *Christus secundum humanitatem non est ubiq; sed tantum in cælo, Eucharistia & Ecclesia?* Prius illud omnes Concordiæ Architecti uno ore profuderunt. posterius verò illi, qui ex eorum numero Apologiam procuderunt. Nunquid evidens est contradictio: *Christi corpus seu humanitas, est præsens omnibus creaturis* : &, *Christi corpus seu humanitas non est præsens omnibus creaturis, lapidibus, lignis, graminibus, cantharis, &c.* Prius illud docuerunt cum Smidelino omnes Concordistæ; posterius vero illi qui Apologia suâ Vbiquitatem defensum ibant.

38. Plures Vbiquitariorum ac præsertim Smidelini contradictiones qui volet, consulat Valentiam lib 2. cap. 1. pag. 258 1. pag 263. 1. a 268. 1. D 282. 2. G. Busæum cap ult. & sæpius in Apologet. Bellarmin. Apolog pag. 367. Bartholom Zebridovium epist. dedic. Thes. Mogunt ad Stephanum Regem Polon. Denique Laur Foreri *Bellum Vbiquisticum* cùm alibi sæpius, tum verò potissimùm à pag. 224: quo loco initia, progressus, & mutua Vbiquistarum vulnera, quæ civili illo inter Hassiacos & Wirtenbergicos bello primum inflicta, ac deinde etiam ad Saxonicos propagata sunt, ipsorum Vbiquistarum verbis describuntur.

PROPOSITIO. VII.

Vel è solis Vbiquistarum contradictionibus, Ecclesiam Lutheranam constat esse falsam.

39. NE hîc actum, quod aiunt, agamus, unicâ Laur. Foreri argumentatione, quæ totius *Belli Vbiquistici* & basis & cardo est, negotium expediatur.

Vera Ecclesia non est, quæ in rebus fidei non est una.
Sed Lutheranorum Ecclesia in rebus fidei non est una.
Igitur Lutheranorum Ecclesia non est vera.

Maior ab adverſarijs admittitur: *Maiorem* Forerus totô librô, à vetere juxta ac recentiore inter Vbiquiſtas bello, tum argumentis, tum petitis ex Vbiquiſtarum ipſorum penu teſtimonijs ἄνωτε καὶ κάτω λιλογικέμαι meritò eſt dicendus, quia accuratiſſimè demonſtravit.

40. Quod Forerus de Vbiquiſtis docuit, de omnibus Sectariorum mandris dudum Viri graves & docti non jam ὅσον ἀφοσιώσασθαι ſed qui juxta Auſonium, *miſcere Chium Ammineo ſoliti* ſunt, ſæpè docuerunt. Quos inter *Andreas Nidecius Archidiaconus Vilnenſis*, digniſſimus ſanè, tum ut eo nobiliſſimorum doctiſſimorumq; virorum Collegio quondam frueretur, tum ut hic nobis extra ordinem ex eo libro (quem *De verâ & falsâ Eccleſiâ* Anno 1583. iterato auctiorem edidit) ſententiam diceret. Cùm igitur ille argute juxta ac eleganter, *Veram Chriſti Eccleſiam* (*quam Apoſtolus Domum Dei viventis appellat*) & fundamentis, & parietibus & tecto, atq; opere inteſtino conſtare docuiſſet, atq; *Opus* quidem *inteſtinum*, Sacramento & Dignitate Ordinis Eccleſiaſtici, *Tectum* verò Sacramentorum aliorum, & Sacrificij novæ Legis eminentiâ, *Parietes* adhæc quatuor, Biblijs Concilijs, Patribus, & Traditionibus, deniq; *Fundamenta* quatuor, *ipſi ſummo lapidi angulari Chriſto* inædificata notis Eccleſiæ per Apoſtolos & Apoſtolica Concilia traditis definiret, vid. Eccleſiâ veram Fundamenti loco eſſe *Vnam*, *Sanctam*, *Catholicam & Apoſtolicam*: meritò omnes Prædicantum Synagogas à verâ Chriſti Eccleſiâ ſecernit, quod fundamentis, parietibus, alijsq; *Domus* illius planè *Divinæ* partibus deſtituta ſit. Qui verò lib 1. cap 2 ex incredibili Prædicantum omnium Diſcordia, planè evincit, nullam eorum Synagogam poſſe *Vnam* eſſe, merito infert, neq; Eccleſiam Chriſti, vel hac unâ de causâ, dici poſſe.

DIS-

DISQVISITIO. IV.

Vtrum Vnio hypostatica consistat, vel consistere possit in eâ, quam Vbiquistæ somniant, naturarum communicatione?

41. IN hoc Achille omne robur & fundamentum causæ suæ collocarunt Vbiquistæ. Datâ enim communicatione naturarum, haud dubie sequetur & Communicatio Idiomatum, & reliqua Vbiquistarum somnia. Sed Contra sit.

PROPOSITIO. I.

Vbiquistæ calumnijs promovere causam suam satagunt.

42. QVod Persius sat. 4. de quibusdam dixit, dici universim de Sectarijs omnibus, ac nostris etiam Vbiquistis potest; eos videlicet *Ocima cantare.* Sicut enim ocimum vel cuminum (quod Plin. lib. 19. cap. 7. tradit,) vix provenit, nisi adiectis convitijs & maledictis seratur; ita nunquam satis habent Prædicantes, hæreseon suarum quà semina, qua potius zizania spargere, nisi unà Catholicos maledictis ac convitijs incessant.

43. Qua causâ hoc etiam loco, dum suam illam, quam Orbis Christianus nunquam audivit, sancire volunt naturarum communicationem, invidiosissime docent. omnem à Catholicis negari realem naturarum communicationem. Quod quam falsum sit, seq. prop. docebit.

PROPOSITIO. II.

Admittunt Catholici veram, & realem, non tamen Vbiquiſticam, duarum in Chriſto naturarum Communicationem.

44. PRimum Valentia Lib. 1. cap. 3. Sic expreſſè aſſerit, & explicat, *Neque Scholaſtici Doctores, neq́, nos abſolute, & ſimpliciter negamus, plenitudinem Diuinitatis, fuiſſe realiter aſſumptæ naturæ communicatam. Agnoſcimus enim & ſubſiſtentiam, & Diuinitatem, & omnem Verbi Diuini perfectionem, modo quodam maximè reali, naturæ humanæ communicatam, ut ſcilicet in Perſonâ Verbi ſubſiſtat, primario quidem, per ipſam Verbi ſubſiſtentiam ſiue perſonalitatem, ſecundariò autem etiam per diuinitatem & perfectiones, eius, quæ a ſubſiſtentia re non differunt.* Probat id ipſum, tum aliorum, tum S. Thomæ Authoritate deſumptâ ex 3. p. q. 6. a 6 Idem quoq́, docet Buſæus Apologetici ſui pag. 53. & 60. & 78. & p. 160, & 161. quem conſule.

45. Jam verò *Secundum* etiam patet. Vbiquiſtica naturarum communicatio ſuſcitat Eutychianiſmum, & confuſionem naturarum in Chriſto inducit: Ergo nullo modo admittenda. *Antecedens patet* vel ex eo quod Leonardus Hutterus Vbiquiſta loco 3. n 16. fatetur, *unionem Idiomatum eſſe quidem veram, & realem, non tamen Eſſentialem & phyſicam, quia hæc Eutychianam naturarum exæquationem inducit.* Et probatur inſuper; Quia *putant Vbiquiſtæ* (ut loco citato Valentia ſubiungit) *plenitudinem Diuinitatis, aſſumptæ naturæ realiter communicari non poſſe, niſi aſſumpta Natura, per eam communicationem ſit & affirmetur eſſe ipſa plenitudo Diuinitatis, cùm tamen natura humana, aſſumpta ſit à Diuinâ, non ut illa ſit, ſed ut per illam ſubſiſtat; dum enim per illam ſubſiſtit, completurq́; ut ita dicam, Hypoſtaticè, habet utiq́; illam, tanquam ſui quoddam*

ſubſtan-

ſubſtantiale complementum. Cumq́; illam per ſe, aut naturaliter non habet, habet communicatione atq́, dono.

PROPOSITIO. III.

Vbiquiſtica Naturarum Communicatio, ſupra veram, & Hypoſtaticam unionem aliquid Paradoxum & Hæreticum adijcit.

46. Cùm enim Doctores Catholici, ex vi unionis Hypoſtaticæ concedant omnem *plenitudinem Divinitatis in Chriſto habitare* σωματικῶς, *id eſt corporaliter* Coloſſ. 2. v. 9. & conſequenter concedant, datam, ac realiter, communicatam naturæ humanæ Verbi Divini energiam, ita ut per eam Hypoſtaticè ſubſiſtat, Vbiquiſtæ, his minimè contenti, de maiore atq́; ampliore communicatione quadam contendunt. Volunt proinde Vnionem perſonalem factam, non tantùm, ut natura humana, per ſubſiſtentiam, naturamq́, Divinam ſubſiſtat, quod conceditur, ſed etiam vt illa ſit, ſeu in illam commutetur, quod à Catholicis negatur.

47. Vnde ſi Vbiquiſtæ per illas ſuas propoſitiones, *Chriſtus ſecundum humanitatem eſt omnipotens, Caro Chriſti eſt omnipræſens*, nihil aliud intelligerent quam Chriſtum ſecundum humanitatem eſſe id, quod habet ſibi communicatam ſubſiſtentiam Verbi, & plenitudinem Divinitatis, *quanquam*, ut Valentia Lib. 1. cap. 2. ait, *Vocibus & oratione ineptè, temere, & contra receptas loquendi ſignificandiq́; regulas uterentur; quo ad rem tamen & ſententiam tolerari poſſent. Cùm verò illi non tantum in ſermone temerarij, verum & in ſenſu peruerſi ſint, merito ab Eccleſiâ pro Hæreticis habentur.* Conſule Valentiam loco citato. & Buſæi Apologeticum ad Theſim 29. Vbi cum eodem Valentiâ, contra Stephanum Gerlachium optimè probat, Vbiqui-

biquiſtas docere Vnionem perſonalem, primò immediatè, non in Perſonâ ſed in naturâ Verbi factam; alioqui enim propoſitiones eorum V. G *Humanitas in ſe est Deus, est omnipotens &c* nullo modo ſubſiſterent.

48 *Sed*, non conſultis noſtris, eloquetur, Mislenta ſuorum myſteria omnia Diſp 4 Theſ 54 præeunte Kemnit. *Inter Carnis Christi dona triplex diſcrimen* ſtatuit. 1. *ſunt quædam ipſi naturalia.* 2. *quædam ſupernaturalia, & præternaturalia., creata tamen quæ ſcholaſtici per gratiam habitualem exprimunt* 3. *quædam dona ſupernaturalia, increata, & verè infinita. Calviniani cum Ieſuitis priora duo de carne Christi concedunt; nos inſuper tertium genus affirmamus.* Ita patet, Vbiquiſtas jam non tantum ἀκυρολογίᾳ, ſed etiam αἱρεσεολογίᾳ καὶ ἑτεροδοξίᾳ graviſſimè laborare.

PROPOSITIO. IV.

Vbiquiſtica naturarum Communicatio, quatenus pro Vnione Hypoſtaticâ ſupponitur, implicat in terminis.

49. NAm & *Vnio*, ex vi nominis, non dicit mixtionem aut confuſionem, aut communicationem rerum inter ſe unitarum, ſed potius aliquam earundem, tum ante, tum in, & poſt factam Vnionem, ſi non quoad rem, ſaltem quoad rationem diſtinctionem; ut patet in homine quoad corpus & animam, & in mixtis ex miſcibilium alteratione coaleſcentibus. Hinc Damaſcenus lib. 3 cap. 17 *Sciendum*, inquit, *ipſam Deificationem naturæ* (vid humanæ) *liquidò duas naturas declarare Sicut enim inflammatio non rei inflammatæ naturam, in ignis naturam mutat, ſed & id, quod inflammatum eſt, & id, quod inflammavit oſtendit, nec unius tantùm, ſed duorum index eſt ita*

Deifi-

Deificatio, non unam compositam naturam efficit, sed duas, atq; hypostaticam Vnionem.

50. Jam verò *talis Vnio*, sive personalis, quamvis dicat naturarum in unâ hypostasi Vnionem, nullo tamen modo dicit earundem inter se communicationem, aut mixtionem; quin potius, cúm *subsistentia Divina* (quod cum Joanne de Lugo Disp 12. & communi sententiâ suppono) *ex se, & ut sic, dicat rationem termini*, etiam hic debet terminare, & inter utramq. naturam mediare, faciendo utramq; per se subsistere, & quidem in se ipsâ, non verò in altera quantumvis sibi unita Neque enim Natura Divina, quamvis ad suam hypostasim, naturam humanam assumpsit, in illâ, sed potius in seipsâ subsistit; similiter natura humana, quamvis ob defectum propriæ subsistentiæ non subsistat in se, sed in Verbo, Verbiq; supposito, ad quod assumpta est, tamen respectu ipsius Naturæ Divinæ (non tantum præcisè per se, sed etiam cum absolutâ subsistentiâ, quam illi præter relativas Suarez, alijq; tribuunt) sumptæ, non tàm in naturâ Divinâ, (nisi forte mediate & secundariò, ut cum Valentia prop. 2 diximus) quàm in se ipsâ subsistere dicenda est; Quia, citra Confusionem cum Divina Natura, terminatur in seipsa à Verbi subsistentia.

51. His adde; si unio illa, non immediate in Personâ, sed in Naturâ facta fuisset, non tam Personalis sive ὑποστατικὴ, quàm substantialis, sive οὐσιώδης dici deberet. Quod quidem vel ipse Myslenta Disp 4. Thes. 26 n 2. fateatur; dicit enim *Vnionem Personalem dici non â Termino à quo, sed ad quem; Hoc est, non quod duæ Personæ, sint unitæ, sed quod duæ naturæ ad unam Personam, vel unum* ὑφιστάμενον.

52. Neque diffiteri in Colloq Mompelgart. Smidelinus potuit, ubi urgente Bezâ, *Si proria Divinitatis humanitati communicarentur, humanitas Christi in Divinitatem*

tem

tem conversa esset: Respondit (quemadmodum ipse in Epitome pag. 37. fatetur) *Si propria Dei, essentialiter humanitati communicata essent, tum in Divinitatem humanitas conversa esset.* Etsi verò subiungat, *Communicationem hanc non Essentialem sed Personalem esse*, oppositum tamen evincitur, quia non tantum persona, verùm & naturæ ipsæ, (quæ utiq; essentijs constituuntur) sibi communicantur. Præsertim cum ipse pag. 36 fateatur, *ingens discrimen inter Vnionem, qualem Beza finxisset, & communicationem idiomatum esse.*

53. Denique id ex Communi DD. patet, qui cum Jos: Ragusa Disp. 52. supponunt, ex eo quod Pater, & Spiritus Sanctus, in humanitate Christi sint per Concomitantiam, ratione unius, eiusdemq; Naturæ Divinæ (de quo Disq. seq.) non dari quidem unionem personalem, darî tamen substantialem.

PROPOSITIO. V.

Ex vi Præsentis decreti Divini, Vnio hypostatica non est facta, neque fieri potuit, in Communicatione Naturarum.

54. PRimum patet. De facto Vnio est, & dicitur personalis: Ergo facta est in Personâ immediatè: Ergo non in Naturis immediatè: Ergo multò minus in Communicatione naturarum. *Secundum probatur*; quicquid sit, an de potentiâ Absolutâ, & vi alterius decreti Divini, tota Trinitas, vel alia Sanctissimæ Trinitatis Persona incarnari potuerit (quâ de re Scholastici ad 3. p. q. 3. a. 6. & inter eos Vasquez D. 29. Ragusa D. 53. & Lugo D. 12. S. 6. n. 81. qui etiam contra communem sententiam in partem negativam inclinat, eò quod humanitas non possit per plures subsistentias alienas terminari: Quia afferret secum in terminis virtualem Contradi-

tradictionem) sanè præsens decretum Divinum fuit, ut *Persona Verbi* incarnaretur, quemadmodum ex eventu patuit. Atqui *Persona Verbi*, (ut benè Lugo D. 10 S 3. n. 5. & Disp. 13. S. 3. Cui etiam consonat Vasquez Disp. 27. cap. 2. n. 8) in recto non importat naturam, sed solùm subsistentiam, naturam verò de connotato, seu in obliquo; Ergo unio hypostatica vi præsentis decreti facta est immediatè in subsistentia seu hypostasi, seu Personalitate Verbi: Ergo non immediate in natura: Ergo multo minus immediate in Communicatione Naturarum.

55. Adde, si unio in Communicatione naturarum facta est immediatè, humanitas Christi esset verè & realiter Deus, proinde esset Pater, & Filius, ac Spiritus Sanctus; vel saltem esset una de Personis Sanctissimæ Trinitatis; vel denique, ut minimùm, admittenda esset illa propositio, *Augustini de Roma*, Episcopi Nazareni, in Concilio Basileensi Sess: 22 inter alias damnata, vid. *Natura humana in Christo, est Persona Verbi.*

PROPOSITIO. VI.

Etiam de Potentiâ Absolutâ Unio hypostatica, neq; formaliter, neq; Consecutivè fieri potuit in Ubiquisticâ communicatione Naturarum.

56. PRæterquam enim, quod id ut supra diximus, in terminis ipsis implicet, necessario insuper importat naturarum interse σύγχυσιν ac Confusionem, quam vel ipsi Ubiquistæ detestantur. Cum enim Essentia, ac Natura quævis ex se præcisè sit indeterminata, (*substantia enim simplicitèr prolata*, ut benè Lugo Disp. 12. Sect. 1. n. 1. *supponit pro solâ rei naturâ, prout adhuc non dicit determinationem*) per solam subsistentiam, personalita-

nalitatem, vel ſuppoſitalitatem ad alicuius individui rationem; neceſſarió determinari debet. *Sola enim ſubſiſtentia*, (ut idem cum communi ſententiâ Diſp 12 Sect. 1. n 2 docet,) *eſt ultimus naturæ terminus, per quem natura redditur alteri incommunicabilis, & in ſe ſubſiſtens: Sivé per quem formalitèr ita terminatur in ſe, ut non debeat alteri communicari.* Vt enim in Metaphyſicis, Genus natura ſua indifferens, & quodammodo fluens, indeterminatumque eſt, quoad per ſpeciem contrahatur, & in certo Entis ordine collocetur, ita ſuo modo in phyſicis natura ac ſubſtantia, per ſubſiſtentiam intrinſecè terminari petit.

57. Videtur hoc ex parte aſſecutus fuiſſe etiam Behmius ex Suarez metaph Tom. 2. Diſp 34 Sect. 5. n. 10. ut ipſe memb. 2 n 11. ſe jactat. Vnde & num. 10. præmiſit. *Veram ſuppoſitationem fieri, non per extrinſecam terminationem ſubſtantiæ ſingularis à ſuppoſitalitate, qua quidditas illa ſingularis, ſuppoſitalitate, quaſi forinſecus concluſa coerceatur, ne dilapſa diffluat, concidatvè (ſicut æs marſupio; ſacco frumentum, liquor dolio, ridicula ſuppoſitatio!* ſed non ſupra acumen Prædicanticum) *ſed per intimam immigrationem, ſeu circumince ſſionem ſuppoſitalitatis, in quidditatem ſubſtantialem individuam.*

58. Si igitur Vnio Hyppſtatica inter naturas immediate fieret. Naturæ per ſe Indeterminatæ, neceſſariò ad invicem confunderentur, ut vel una ab aliâ quaſi abſorberetur, vel in aliam mutaretur, vel ex utraque tertium quoddam mixtum reſultaret.

59. Quæ abſurda ut illi Scholaſtici evitarent, qui cum Durando in 3 Diſtin: 5. Q 1. & alijs, apud Vaſquez D 26 dicunt, in naturis unionem factam; ut, inquam, ex eorum ſententiâ, nulla confuſio naturarum ſequeretur, admittunt in Trinitate ſubſiſtentiam abſolutam omnibus tribus Perſonis communem; Et conſequen-

quenter, teste eodem Vasquez D. 27. cap. 1. n. 3. etiam Thomistæ recentiores, dictam subsistentiam absolutam admittentes, docent naturam Divinam, ut abstractam à relationibus, Hoc est, quatenus est natura, seu forma non habens subsistentiam, non posse terminare naturam creatam: Quia ex naturis sic abstractè, & non ratione alicuius subsistentiæ unitis, non posset aliud conflari, quàm tertia natura, quod est impossibile.

60. Consuli hic potest primum Valentia lib. 2. cap. 4. sub finem; Deinde Vasquez D. 26. cap. 3. n. 16. Vbi ait, benè dici, *Vnionem naturæ humanæ factam fuisse cum Divinâ, non tamen dicendum factam esse in Divina.* Deinde Lugo Disp. 13. S. 3. n. 23. Vbi docet, Ex tribus naturis, cum eadem Personalitate, non resultare plures homines, vel Deos, sed unum tantum; & vice versâ de pluribus personalitatibus cum unâ naturâ, resultare quidem plures Personas, non tamen plures homines, vel Deos, quia Termini substantivi *Homo, Deus*, significant explicitè naturam, & valdè implicitè ac Confusè suppositum: Sicut è diverso persona, significat determinatè & explicitè subsistentiam, naturam verò in confuso.

61. His omnibus addi & illud potest. Si in communicatione naturarum Vnio hypostatica consistit, tolli mysterium Trinitatis. Datur enim ibi communicatio naturæ, proinde & unio hypostatica. Qua data, quomodo tres in Trinitate erunt hypostases ac Personæ?

PROPOSITIO. VII.

Admissâ Vbiquisticâ naturarum Communicatione, sequitur totam Trinitatem fuisse Incarnatam.

62. SI enim Patres, & omnis Ecclesia Primitiva, ex eo, quod unio hypostica terminari diceretur ad natu-

naturam Divinam, optimè inferebant, datâ ea suppositione, totam Trinitatem incarnari oportuisse, multò id magis sequetur ex Vbiquisticâ naturarum communicatione. Nam essentia, & natura Divina, quemadmodum est una, ac numero singularis, omnibusq; tribus personis communis: ita est Commune principium Operationum ad extra (operationes enim procedunt à naturâ, ita, *ut subsistentia non sit principium, sed tantum Conditio operandi*, uti docet Lugo D. 72. S. 2. n. 10) Vndè & *opera ad extra, dicuntur toti Trinitati communia*, quia eorum principium, ratio, & radix, est ipsa essentia Divina toti Trinitati Communis.

63. Quin & *ad intra* ex eo, quod Filius, participando communem cum Patre essentiam, quæ ex se est Principium, tum Generationis, tum Spirationis Activæ (subsistentiæ enim Divinæ, ut plurimùm tantum integrant principium operandi ad intra.) Est Patri ὁμοούσιος, & Consubstantialis, consequenter spirat cum Patre Originaliter Spiritum Sanctum. Quanto igitur magis, eadem Essentia naturaque Divina erit Commune principium Operationum ad extra, & consequenter ipsius Incarnationis? Quodsi verò, ex vi Vnionis hypostaticæ ad naturam terminatæ tota Trinitas fuisset incarnata, multo magis id sequeretur, si eadem Vnio hypostatica formalitèr consisteret in dicta Communicatione naturarum, aut illam immediatè sequeretur.

64. Solent hoc loco respondere Vbiquistæ cum Smidelino Thes. 172. *Si natura Divina, assumpsisset humanam, tres omninò personas incarnari oportuisse: Quia verò* λόγος, *sive solum* Verbum, èam assumsit, sive, quia assumptio facta est in personâ solius τοῦ λόγου, *Verbi*, nihil aliud hinc evinci, quàm Personam Verbi fuisse incarnatam. Sed *hæc Responsio* nihil habet momenti: Quia

non

non hic quæritur de personâ assumente, vel de termino assumptionis, eoque proximo & immediato, quem Vbiquistæ illam naturarum communicationem asserendo, dum ipsam naturam Divinam, (utique toti Trinitati communem) statuunt, debent etiam concedere totam Trinitatem fuisse incarnatam.

PROPOSITIO. VIII.

Nullæ Scripturæ Vbiquisticam naturarum communicationem adiuvant.

65. QVamvis enim tantoperè urgent suum illud, Col. 2. v. 9. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς: Primùm, nullam inveniunt Communicationis mentionem, sed tantum inhabitationis: aliud est autem *inhabitare plenitudinem Divinitatis*, vel etiam, ut ibidem, v. 3. *Abscondi omnes thesauros sapientiæ & scientiæ*; aliud verò communicari. Nequè enim ex eo, quod aliquis homo inhabitat domum, domus illa dicitur, aut est homo, aut formalitèr habet attributa hominis. Deindè si quam Communicationem Apostolus intendit, ea non est in natura, sed in supposito, cum non dicat, *in ipsa*, scilicet humanitate, sed *in ipso*, videlicet Christo, uti immediatè præcessit Christus autem non sola Humanitate, sed etiam supposito divino constat; in quo utiq; supposito, non tantùm personalitas verbi, sed *omnis plenitudo divinitatis inhabitat*: & quidem *Corporaliter* sive σωματικῶς, quia verè, & ex vi unionis hypostaticæ realiter, & non tantùm Vmbraticè, quemadmodum quondam in Angelis, & Prophetis Dei personam variè repræsentantibus. Videri potest Becanus de Incarnatione cap. 7. q. 3. n. 8.

PROPOSITIO. IX.

Sancti Patres, cum vetere Ecclesia, damnant Vbiquisticam Naturarum Communicationem.

66. S. Fulgentius, quæst. alterâ ad Ferrandum. *Deus unigenitus*, inquit, *acceptionem formæ servilis communem cum Patre, & Spiritu Sancto, non habuit: Quia non in Vnitate Naturæ, sed in Vnitate Personæ, solus Deitatem ad plenitudinem formæ seruilis accepit.* Nicetas Lib. 3. Thes. c. 11. *si carnem* inquit *humanam à natura Divina assumptam dixerimus, utiq; una patrem, & Spiritum Sanctum comprehendemus, cùm vna S. Trinitatis natura sit.* Anselmus lib. de Incarnatione Verbi C. 4. *Qui rectè suscipit Verbi incarnationem, credit, illud non assumpsisse hominem in vnitatem naturæ sed in Vnitatem personæ &c.* Patres Concilij Quinti Generalis contra Eutychianos, imò & contra Vbiquistas, jam olim, hunc in modum definierunt *Cum multis modis Vnitas intelligatur, Hæretici quidem aliquando impietatem Apollinaris, & Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum, quæ convenerunt, colentes, Vnitionem secundùm confusionem prædicant.*

67. Jam verò & concilium Toletanum sextum, & Vndecimum clarissime docent *solum Filium formam serui accepisse, in singularitate Personæ, non in unitate Diuinæ naturæ, in id, quod proprium est Filio, non quod commune toti Trinitati.* Cuius rationem apud Vasquez Disp. 28. cap. 1. Concilium VI. in hac verba adfert. *Nam si naturam hominis, Deiq;, alteram, in alteram confudisset, Tota Trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat, naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam.*

68. Ex quibus aliisq; Patrum definitionibus meritò Vasquez Disp. 27. c. 2. n. 5. Concludit *Veteri Ecclesiæ nullum aliud unionis genus in mentem venisse, quam vel in*

naturâ

naturâ, vel in personâ; & hoc quidem illi possibile agnoverunt, illud verò impossibile; adeo, ut ex eo, quod Vnio naturæ humanæ non facta fuerit in naturâ, colligant factam fuisse in Personâ ratione proprietatis personalis. Quæ Vasquij sententia planè cum Melancthonis censurâ supra Disq. 1. allatâ congruit.

DISQVISITIO, V.

An, & quæ duarum in Christo Naturarum Circumincessio sive περιχώρησις detur?

68. DE περιχωρήσει, & mutuâ Divinarum Personarum Circumincessione Sholastici ad 1 p consuli possunt, præsertim Suarez & Perez infra n. 84. citandi.

PROPOSITIO. I.

Vbiquistæ, ex vi Vnionis & Communicationis naturarum, asserunt Personalem earundem Circumincessionem.

69. SIcut enim cæteri Sectarij, ita & Vbiquistæ, proficiunt quotidie in deterius, & de unâ in alias Sectas, ac ferè semper monstrosiores labuntur. *Habens enim proprium hoc Hæretici,* ut ait S Gregorius 13 Moral: cap. 19 *quod in eo gradu, in quo de Ecclesiâ exeunt, diu stare non possunt: Sed ad deteriora quotidiè ruunt; & sentiendo peiora, in multis se partibus scindunt, atque à semetipsis plerumque longiùs confusionis suæ altercatione dividuntur.*

70. Non satis itaque Vbiquistis fuit, præsertim Recentioribus, fictam illam Naturarum Communicationem comminisci, nisi adderent, earundem circumincessionem. Quam quidem *post Conradum Ditericum p.* 33. *Catecheticarum Institutionum*, ita sibi propriam fecerunt, nostri Regiomontani, ut *Ioannes Behm*, cum suo *M. Michaele Eifflero*, duplicem Disputationem ei asserendæ typis evulgarit Anno 1630. In quâ quidem, præter multa alia, memb. 1. n. 7. Ac deinde memb 2 n. 5 & sequentibus, *non tantum possibilem, sed etiam actu factam esse*, probare nititur, tum ex Scripturis falsò allegatis n 6 7. Tum ex ipsius Vnionis qualitatibus n. 9: tum ex supposita, quamvis falsò, Vbiquistica scil. idiomatum Communicatione.

71. Inter alia notanda est definitio, quam memb. 4. n. 4. & 5. tradit in hæc Verba. περιχώρησις *personalis*, *est immeatio mutua duarum naturarum Christi* θεανθρώπου, *propter Vnionem illarum personalem ex Deitate proveniens; quâ, sine confusione, altera totaliter tota est in alterâ, nec altera extra alteram ullo modo, ut sit una persona composita, subiens in suâ Carne Verbificata mediationis officium.* Denique memb 5. & sequentibus consequentia, effecta, sive Consectaria, potissimùm verò Vbiquitatem, ex assertâ περιχωρήσει deducit. Idem docet Myslenta Disp. 4. Coll. Pruth: Thesi 26. n. 4.

PROPOSITIO. II.

Etsi non tota Trinitas, sed tantùm Persona Filij Incarnata sit, tota tamen Trinitas in Christo, & in Humanitate Christi inhabitat, tùm ratione immensitatis, tùm verò etiam peculiari alia ratione, per Concomitantiam.

72. PRimum fatentur ipsi Vbiquistæ, 3. Articulo in-

ter

ter Smalcaldicos, qui ita habet, *Non Pater, non Spiritus Sanctus, sed Filius homo factus est.* *Secundum* non negant. Debent enim, à fortiori, concedere toti Trinitati Omnipræsentiam ratione Attributi immensitatis, qui eandem Humanitati Christi attribuunt. *Tertium*, Contra Hugonem Cardinalem probant scholastici ad 3. p. q. 3. a. 4. Inter quos Vasquez D. 28. cap. 2. inter plura Patrum testimonia, adducit etiam Basilium Ep. 48. in hac verba. *Sicut in Catena, qui unius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso, simul alterum insertum trahit: Ita & hic, qui Spiritum Sanctum trahit, per ipsum unà simul trahit & Filium, & Patrem; Et, si quis veré Filium apprehenderit, habebit & ipsum, utrinque hinc Patrem illius, illinc Spiritum Sanctum unà compactum.*

73. Subiungit deinde Vasquez hanc rationem. Quia persona Verbi, ex vi Vnionis hypostaticæ, ita est in humanitate, ut, si per impossibile, ratione immensitatis non esset ubique, adhuc tamen, ratione Mysterij Incarnationis, esset in humanitate: Sed persona Verbi non potest esse sine Divinitate, cum Divinitate autem non possunt, non esse aliæ Divinæ personæ, quia ex natura rei non distingvuntur a Divinitate, ratione cuius una persona est in aliâ, & è contra; Ergò sicut in Sacramento Eucharistiæ (quod & Trident. Sess. 13. c. 3. & 5. docuit) directè, & per se, ex vi verborum Consecrationis, adest Corpus, & per Concomitantiam Sanguis, Anima, Persona Verbi & tota Divinitas; ita, ex vi Vnionis hypostaticæ, directé, & per se, inhabitat in Christi humanitate *Persona Verbi*, tum verò etiam Divinitas, &, ratione huius, per Concomitantiam, etiam aliæ Personæ; ita ut Pater, & Spiritus Sanctus, si, per impossibile, non essent præsentes humanitati Christi ratione immensitatis, potentiæ, & operationis, secundum ordinem gratiæ tamen fierent præsentes, ex vi Vnionis ad personam Verbi terminatæ.

 Tota

74. Tota hæc doctrina nititur cùm alijs Scripturæ locis, tùm illo potissimùm, *Ego in Patre, & Pater in me est* Joan. 10. v. 23: & 14. v. 10: & 17. v. 21. Vnde Vasquez loco citato ulterius infert. In utero Virginis, non tantùm ratione immensitatis, sed etiam ratione Vnionis hypostaticæ fuisse per Concomitantiam reliquas Trinitatis personas, esto, sola Persona Filij concepta & incarnata sit. Quia aliud est esse in utero, aliud veró concipi de utero: Ad hoc enim posterius, necessè est verificari omnia prædicata, quæ dicuntur de homine; Ad illud verò, non item. Consulatur Ragusa D. 52. Vbi refellit eos, qui dicunt Basilium, aliosque Patres, locutos esse de *existentia* Patris, & Spiritus Sancti, in humanitate, ratione identitatis cum natura Divina, *Hoc enim*, inquit, *non esset præsentes esse personas, sed naturam Divinam; Quia personæ in naturâ Divinâ, sunt natura, non verò Persona.*

PROPOSITIO. III.

περιχώρησις Vbiquistica non tantùm novitatem, sed etiam absurdas Hæreses multas involuit.

75. PRimum Quia de illâ neque Patrum, neque Scholasticorum veterum quisquam meminit; adeo, ut Ragusa loco citato dicat, *Quæstionem*, (Prop. 2. hîc explicatam) *non tractari ex instituto à Theologis Antiquioribus, sed recentiores tantùm aliquid dicere, & docere de eâ cœpisse.* Cùm igitur, (ut Augustinus, Vincentius Lirinensis cap. 9. 33. alijque Patres aiunt,) *Omnis novitas suspecta per se, in causâ verò Religionis etiam periculosa sit*: vel ob ipsam novitatē reprehendendi sunt Vbiquistæ. *Secundum* περιχώρησις Vbiquistica est formaliter ipsa Naturarum Communicatio, sive unio hypostatica, teste Di-

terico loco citato, & alijs. Quæcunque igitur hæreſes ex naturarum Communicatione fluunt, uti ſupra oſtendimus, & infra pluribus diſq. 20. oſtendemus, fluent etiam ex ipſa περιχωρήσει.

PROPOSITIO. IV.

Neque Sanctus Dionyſius Areopagita, neque Damaſcenus, neque ullus Patrum Vbiquiſticam Naturarum περιχώρησιν agnovit.

76. DVos ex omni Patrum numero, de nomine pro ſuâ causâ citat Behmius, ſed planè in caſſum. Nam, quod memb. 1. n. 2. ait, *Dionyſium*, Divin. Nom, cap. 2. par. 1. *& rei, & nominis meminiſſe*, manifeſtò falſum eſt. Tantùm enim ille *divinarum inter ſe perſonarum*, non verò naturarum in Christo, mutuam inter ſe *Immanentiam, vel potius* μονήν, id eſt *manſionem, & collocationem* numerat; inter ea quæ toti Trinitati communia par. 4. *edit. Corderij refert, & exemplo lucis ita declarat:* ἡ πάντων θέσις, ἡ πάντων ἀφαίρεσις, τὸ ὑπὲρ πᾶσαν θέσιν καὶ ἀφαίρεσιν· ἡ ἐν ἀλλήλαις (εἰ οὕτω χρὴ φάναι) τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων μονὴ καὶ ἵδρυσις, ὁλικῶς ὑπερηνωμένη καὶ οὐδενὶ μέρει συγκεχυμένη. Quæ Corderius ita vertit *Omnium poſitio* (videlicet communis eſt) *omnium ablatio; ſupra omnem poſitionem, & ablationem, mutua divinarum perſonarum* (*ſi ita loqui fas eſt*) *in ſeipſis manſio, & collocatio* (ἵδρυσις, ſedes) *in totum* (totaliter) *ſupra quàm copulata in unum, & non confuſa in parte ullâ.* Declarat id exemplo: καθάπερ φῶτα λαμπτήρων ὄντα ἐν οἴκῳ ἑνί, καὶ ὅλα ἐν ἀλλή-

ἀλλήλοις ὅλοις οὖσιν ἀκραιφνῆ καὶ ἀκριβῆ τὴν ἀπ᾽ ἀλλήλων ἰδικῶς ὑφισταμένην ἔχει διάκρισιν, ἡνωμένα τῇ διακρίσει, καὶ τῇ ἑνώσει διακεκριμένα &c. *Sicut Lumina lampadum, quæ ſunt in una domo, & tota ſunt in ſe totis viciſſim, non permixta, ac per ſe exiſtunt, perfectè inter ſe mutuò ſigillatim diſtincta, coniuncta in unum diſcretè, & diſcreta coniunctim.*

77. Quo loco, etſi (ut Corderius dicit) *pulchrè deſcribitur intima, & perfectiſſima inhabitatio unius perſonæ in alia, quàm Damaſcenus Lib. 1. cap. 11. vocat* περιχώρησιν, *Scholaſtici vertunt Circumince ſſionem*, tamen nulla περιχωρήσεως mentio fit. Vnde neque in *Onomaſtico ſuo Corderius* (in quo omnia propria Dionyſio vocabula, aut ſaltem difficiliora recenſet, & explicat) eius mentionem facit. Falſum perinde eſt, quod Behmius diſſert. 1. n. 2. dicit, *Dionyſium, tùm hac ipſa, tum ſimili voce, uſum eſſe.* Quod ſi demus in Dionyſio hoc loco jacta, ſaltem quoad rem περιχωρήσεως fundamenta, conſtabit, vel ex ipſo illius textu, illum tantum de divinarum perſonarum mutuâ in Trinitate, nullo verò modo de duarum naturarum in Christo περιχωρήσει agere; adeò, ut contra ſecundam noſtram propoſitionem, pro ſententia Hugonis ipſe Dionyſius citari ſoleat, n. 6. quodammodo innuens, Aſſumptionem naturæ humanæ, ita Perſonæ Verbi propriam eſſe, ut ea nulla ratione communis ſit Patri, & Filio, niſi *ſecundum communionem eiusdem conſilij & benignæ voluntatis* quatenus videlicet etſi *opera Trinitatis ad extra communia ſint*, tamen (ut ex citato Dionyſij loco Damaſcenus lib. 3. cap. 6. concludit) *Neque Pater, neque Spiritus Sanctus, ulla omnino ratione Incarnationi Dei Verbi Communicavit; ſi voluntatem, ac beneplacitum exceperis.*

78. Jam

78 Jam verò Damascenus, post Sanctum Cyrillum Alexandrinum nomen περιχωρήσεως, non modò in Mysterio Trinitatis, sed etiam Incarnationis, Lib. 3 c. 5 usurpat, sed Orthodoxè hoc est longè alio à nostris Vbiquistis sensu. Quod vel Lambertus Danæus Calvinista contra librum Kemnitij de duabus in Christo naturis, ex ipso Damasceno olim docuit. Tantùm enim vult Sanctus Pater ostendere, sicut in Divinis, Trinitas personarum non tollit Vnitatem essentiæ, in quâ Personæ omnes uniuntur, ita in Christo, pluralitas naturarum non tollit Vnitatem personæ, in quâ illæ quoque uniuntur. Quod quidem, vel ex ipsâ illius cap. 5. Conclusione liquidò patet. Sic enim scribit Damascenus *Quemadmodum igitur fieri nequit, ut tres Divinitatis personas, tametsi inter se junctæ sint, unam personam dicamus, ne alioquin personarum discrimen confundamus, ita fieri non potest, ut duas Christi naturas personaliter unitas, unam naturam dicamus, ne proindè earum discrimini exitium, confusionem, atque interitum afferamus.*

79. Magis autem ex libro 3. cap. 7 patere potest, quàm longè Damascenus à sententiâ Vbiquistarum abhorruerit, qui è diametro Communicationem Idiomatum, potissimùm verò Vbiquitatem ibi oppugnat. Cùm enim dixisset, *Christum esse totum Deum, & totum hominem; totum Deum, etiam unà cum ipsius carne; & totum hominem, adiunctâ etiam ipsius sublimissimâ Divinitate*; quasi Vbiquistis occurrens *Cum*, inquit, *Deum perfectum, & perfectum hominem dicimus, naturarum plenitudinem, nullius rei penuriâ laborantem declaramus; Cùm autem totum Deum, & totum hominem, individuam personæ singularitatem ostendimus.* Tandem omnipræsentiam Carnis expressis verbis negans. *Verbum*, inquit, *totum incarnatum est, & tamen totum ab omni Circumscriptione alienum est, Corpore minuitur, & contrahitur, Divinitatis autem ratione circumscriptio-*

ptionem omnem respuit. Neque enim *ipsius Caro, unâ cum Divinitate, quæ ab omni circumscriptione remota est, se porrigit, & extendit. Ergo, totus quidem Deus perfectus est, at non in totum Deus; neque enim solum Deus, sed etiam Homo: totusque item homo perfectus, at non in totum homo; non enim duntaxat homo, sed etiam Deus.*

80 Denique ipse Behm. Dis. 1. memb. 1. n. 8. coactus est fateri, Damascenum capite citato, tribuere quidem naturæ divinæ *immeationem* in humanam, & simul *immanentiam*. At verò humanæ solam *immanentiam* Quæ quantopere περιχωρήσει Vbiquisticæ repugnent, vel è sequente propositione patebit. Interim ecce Damascenum ipsum à Behmio memb. 2. n. 21. inductum ita c. 7. loquentem. ἰστέον δὲ, ὡς εἰ καὶ περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις, τὰς τοῦ κυρίου φύσεις φαμὲν, ἀλλ' οἴδαμεν ὡς ἐκ τῆς θείας φύσεως ἡ περιχώρησις γέγονεν. αὐτὴ μὲν καὶ διὰ πάντων διήκει καθὼς βούλεται, καὶ περιχωρεῖ· δι' αὐτῆς οὐδέν. Id est *sciendum autem, quod, etsi divinas inter se naturas mutuò commeare dicimus, novimus tamen, quod ea Commeatio à natura divina facta sit, illa enim* (videlicet natura Divina) *omnia, prout vult, pervadit, & permeat, illam autem nihil.* Neque alius est sensus locis alijs à Behmio citatis, videlicet cap. 5. & 17. Præsertim, si ea, quæ Disq. seq. dicemus, serventur.

PROPOSITIO. V.

Personalis duarum in Christo naturarum περιχώρησις, excogitata ab Vbiquistis, implicat in terminis.

81. QVia neque περιχώρησις, neque Personalis

dici

dici poteſt. *Non Primum* : *Quia* περιχωρεῖν (ſunt Verba ipſius Behm. memb. 1. n. 5. & 8) *ſignificat circuitu redire, ut ita* περιχώρησις *idem ſit, atque Reditus, Acceſſus, Comprehenſio per Circumitum, quæ alijs nominibus, æquipollenter dici poteſt Immeatio, Immanentia, Immanſio, Permeatio, Circumceſſio, Circuminceſſio, Recurrentia, Refluentia, Mutuus naturarum ingreſſus.* Colligitur id ipſum ex Myſterio Trinitatis, ubi Perſona una Divina, ita eſt præſens & permeat alias, ut viciſſim immeetur ab alijs præſentibus, & in ſe verè, realiterque exiſtentibus, atque ſic quaſi Circuitu quodam, per alias, & cum alijs, in ſeipſam redeat, juxta illud commune Theologorum deſumptum ex Auguſtino Lib. 6. de Trinit: c. ult. *Singula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

82. Sed in duabus Chriſti naturis etſi Divina humanam permeet, & inhabitet, non tamen viciſſim immeatur, aut inhabitatur, adeo, ut & *Liber Concordiæ* (teſte Buſæo theſi 38 & 41.) fateatur *Divinitatem humanitati, non è contra humanitatem Divinitati realiter communicatam eſſe*; Et Behmius, quanquam memb. 1. n. 11. & memb. 2. n. 3. 4 verbo concedat mutuam naturarum permeationem, re tamen ipſa nuſquam concedit, Divinam ab humanâ immeari, quin potius, ut præcedenti prop: vidimus, cogitur cum Damaſceno & Orthodoxis, Divinæ quidem tribuere *Immeationem, & Immanentiam*, humanæ verò tantùm *Immanentiam*. Ergo inter duas Chriſti naturas non poteſt dari vera περιχώρησις qualis in Trinitate reperitur, quod tamen falſo ſupponunt adverſarij præſertim Myslenta D. 4. Theſ. 26. & 27.

83 Confirmatur ex eo, quod Vbiquiſtæ docent, proprietates, & Idiomata Divinæ communicari humanitati omnia, non tamen è contra omnia humanitatis Divinitati, ut Diſq. ſequente patebit; & inſuper clariſſime

á Damaſceno, Loco ſupra Citato'. ſubiungitur ex verſione Billij *Atque ea quidem* (videlicet natura diuina) *dotes ſuas ac prærogatiuas carni impertit cùm interim ipſa ab omni iniuriâ immunis, carnisque affectionum expers maneat.*

84 *Neque etiam ſecundum dici poteſt* Quia ſi daretur aliqua περιχώρησις non tàm *Perſonalis* quàm *Eſſentialis*, aut *Naturalis*, dicenda eſſet. Neque enim perſona una aliam immeat (cum in Chriſto unica tantum ſit perſona) ſed eſſentia eſſentiam, ſeu natura naturam. Sicut igitur in Diuinis, eſto Vnitas & identitas eſſentiæ, ſit adæquata ratio mutuæ perſonarum inexiſtentiæ, & Circumincessionis, non tamen ſola eſſentia, ſed etiam perſona vna aliam verè immeat, idquè non tantum ratione Relationis (*quatenus vnum relatiuum reſpicit aliud, illique quodammodo præſens eſt*) aut productionis per actum immanentem (*quatenus productum eſt in producente*) Sed etiam, (ut bene Suarez Lib: 4. de Trinit: c. 16 n. 6. Martinus Perez de Trinit: D. 8. S. vlt: Raguza de Incar: Diſp 52. docent) ratione ſui, & ratione propriæ ſibi immenſitatis.

85. Habent enim Perſonæ Diuinæ, non tantùm ratione eſſentię, ſed etiam ratione Perſonalitatis ſuæ propriam ſibi Immenſitatem, ſiue Vbi immenſum, vt per illud ſint vbiquè præſentes, tum intus in Diuinis, tum extra in Creaturis: quæ quidem præſentia non eſt aliqua vnio realis inter perſonas, præter Vnitatem naturæ; neque eſt ſola indentitas in Natura, Quia ſic non diceretur eſſe vna perſona in alia, ſed potiùs vna eſſe alia. Ergo eſt ratione Circumincessionis: Ergo cùm Circumincessio non poſſit concipi, niſi per modum cuiuſdam motus, â termino debet ſumere denominationem: Ergo, cùm terminus non ſit Eſſentia ſeu natura, ſed Perſona, (Perſonæ enim mutuò ſeſe inmeant, non verò eſſentiæ) Circumincessio in Diuinis, dicenda erit perſonalis. E contra verò, ſi in Chriſto daretur duarum naturarum περι-

χώρησις, non esset dicenda personalis, sed potius essentialis. Quia non persona, sed essentia terminus illius est.

86. Hinc meritò Busæus in Apologetico ad Thesim 26. & 47. pag: 68 *Cùm* inquit, *Vnio Personalis secundùm Vbiquistas consistat in naturarum communicatione, vel saltem sine reali naturarum Communicatione, secundùm eosdem non possit esse realis, sequitur vnionem personarum reipsa esse essentialem; sicut in Mysterio Trinitatis, quia natura diuina, non verò Persona Patris, realiter est communicata duabus personis, Communicatio est, & dicitur essentialis.* Et consequenter, quemadmodum in Trinitate, ita in Mysterio Incarnationis, erit una natura, quod voluit Eutyches. Si enim in Trinitate fuisset Communicatio Personæ, & non tantùm Naturæ, una tantùm Persona fuisset Sanctissimæ Trinitatis. Ergo si in Christo est communicatio naturæ, una tantùm erit Christi natura.

DISQVISITIO. VI.

An, & quæ Idiomatum Communicatio inter duas Christi naturas detur?

87. VBiquistæ veritatem, & Terminos à Patribus, Ecclesiaque positos, semel prætergressi, ad Calumnias iterum more suo convertuntur, cùm (Duce Myslenta Dis. . Thes. 47.) Catholicos, & Jesuitas, inter Hæreticos, personam Christi impugnantes numerant, ob negatam scilicet idiomatum communicationem.

PRO-

PROPOSITIO. I.

Datur vera, & Propria Idiomatum communicatio, quam Græci vocant ἀντίδοσιν, ἰδιοποιΐαν &c.

88. Cùm enim detur vera, propria, & Hypostatica duarum naturarum, in Persona Verbi, unio, imò & mediata, (ut supra diximus) earundem Communicatio, dabitur consequenter Vnio & Communicatio idiomatum, quia idiomata nihil sunt aliud, quàm attributa & proprietates, sive conditiones, & affectiones, naturam quamque per se, & naturalitèr consequentes. Sicut igitur Vnio, & Communicatio naturarum, fit immediatè in subsistentiâ, & personâ, ita etiam proprietatum, ut licet de naturis mutuò prædicari in abstracto nequeant (neque enim dici potest *Deitas est homo*, aut è converso *Humanitas est Deitas*) prædicentur tamen de communi Personâ saltem in Concreto v. g. *Homo est Deus*, & vicissim *Deus est homo* &c. Quod quidem, præter Theologos, etiam Patres docuerunt. Quos inter Damascenus cap. 4. *Cùm de Divinitate*, inquit, *loquimur non dicimus Passibilem, aut creatam, neque humanitatem dicimus Increatam, & Incircumscriptam. At cùm de Personâ verba facimus, sive ab utraque parte simul, sive ab altera, utriusq. naturæ propria ei imponimus.*

PROPOSITIO. II.

Dicta Idiomatum Communicatio, non est tantum merè Verbalis, sed, suo quodam modo, realis.

89. Hinc Bellarminus cap. 9. varijs Patrum testimonijs probat, *non esse quidem respectu naturarum, esse ta-*

esse tamen respectu Hypostasis utriusq; naturæ realem. Ad quem Bellarmini locum Daniel Tilenus Calvinista non malè notat. *Communicationem* Idiomatum *diverso respectu, & verbalem, & realem dici posse. Verbalem quidem, non quòd sit ficta, aut nihil nisi verba det; sed quod pertineat ad rectam verborum seu Phrasium expositionem, cùm de duabus Christi naturis oppositè quæritur. Realem verò cùm de naturis, non oppositè sed compositè, in persona agitur; Item cùm utriusque naturæ proprietates cum ipsa persona communicantur.*

PROPOSITIO. III.

Communicatio Idiomatum usitatius, imò, & verius dicitur Verbalis, quàm Realis.

90. IN divinis, præter Relativas personarum oppositiones, omnia absoluta sunt unum & simplicissimum quid, uti multis sublimissime Dionysius sæpe docet. Ergò cùm attributa solà ratione, & nominum, sive appellationum diversitate varient, eorum communicatio, non tàm Realis quàm Verbalis; (quippe quæ ad nominum, verborumque, circa unam eandemque Divinitatis entitatem diversorum explicationem, & intellectum pertinet) dicenda erit. Atque hinc idem Dionysius divinum illud volumen, (quo hoc ipsum de Attributorum, proprietatumque divinarum distinctione argumentum tractat) inscripsit περὶ θείων ὀνομάτων, id est *de Divinis nominibus.*

PRO-

PROPOSITIO. IV.

Vnionem Hypostaticam, non tantùm aliquorum, sed prorsus omnium Idiomatum, communicatio necessariò consequitur.

91. HÆc propositio est contra primos Vbiquitatis Parentes, præsertim verò contra Kirchnerum, Selneccerum, & Kemnitium Libri Concordiæ Architectos; qui & Catholicorum argumentis, & testimonijs Patrum victi, nequicquàm repugnante cum suis Tubingensibus Smidelino (teste Busæo ad Thesim 63.) *coacti sunt fateri, non omnes omnino, sed certas quasdam Divinitatis proprietates, humanitati esse communicatas.* Quorum vestigia secutus Stephanus Gerlachius, attributa divina bifariam dividit; ita ut alia *sint actus substantiales, & Energitici essentiæ divinæ*, v. g. Vita, Sapientia, Sanctitas, Misericordia, Justitia, Potentia &c. Atque hæc dicit Humanitati immediatè communicari, ut ita humanitas dici possit omnipotens, omnipræsens, omnisciens &c. Alia verò dicit *ipsius essentiæ divinæ propria*, ut esse à se, esse suam essentiam, esse æternum, esse Increatum &c. Atque hæc negat communicari potuisse, aut non nisi mediatè communicata esse *nisi forte*, ut ipse subdit, *Eutychianam confusionem admittere, vel certè insanire velimus.*

92. Sed jugulantur suismet armis & *Refelluntur*, *Primo* illo Pauli loco Colos. 2. v. 9. quem in omni acie primum Achillem statuunt. *Si enim in Christo, inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, omnia utriusque generis attributa communicari Humanitati debuerunt; aut, si aliqua communicata non sunt, non *omnis plenitudo inhabitat.* Valet enim hîc illud Ambrosij. de fide Lib. 3. c. 6. *Cum omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter filius habeat, quid est, quod Patri amplius æstimant adscribendum,*

dum, cùm amplius nihil ſit plenitudine, & plenitudo perfectio ſit?

93. *Refelluntur* 2. Teſtimonijs Patrum, præſertim Damaſceni Lib 3 cap 4 Caſſiani Lib 3. de Incarnat: cap 22. alijsque à Buiæo, Valentia, Bellarmio adductis; quibus ipſe Gerlachius coactus eſt fateri, *Patres à Communicatione Idiomatum nullam Divinitatis, humanitatisque proprietatem removiſſe, ſed omnes Perſonæ viciſſim tribuiſſe; Eo quod illa perſona* (quod ſanè Catholicorum fundamentum eſt) *ſimul Deus, & homo eſſet.*

94 *Refelluntur* 3 Ratione, Attributa divina ita ſunt quid unum, atque idem in ſe, ut non tantùm omnia in eſſentiâ, ſed etiam unumquodque in altero, omniaque in uno, tanquam per ſe infinito, & immenſo, contineantur; quemadmodum præter Scholaſticps probat Auguſtinus Lib. 6 de Trinitate cap. 6.7. & 10: & Lib. 15. cap. 5. Et Confeſſ. Lib. 13 cap 16. Anſelmus in Monologio cap. 16. Bernardus Sermo: 80. in Cantica Richardus Victorinus de Trinitate Lib. 1 cap. 11. & 18: & Lib 2 cap 18 Ergo cùm in ſe ſint penitus indiſtincta, & indiviſa, unum ſine alio communicari non poteſt; aut, ſi unum communicatur, alia omnia communicari neceſsé eſt. Secus porrò eſt de *ſubſiſtentia*, quæ cùm neque ſit de intrinſecâ ratione ſubſiſtentiarum, aliarum perſonarum, neque inſuper ſit unum ex attributis, (quia non eſt quid abſolutum) communicari citra communicationem aliorum attributorum potuit.

PRO-

PROPOSITIO. V.

Vbiquiſtica Attributorum communicatio, neque formaliter conſtituit unionem hypoſtaticam (*quod voluit Brentius, & Smidelinus apud Bellarminum cap. 8.*) neque eam proximè, ne dicam neceſſario, conſequitur, *quod docuit Kemnitius apud eundem cap. 9. & Leon. Hutterus* loco 3. n. 11. videlicet ad ſenſum Form. Concordiæ pag. 766.

95, PAtet *Primo*, quia Pater in divinis, communicat Filio omnia attributa, & tamen per id non unitur Filio hypoſtaticè *Patet* 2 Attributa divina ſunt communia toti Trinitati. Ergò ſi unio hypoſtatica conſiſteret in Communicatione Idiomatum tota Trinitas fuiſſet incarnata. Quod, multo verius eſt in ſuppoſitione Brentij, aliorumque Vbiquiſtarum; qui ex eo, *quod Petro Communicarentur attributa divina, ita ut Petrus eſſet omnipotens, omnipræſens &c.* conſequenter inferunt *Petrum fore Deo hypoſtaticè unitum*: Ergo cùm omnipotentia, omnipræſentia, aliaque attributa ſint communia toti Trinitati, neceſſarió ſequetur totam Trinitatem fuiſſe incarnatam, quia ex ſuppoſitione adverſariorum, unio hypoſtatica formaliter conſiſtit in Communicatione idiomatum, vel ſaltem eandem neceſſario infert.

PROPOSITIO. VI.

Vbiquiſtica Idiomatum Communicatio, quam adverſarij realem vocant, neque de facto datur, neque abſolutè dari poteſt.

96. PRobatur *Primo* Multa ſunt è divinis attributis, quæ

quæ *communicari humanitati non possunt*, quemadmodum Patres Concordiæ, & , inter Tubingenses, Gerlahius fatetur; *ut esse Increatum, esse Infinitum, esse actum purum, esse Spiritum, &c.* Ergo si aliquod communicari non potest, ne alia quidem communicari possunt, cum (ut supra vidimus, & bene Becanus cap. 7. Q. 3. urget) unumquodq; ex se infinitum sit, cæteraq; omnia in se contineat. Accedit quod ipsa caro, & humanitas Christi ex se ne unius quidem sit capax, ac facilius sit foueæ, S. Augustino obiectæ, immensum mare infundi quam ab humanitate, vel unicum divinorum attributorum capi:

97 *Probatur secundo* si Humanitati Christi attributa Divina communicarentur, possent de illa contradictoria prædicari v. g. esse finitam, & non finitam, esse ubique Circumscriptam, & non esse ubiq; circumscriptam &c. Neq; ad rem facit quod adversarij dicunt, esse *finitam in se, infinitam verò* ratione *Vnionis hypostaticæ*. Sic enim dici posset, Relationem Paternitatis in Divinis esse incommunicabilem ratione sui, communicabilem verò ratione communis essentiæ cui identificatur: similiter & *corpus humanum* dici posset *ratione sui visibile, mortale, diuisibile &c.* At vero ratione animæ, cui unitur *inuisibile* &c. Sed neq; illud valet, quod dicunt, *Humanitatem naturaliter fore finitam, supernaturaliter veró infinitam*. Sic enim Contradictoria saltem supernaturaliter verificari possent.

98 *Probatur tertio* si communicarentur proprietates, non essent amplius proprietates: quomodo enim proprium dici potest, quod est commmune alteri? quomodo item naturæ inter se differant, & non potius inter se confundantur, si & naturarum, & proprietatum, naturas consequentium, communicatio admittatur! Neq. est, quod patres concordiæ cap. 8. Kemnitius cap 21. alij que dicant, ex eo non confundi proprietates, quia e-

ſto divinæ communicentur humanitati non tamen è contra humanæ Divinitati. Hoc enim ut Prop. 4. vidimus, pugnat non tantum cum Damaſceno Lib. 3. cap: 4. verùm & cum omni Eccleſiâ vetere, quæ planè mutuam idiomatum communicationem eſſe docuit.

99. *Probatur* 4. Duæ in Chriſto naturæ in ſolâ ſubſiſtentiâ uniuntur, igitur ſolam ſubſiſtentiam communem habent; Ergo conſequenter cætera omnia propria retinent. Atque hinc minime inferre licet cum Smidelino, Attributa naturæ unius, nihil ad naturam alteram pertinere, aut nihil cum illa commune reipſa habere. *Nam* (ut bene Valentia Libro 2. cap. 4 reponit) *habent eandem hypoſtaſim inter ſe communem*, quo ipſo, quæ ſunt unius naturæ, ad alteram eatenus maximè pertinent, quatenùs pertinent ad ipſius perpetuam hypoſtaſim.

100 *Probatur* 5. *Similitudinibus*, quibus Patres declarant, per Incarnationem, non læſâ Divinitate, perfici humanitatem, quaſque ipſi Vbiquiſtæ afferre ſolent v. g. *de Animâ humanâ corpori unitâ*. Sicut enim ex reali illa unione, non poteſt dici anima ſedere, eſurire, currere, &c. neque è diverſo corpus diſcurrere intelligere, deliberare &c neque enim (ut loquitur de ijs S. Auguſtinus Lib. contra Felicianum cap 11) *Ex vi unionis perdunt propria, ſed quia in Vnum atque inſeparabile convenerunt, ex proprijs videntur facta communia &c*. Similiter in *ferro ignito*, non eſt verum dicere, ferrum eſt ignis, aut è converſo, ignis eſt ferrum; cùm tamen, ex vi unionis hypoſtaticæ, & Deus dici poſſit homo, & homo Deus.

101. Neque illud verum eſt, quod falſiſſimè, & contra ſenſum communem ſupponit planè ἀναλόγητος καὶ ἀνόητος Kemnitius, videlicet, ignitum ferrum retinere naturales ſuas proprietates. duritiem. nigredinem, frigus &c. quòd enim hæc, recedente igne, in ferro appare-

pareant, non tam, quæ latebant, apparent, quàm quæ abierant redeunt.

PROPOSITIO. VII.

Ecclesia vetus, & Patres omnes Vbiquisticam Idiomatum communicationem condemnarunt.

102. ETsi nusquam magis, quam in hac causâ sectarij, ad Ecclesiæ veteris testimonia, more suo corrupta, aut pravè detorta appellent, nusquàm tamen magis quàm hic judicio Patrum succumbunt. Patres enim Concilij Chalcedonensis actione 5. *Christum*, inquiunt, *Confitemur unum Dominum in duabus naturis inconfusè, incommunicabilitèr, Indiuisè, Inseparabiliter cognoscendum, nullâ Naturarum differentiâ sublata propter vnionem, sed salva magis utriusq; naturæ proprietate, & in unam personam, ac subsistentiam concurrente Vnigenitum Filium, & Deum Verbum agnoscimus.* Hoc testimonium eò firmius est, quod & in Appendice Concordiæ numeretur, & à Smidelino ultrò, sub anathemate recipiatur; & deniq; in simili planè causâ, à Concilio pronunciatum sit, contra Eutychianos, non tàm supposita, quàm naturas, naturarumque proprietates in Christo confundentes.

103 Huc pertinet illud Leonis ad Flavianum in eodem Concilio Chalcedonensi approbatum, imo (ut Appendix Concordiæ loquitur) *Instructionis siue normæ instar habitum.* Sic enim Leo cap 3 loquitur, *salua proprietate utriusq, naturæ & in unam coeunte personam, suscepta est à Maiestate humilitas, à virtute infirmitas. Et cap. 4. sicut Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate: agit enim utraq; forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est; unum horum coruscat miraculis; alterum succumbit iniurijs.* Eandem sententiam Agatho

Pontifex, in Epistola à synodo Sexta Generali, (quę Constantinopolitana III.) probatâ, actione quartâ explicuit. Tribuit enim Christo *omnia duplicia* videlicet *naturas*, *proprietates*, *voluntates*, *operationes*, *sola subsistentia excepta quæ est una*.

104 Et Sanctus Athanasius, *Lib. de salutari aduentu* Christi. *Deus Verbum in patiente corpore, impatibilitatem, in moriente immortalitatem &c. declarauit Cur non creditis patibilem esse Christum quatenus est homo, impatibilem autem quatenus Deus?* Similiter Cyrillus lib 5 de Trinitate & lib 10. Thesauri cap 7. *sic inquit quæ de Christo dicuntur intelligenda sunt, ut nec, quæ Deitati conueniunt, humanitati ipsius tribuantur, nec quæ humanitatis propria sunt, ad Deitatem ipsius detorqueantur.* Et Theodor Dial. 2 *Cum de naturis loquimur, suum cuiq; tribuamus: Cum autem de Persona verba facimus, communicanda sunt naturarum propria.*

105 Deniq; Fulgentius Lib de Incar Cap. 2. *In Christo Dei Filio, personam non diuidunt naturarum propria; nec vnitas personæ, potest utriusq; naturæ propria confundere, vel auferre.* Huc pertinet Augustinus serm 191. citari solitus sub nomine Hieronymi cui pleriq; idem dictum tribuunt. Neque alia sententia eorum quoque fuit, quos Vbiquistæ pro se torquent. Nil enim aliud volunt (ut Valentia Lib. 2 Cap. 5. notat) Quàm *Plenitudinem Diuinitatis*, re ipsa fuisse humanitati hypostaticè communicatam, id est, *non ut humanitas sit ipsa plenitudo Diuinitatis, sed ut per illam subsistat.*

PROPOSITIO. VIII.

Patres, & omnis Antiquitas, sicut in hac, alijsque horum temporum controversijs Catholicè senserunt, ita Catholicè intelligendi, explicandiq; sunt.

106. PRæterquàm enim, quòd veteres quoque H...

tici, aliqua de ſuo fermento ſcriptis Patrum aſperſiſſe feruntur, ipſi Patres nonnulla, in illâ Eccleſiæ pace ac tranquillitate eo ſecurius ac liberiùs protulerunt, quó eſſe minùs, vel fore ſperabant, qui vel Eccleſię contradicerent vel eorum ſcriptis abuterentur. Itaq; dici in cõmuni de unoquoq; poteſt, quod S. Auguſtinus Lib. 1. Primæ Reſpon. contra Iulianum cap. 2. de Sancto Chryſoſtomo dixit. Cum enim Pelagiani dictum quoddam Chryſoſtomi, pro ſuâ hæreſi traherent, ita ijs ab Auguſtino reſponſum eſt. *Cur putamus eum ita locutum, niſi quia diſputans in Eccleſia Catholica, non ſe aliter intelligi arbitrabatur. Tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus ille ſecurus loquebatur.*

107 Concedere id vel inviti debent adverſarij, qui cum Behmio mèmb. 1. n. 9. expreſſe fatentur, *Patres ante certamen Eutychianum voce Mixtionis* (ſcil. in cauſa unionis hypoſtaticæ) *uſi ſunt, ut patet ex Form. Concord. nobis pag. 765 dubio procul ad retundendam* παράστασιν *Neſtorianam, & indigitandam ex omni parte plenam illam naturarum immanentiam. Sed hanc, propter abuſum eius ab Eutychianis commiſſum, dimittere iuſſit Eccleſiæ recentioris authoritas prouidaq; cura.* Deniq; hic locum habet illa Sancti Hilarij 4. de Trinit. regula. *Intelligentia dictorum, ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei ſermo eſt ſubiectus.*

PROPOSITIO. IX.

Nullæ ſcripturæ, pro Vbiquiſticâ Idiomatum communicatione, militant.

108. QVod enim urgent Math. 11. v. 17. *Omnia mihi tradita ſunt á Patre meo*; & Mat. 28. v. 20. *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cœlo & in terra.* Primùm, commodè utrumq; intelligi poteſt, de æterna Filij ex Patre

Generatione, per quam & omnipotentiam, & omnia à Patre accepit. Deinde dici potest, etiam secundum humanam naturam, accepisse omnia Divina, non tamen immediatè in se, sed in supposito Divino. Cum enim natura humana ad suppositum divinum assumpta sit, habet in eo supposito omnia, quæ ipsius Divinitatis propria sunt. Denique, etsi humanitas non habuerit in se immediatè communicatam sibi omnipotentiam, omnipræsentiam, aliaque attributa Divina, habuit tamen eminentem potestatem in omnes Creaturas, quacunque aliâ creatâ potestate longè maiorem, ut illis præesset, & in eas jus haberet.

109. Ex quo tamen non sequitur illam omnia posse, quæ Deus potest; vel ubique esse, ubi Deus est, quia potest jus habere, imò & exercere in rem etiam absentem. Quo pacto inter homines Rex, in universum regnum jus habet, & exercet, quamvis vix unum Angulum regni, vel domus præsentiâ sua occupet. Nisi fortè adversarij negent, Christum absentem cognoscere, atque administrare ea posse, quæ regij muneris sunt, de quo infra Disq: 12.

PROPOSITIO. X.

Ex potestate dimittendi peccata, non potest evinci omnia Idiomata, realitate Vbiquisticâ, Christi Humanitati esse collata.

110. NOn leve sibi hic perfugium adversarij statuunt, dum ita argumentantur. Potestas remittendi peccata citra dubium est Divina, *Quis enim, potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Marc: 2. v. 5. Ergò, cùm ex eodem scripturæ loco, & Matth: 9. v. 6. constet eam Humanitati Christi communicatam esse, etiam reliqua

Attri-

Attributa Divina communicari oportuit. Sed argutatio Vbiquistica nil est, nisi cassa nux, nisi fortè velint etiam Apostolis Vbiquitatem, aliaq; idiomata communicatũ ire, quia Ioan. 20 v 23. Apostolis *potestas remittendi peccata* communicata fuit. Quamvis igitur Christi humanitas, quô supra Apostolos, vi vnionis hypostaticæ erat Divinitati coniunctior, eò plus ad remittenda peccata habuit potestatis, tamen etiam illa operabatur uti Instrumentum Divinitatis suæ. Quod ipsum contra se Disq 11. p. 3. ultro fatebuntur adversarij,

DISQVISITIO. VII.

An, & quomodo Idiomata duarum in Christo naturarum de unâ Christi Personâ prædicentur?

111. PLuribus hæc Scholastici ad 3. p q. 16. præsertim verò Lugo Disp. 23. Vasquez Disp. 63. Ragusa Disp. 118. Becanus cap. 7.

PROPOSITIO. I.

Sicut diversarum in Christo naturarum, diversa sunt attributa, ita diversæ sunt, de eadem Christi Personâ, in duabus naturis subsistente, prædicationes.

112. ESto enim repugnet, proprietates unius naturæ communicari alteri, non tamen repugnat communicari uni, quæ utriq; naturæ communis est, personæ:

sonæ: Ergo cùm proprietates sequantur, non personam (sic enim in Christo, cùm una tantum sit persona, unius tantùm generis proprietates essent) sed naturam; duarum in Christo naturarum proprietates, uni eidemq; Christi personæ, ita communes erunt, ut non tam desinant (quemadmodum eveniret, si naturis communicarentur juxta Disq. 6. prop. 6.) quàm incipiant proprietates esse, eo modo quo & ipsæ naturæ, quarum proprietates sunt, vi Vnionis hypostaticæ uni illi personæ propriæ sunt: Ergo ad diversa diversarum in Christo naturarum attributa, sequentur diversæ de Persona Christi prædicationes.

PROPOSITIO. II.

Veritas diversarum de Christi personâ enunciationum unitate, & identitate ὑποστάσεως, seu suppositi nititur.

113. Cùm enim *modus prædicandi*, ut est axioma Logicum, *sequatur modum essendi*, ita ut nihil affirmari de alio possit, nisi sit aliquo modo idem cum illo; ne idiomata quidem secus de se prædicari possunt, quàm sibi identificentur. Atqui ratione tantùm suppositi divini, & subsistentiæ, utriq; naturæ communis, sibi identificantur, (duæ enim naturæ ratione solius subsistentiæ divinæ unum CHristum, seu unam Christi personam constituunt) Ergo non aliâ, quàm eiusdem identitatis ratione de se prædicabuntur, juxta illud S. Leonis ep. 83. *Non interest ex qua Christus substantiâ nominetur, cùm inseparabiliter manente unitate personæ, idem sit & totus filius hominis, propter carnem; & totus Dei filius, propter unam cum Patre substantiam.*

PROPOSITIO. III.

De Christo prædicantur divina juxta ac humana, non quidem secundum eandem indifferenter naturam, sed secundum eandem personam. Humana enim ratione naturæ humanæ, divina vero ratione divinæ conveniunt & prædicantur.

114. QVod ut ritè fiat, sequentes Regulæ, quibus Theologi, Patres, & omnes Orthodoxi nituntur, observandæ sunt.

PRIMA. *Divina & humana prædicantur de Christo in concreto*, ita ut quæcunq; sive essentialiter, sive notionaliter affirmantur de Verbo, affirmari possint etiam de Christo: v. g *Deus est homo*, *Deus est passus*, *mortuus*, *crucifixus &c* & é converso, *Homo est Deus*, *Hic homo est filius Dei*, *Christus est genitus ante Abraham*: *est creator cœli & terræ*; *est Spirator Spiritus Sancti &c.* de quibus Suarez Disp 35. Sect 5.

115 Quanquam verò propositio illa *Deus est homo*, non sit in materiâ necessariâ, sed contingente, (præsertim si terminus hic, Deus, ut Becanus cap 7. q 2 §. 4. bene notat, non tam pro Personâ Verbi, quàm pro persona naturæ divinæ sumatur,) quippe cum potuerit contingere Deum non esse hominem: & quanquam insuper, eadem illa propositio non est *in Primo*, *aut Secundo modo dicendi per se*, cum prædicatum neq; de essentiâ subiecti sit, neq; necessariam cum illo connexionem habeat: est tamen vera & propria: non minus (quod contra Durandum l c. Lugo probat) ac illa, *Petrus est homo*, quia Concilium Ephesinum definivit, B. V. MARIAM verè & propriè θεοτόκον esse Ratio horum est, ut idem Lugo notavit, quia in prædictis enunciationibus, semper re-

ctum prædicati & subiecti est omninò idem, videlicet Suppositum divinum, utriq; naturæ illi commune.

116. SECVNDA *Idiomata non possunt ullo modo prædicari in abstracto* : Neque enim valet, Deitas est humanitas, vel Deitas est homo: aut è contra, Humanitas est Deitas, vel Humanitas est Deus: Neq; mortalitas est immortalitas, neq; Humanitas est Omnipotens, Omnipræsens &c. Quod quidem, *& ratio evincit*, quia significatum in recto, ex parte prædicati, non potest esse idem cum significato in recto ex parte subiecti: *& ipsi Concordiæ Patres* in Appendice ultro *concedunt*, dum expresse fatentur, Concreta vocabula in Christo, pro tota personâ supponere; Abstracta verò tantùm naturas in personâ Christi significare & enunciare.

117. TERTIA. *Prædicationes in concreto enunciatæ, quanquam veræ sint in sensu specificativo, non tamen in sensu reduplicativo* Neq; enim dici potest. Deus, quà Deus est passus, mortuus &c. vel Deus, quà Deus, est homo: &c. quia earum veritas fundatur tantùm in unitate suppositi. Sicut igitur lac dici potest dulce & album, non tamen dulce, qua album, ita &c

118. QVARTA *Concreta sumpta ab humanitate, dici possunt denominativè seu adiectivè de Divinitate, non tamen è converso, concreta à divinitate, de humanitate.* Vnde benè dicitur, *Deus est incarnatus*, vel ut loquitur Damascenus lib. 3 orthod c 2. *Deus est humanatus* (quatenus *Humanatus* venit non à nomine *Humanus*, vel *Humanitate*, sed à verbo *Humanor* ut advertit S. Th q. 16. a. 7. Lugo Disp 23. Sect. 1) non tamen vicissim dici potest: *Homo Deificatus &c*: Ratio differentiæ est, quia ante adventum humanitatis, suppositum divinum jam in se est constitutum, ut non repugnet illud ab humanitate, quasi à formâ quadam adveniente, adiectivè denominari; at verò in esse Hominis, illud idem suppositum constitui non potest ante adventum Humanitatis.

119. Esto igitur bene dicitur, *Homo est Deus*, non tamen *Homo Deificatus*, multo vero minus dici potest *Homo Deifer*, *Deificus &c.* eo quod in istis propositionibus excludi videatur identitas suppositi (ut Nestorius voluit) in Christo. Lugo tamen Disp. 23 c. 1. n. 12. Hurtadus Disp. 69. Sect. 6. & alij asserunt dici posse, *Homo divinus*, quia nomen *Divinus*, non tantùm significat hominem Dei, excludendo identitatem suppositi, sed etiam Deo tribui solet. Qua etiam de causâ S. Augustinus in Psal. 1. initio. & in Psal. 4 ac 3. deniq; & in Psal. 8. iterum atq; iterum vocat Christum, *Hominem Dominicum*, quam tamen propositionem Theologi Scholastici absolute non admittunt, cùm in rigore dicendus potius sit ille Homo Dominus, quàm Dominicus. Vide Hurtadum de Incarnat. Disp. 69. Sect. 6. S. Th. q. 16. art. 3.

PROPOSITIO. IV.

In communicatione Idiomatum, diversisq; de Christi persona prædicationibus unicè cavendum est, ne aut divinæ naturæ ulla suppositi creati imperfectio tribuatur; aut humanæ, sive per excessum, sive per defectum, imminutio.

120. Hinc propositiones, quæ de Christo dicuntur in triplici classe censeri possunt. *In Primâ*, omnes quæ à Patribus & Theologis de Christo vere affirmantur, sive respectu communicationis naturarum, *quatenus*, ut Becanus ait cap. 7. quæst. 1. §. 1. *duæ naturæ prædicantur de persona Verbi in concreto*; ut *Persona Verbi est Deus*: &, *Persona Verbi est homo*. Item, *Verbum est Deus*, &, *Verbum est homo*. Item, *Filius Dei est Deus*, &, *Filius Dei est homo*. Item, *Iesus est Deus*, &, *Iesus est homo*: Deniq;, *Deus est homo*, &, *Homo est Deus*: Sive etiam respectu communicatio-

cationis idiomatum, *quatenus etiam attributa utriusq; naturæ prædicantur de eadem persona in concreto*, ut *Christus est æternus, immortalis, infinitus &c.* &, *Christus est temporalis, finitus mortalis &c.*

121. *In secunda*, quæ ab ijsdem contra Vbiquistas negantur, ut, *Humanitas est Deus, omnipotens, omnipræsens &c*, vel è contra, *Divinitas est passa, crucifixa &c.* Huc referri possunt illæ, *Christus incepit esse*, vel, *Emmanuel, Iesus, Verbum incepit esse*, quas etsi nonnulli in aliquo sensu admittant, Lugo tamen Disp 23. Sect 5 n. 116. dicit apertè falsas: qui etiam Sect 6. dicit simpliciter falsas esse illas, *Christus in quantum homo, est Deus*: vel, *Christus in quantum homo est persona*: vel, *Christus in quantum homo, est persona divina.*

122. *In Tertia*, quæ absolutè negantur, nec nisi in sensu improprio admitti possunt, ut *Homo factus est Deus*, & *Christus est creatura*. Cum enim in prima propositione, Homo supponat pro Personâ (benè enim Lugo Disp. 23. cap. 1 contra Vasquez Disp. 63. cap 4 probat, hæc nomina, *Deus, Homo &c.* Significare in recto suppositum, & naturam in obliquo) Persona in Christo non potest dici facta Deus, cùm ex se, & naturâ suâ sit Deus. Quando igitur August. lib 1. de Trinit: cap 13. Damascenus lib. 3. cap 11. & alij quasi per conversionem dicunt, *Deus factus est homo*, & *Homo factus est Deus*, posterior propositio non est sumenda propriè, sed impropriè, ut idem sit, *Homo factus est Deus*, quod (quemadmodum explicat S. Thomas 3. p q 16. a 7.) *factum est ut homo sit Deus*, vel, ut Lugo Sect. 3. idem quod, *Homo est Deificatus*, idq; quasi in genere causæ formalis, quomodo videlicet homo dicitur animâ animatus.

123 Similiter in secundâ propositione, si Creatura sumatur propriè pro ente ex nihilo producto, Christus non potest dici creatura, quia suppositum divinum

non.

non est creatura. Si verò juxta expositionem S. Thomæ q. 16 art 8. sumatur pro re, in tempore per actionem productâ, etsi propter Arrianos, Basilio lib. 2. contra Eunom. Ambrosio de fide lib. 1 cap. 6. Chrysostomo hom. 3. in Joan. usurpanda non videatur, nisi fortè cum adiecto, *Christus, secundum humanitatem, est creatura*: tamen quia proprietates creaturæ, ut *esse mutabilem, finitum, passibilem &c.* dicuntur de Christo, etiam illa propositio potest in rigore esse vera, imò tanquam vera admittitur à Leone ser. 3. Pentec. Nazian orat 34 August. enchir. cap 38. Pari de causâ Becanus, in aliquo sensu admittit hanc propositionem, *Verbum est creatura.* Sicut enim Verbum, quia naturam humanam assumpsit, dicitur Homo, ita quia creaturam assumpsit, dici potest creatura.

PROPOSITIO. V.

Si Vbiquistica idiomatum communicatio, &, quod inde sequitur, prædicatio eorundem de naturis in abstracto sumptis concederetur, necessariò concedenda erit, ipsarum in Christo naturarum confusio.

124. IAm Disq. 5. eandem naturarum confusionem, ex ϖεριχωρήσει & ipsarum inter se naturarum communicatione, sequi demonstratum est: Satis igitùr hic erit, si Lutherus ipse ratiocinationem hanc, suo calculo adstruat. Audi illum in Postillâ maiore die Natalis Domini super Epistolam ex 1. Hebr. sumptam disserentem. *Humanitas Christi*, inquit ille, *aliorum Sanctorum & naturalium hominum instar, non semper omnia cogitavit, dixit, voluit, notavit, quemadmodum nonnulli ex illo Omnipotentem hominem faciunt, miscentes imperitè duas naturas, earumq;*

rumq; operationes. Certum hîc eſt, Lutherum ex eo, quod Omnipotentia vel ſimile attributum, ſive idioma divinum, humanitati communicaretur, inferre, *mixtionem* ſeu confuſionem, *tum naturarum, tum operationum illarum:* alioqui enim non vitio verteret imperitis, quod Chriſtum *Hominem Omnipotentem facerent:* cum perindè apud Doctos & Orthodoxos verum ſit, *Chriſtum hominem eſſe Omnipotentem*, (oppoſitum enim Neſtorianum eſſet uti Gretſerus Tomo 2. Defenſionis Bellarminianæ oſtendit pag, 15. B.) atq; falſum eſt *Humanitatem eſſe omnipotentem*,

DISQVISITIO, VIII.

An Vbiquitas, ſeu Omnipræſentia Carnis Chriſti, aliquod fundamentum in Scripturis habere queat?

125. FAcilè patet ex præcedentibus Diſq. nullum idioma communicari potuiſſe, proindè neque Vbiquitatem. Quia tamen Adverſarij pro Vbiquitate tanquam *pro aris, & focis* omnes pugnant, ita ut etiam illi, qui aliorum attributorum communicationem non admittunt, hic ſocia arma ferant, ſit

PROPOSITIO. I.

Quanquam è Scholaſticis *Doctoribus* aliqui, de abſolutâ potentiâ fieri poſſe dicant, ut vel Chriſti Corpus, vel alia creatura ſit ubiq; Iidem tamen Vbiquiſticæ

ſticæ omnipræſentiæ ſeu Pantachuſiaſmo, è diametro repugnant.

PRimum patet ex Scoto in 4. Sent. Diſt. 10. Q. 1. Joanne Roffenſe Martyre, contra Oecolampadium Lib. 5. cap. 13. Soto Lib. 4. Phyſi: Q. 2. art. 3 quibus videtur etiam accedere Valentia Lib: 5. cap. 12. & ſequentibus. Bellarminus Lib. 3. cap: 11 Concedunt enim, quemadmodùm in Sacramento Euchariſtiæ, idem Chriſti corpus divinâ potentiâ ſimul, & ſemel in pluribus locis ponitur, ita poſſe in omnibus poni, præſertim ſi Deus totum mundum converteret in panem, & panem in Corpus Chriſti.

126. *Secundum etiam patet*. Tùm quia Catholici Doctores, de potentiâ abſolutâ agunt, Vbiquiſtæ verò omnipræſentiam de facto adſtruunt: Tùm deindè, quia illi non per communicationem attributi Divini, ſed per extrinſecam Dei potentiam, ita putant Creaturam ubique poſſe in toto mundo poni; ut tamen mundo contineatur, ac proindè, ſicut eſt, naturâ ſuâ permaneat finita, ideoque Creatura eſſe non deſinat: at verò iſti dùm attributum Divinum corpori Chriſti communicant, conſequenter docent, ita Corpus eſſe ubique in mundo, ut non contineatur toto mundo. Quinimò ex vi omnipræſentiæ divinitùs ſibi communicatæ, proindè uti Deus ipſe, immenſa extra mundum ſpatia, mundosque adeo infinitos replere poſſet, ac deberet.

PROPOSITIO. II.

Vbiquitatem Carni, vel Humanitati Chriſti de facto communicatam eſſe, ſcripturis repugnat.

127. BEllarminus cap. 11. In triplici claſſe numerat ſcripturas Vbiquitati repugnantes. *Prima* eas conti-

continet, quibus Christus ratione Humanitatis, vel alicubi non fuisse, vel locum accedendo recedendovè mutasse dicitur; idque non tantùm ante resurrectionem ut Joan. 6. v. 24. *Cùm vidisset turba, quia Iesus non esset ibi,* Joan: 11. v. 15. *Gaudeo propter vos, quia non eram ibi.* Joan. 14. v. 3. *Si autem abiero* πάλιν ἔρχομαι, *iterum venio,* &c. Sed etiam post resurrectionem (quando scilicet adversarij Humanitati Christi præter κτῆσιν seu possessionem, etiam χρῆσιν seu usum attributorum divinorum maximè concedunt) ut Marci 16. v. 6. *Surrexit, non est hic*, & v. 7. *Præcedet vos in Galilæam* Joannis 20. v. 19. *Venit Iesus januis clausis & stetit in medio.* Lucæ 24. v. 29. *Intrauit cum eis* & v. 51. *Cum benediceret eis recessit ab illis.* Actor: 1. v. 9. *videntibus illis elevatus est* & v. 11. *Hic Iesus, qui assumptus est, sic veniet* &c.

128. *Secunda eas*, quibus ex omnipræsentiâ, sive ex *esse ubique*, divinitas demonstrari solet v. g. Psal. 138. v. 6. *Quo ibo á Spiritu tuo* &c. Sapien: 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Ex quibus, alijsque id genus locis, Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap: 7. Alijq; Patres; apud Bellarminum loc: cit: & Busæum cap: 8. Apologetici, contra Macedonium, & Arianos, Divinitatem Spiritus Sancti probant; quæ sanè Demonstratio nulla esset, *si esse ubique*, non tantùm posset communicari, sed, de facto etiam Carni Christi, vel alteri creaturæ communicaretur. Dicerent enim adversarij, Spiritum Sanctum, perindè uti & Christi humanitatem, creaturam in se esse, & tantùm, per communicationem divinitùs factam, ubique esse.

129. *Tertia* eas, quibus contra Eutychianos duas in Christo naturas Ecclesia demonstrat v. g. Joan: 3. v. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis; qui est in cœlo.* Quem locum Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Beda in Commentarijs

tarijs; Nazianzenus verò Epist: 1. ad Celidonium, & Hilarius Lib. 10. de Trinit. ad utramque Christi naturam adstruendam explicat, Eò quòd cùm secundum humanitatem esset corpore in terris, secundùm Divinitatem esset simul & incœlis: Quod itidem argumentum nullum esset si Eutychiani cùm Vbiquistis nostris dicerent, Christum secundùm carnem fuisse simul in terrâ, in cœlo, & ubique.

PROPOSITIO. III.

Si Humanitas Christi Vbiquitatem, vel aliud idioma Divinum, etiam tantùm per Communicationem haberet, Humanitas, & Creatura esse desineret.

130. NAm Patres, ut modo vidimus, absolutè inde probant, tùm Spiritum Sanctum esse Deum, quod ubique sit; Tum Filium, esse non tantùm hominem, qui in terrâ fuerit secundùm carnem, sed etiam Deum, qui simul in cœlo fuerit, & ubique, Adde ipsos adversarios, ut supra vidimus Disq 6 prop 5 fateri, *Si Petrus esset omnipotens aut omnipræsens, eo ipso forè Deum*; ut proindè fateri debeant, etiam ex participata divinitùs Vbiquitate argui divinitatem.

131. Atque hinc patet, quàm nihili sit effugium illorum, quando ad evitandam Eutychianam naturarum σύγχυσιν, apud Busæum The. 4 (præeunte Smidelino Thes: Vitemb 295.) aiunt, *Humanitatem, eadem omnipotentia, gloria, omnipræsentia locupletatam, qua Deus λόγος ab æterno est omnipotens &c Hoc autem tantùm interesse, quòd Deus Verbum, non tantùm sit omnipotens & omnipræsens, sed etiiam* τὸ εἶναι *per essentaiam, sed omnipo-*

tentia & omnipræsentia ; humanitas verò sit omnipotens , &c. non autem sua omnipotentia , quia non natura sed beneficio Vnionis hypostaticæ , κατ᾽ ἀλλό , καὶ τῷ ἔχειν , *id est habendo ab alio omnipotentiam , cæterasq; Divinas affectiones comparavit.* Patet , inquam , effugium nihili esse : quia & Verbum , & Spiritus S à Patre habent Divinitatem , & tamen τῷ εἶναι , seu proprietate essentiæ suæ sunt Deus. Quid verò vetaret , Humanitatem , si juxta adversarios , esset ac diceretur omnipotens &c : esse omnipotentia sua &c :

PROPOSITIO. IV.

Repugnat Christi Humanitatem esse simul , & semel ubiq; illocaliter , & non esse ubiq; Localitèr.

132. SOlet hoc Vbiquistis , de præcipuis , diverticulum & planè κρυσφύγετον esse , ut dicant , *Carnem Christi illocaliter semper fuisse ubique , non item localiter.* *Sed contra est Primò.* Quia anima Christi non localiter , sed Spiritualitèr fuit in inferno , & tamen non semper , sed solo mortis triduo ibi fuit , ita ut deinceps etiam illocalitèr inde exiverit , quia Acto : cap 2. v 21. *Non est relicta in inferno. Contra Secundo* Scriptura absolutè *dicit non est hic , non erat ibi &c.* quod omnino falsum esset , si Christus , secundùm Humanitatem , *etiam illocaliter* ibi fuisset , Sicut omnino falsum est, Deum non esse in mundo, quia non est localitèr , sed tantùm illocalitèr in mundo. Aut (ut ad hominem argumentemur) Corpus Christi non est in Cæna, quia, etiam ex adversariorum sententia , *non est localitèr* , sed tantum *illocalitèr* in cæna.

133. *Contra est Tertio* , Christus secundùm Carnem movebatur de loco , ad locum , iter agendo pedibus , navi , asel-

vi, asello &c. ut vel hinc Ambrosius Lib 2 de fide, alijque Patres probent, veram Christi humanitatem: at si fuisset ubiq; etiam *illocalitèr*, non potuisset dicj verè moveri, quia motus intelligi nequit sine novi loci acquisitione. Nisi fortè adversarij Humanitati Christi tribuant metaphoricum duntaxat, & non verum motum; qualitèr v. g. etiam Deus moveri dicitur Gen: 11. v. 7. *Descendamus, & confundamus &c.* Gen: 18. v. 21. *Descendam & videbo.* Ex quali motu, sicut nemo inferre potest Deum esse Creaturam, vel hominem, ita neq; Christum probabit fuisse verum hominem.

PROPOSITIO. V.

Repugnat Corpus Christi esse simul visibiliter in uno loco, & invisibiliter ubique.

134. ALterum hoc Vbiquistis diverticulum solet esse. *Sed Contra est*; Tùm quia existendo ubiq; *invisibiliter*, quoties alicubi *visibilitèr* esse inciperet, *esset simul visibiliter, & invisibiliter in eodem loco*: quæ saltem virtualem contradictionem involuunt. Tum quia hoc modo, idem corpus, bis esset in eodem loco; quod admittere non possunt, qui impossibile putant, idem corpus posse simul in pluribus locis existere, ut proinde ad ubiquitatem confugere necesse habeant; Tùm denique, quia idem corpus dum movetur, *acquireret novum locum*, quia inciperet alicubi esse visibiliter; *& simul non acquireret*, quia jam ibidem esset invisibiliter. Consule Busæum ad The: 91.

PROPOSITIO. VI.

Nullæ prorsus Scripturæ, pro causâ Vbiquitatis faciunt.

135. QVod enim ex Matth 18. v. 20. affertur *ubi sunt*

 duo,

duo, aut tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum; & Matth. ult: *Ego vobiscum sum &c.* Contra ipsos adversarios plurimum facit. Si enim esset ubique secundùm præsentiam carnis, non tantùm suis, *aut in suo nomine congregatis*, sed omnibus planè hominibus, etiam adversarijs, imo & in nomine falsorum Deorum congregatis adesset. Adest igitur suis in absentiâ Carnis, per præsentia gratiæ dona, & προνοίας providentiæq; auxilia; ut *Aug. Tract.* 50. *in Ioan.* exponit; qui ibid. illud Matt. 26. *Me autem non semper habebitis*, de absentiâ humanitatis exponit.

136. Adde Christum adesse suis, etiam secundùm Humanitatem in Eucharistiâ, quemadmodum dictum locum Matth. ult: exponunt non tantùm Sancti Patres, *Damascenus Lib*: 4. *cap*: 19. *Fulgentius Lib*: 1 *de Incarn*: *cap*: 10. *Chrysostomus Hom*: 60. *ad Pop*: *Antioch*: *Augustinus Tract*: 50. *in Ioan*: *Vigilius Lib*: 1. *contra Eutycheten*; Verum etiam ipse *Melancthon in Epist*: *ad Oecolampadium*, Vbi de Sacramentarijs ait, *Vos Christi Corpus tanquam in Tragædiâ repræsentari creditis, ego de Christo video extare promissiones, Ecce vobiscum sum usque ad consummationem seculi &c.* Sicut igitur Eucharistia non est ubiq;, ita neq; Corpus Christi: præsertim cùm & Paulus 1. Corin: 11 v. 26. De Eucharistiâ tractans dicat, *quotiescunque manducabitis &c: mortem Domini annunciabitis* ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ, *id est, usque, vel, donec veniat.*

137. Sed vide, quàm acutè ex illo Psal 8. v. 7. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Et Joan: 13. v. 3. *Omnia dedit ei Pater in manus*, Christum manibus & pedibus omnia ubique contingentem faciant! Mirum, ni isti eadem ratione Adamo, & cuivis homini, imò sibi quoq; (præsertim cùm ille Psal: 8. versiculus, de quovis homine à Patribus intelligatur) Vbiquitatem tribuant! Vel certè, cum Scythico illo ad Alexandrum Legato, (de quo Curtius) pro barbarâ subtilitate, magnitudini animi, vel po-

tius, Divinitatis Christi, magnitudinem corporis admetiri velint, *ut altera manu orientem, altera teneat occidentem*; Vel denique cum Judæis, & potissimùm cum Rabbi Salomon in cap: 4 Deut: Christi Corpus maius faciant corpore Adami; quem fingunt tantæ proceritatis fuisse, ut capite cœlum contingeret. Rem verbo, Per *manus Christi, & subiectionem sub pedibus eius*, significatur potestas Christi, juxta illud Psal: 94 v. 4 *In manu eius sunt omnes fines terræ*, & Joan: 1. v. 28. *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* Frigidè igitur, putideque sectarij aliàs tropos, & figuras, pro suis somnijs corradunt, qui hîc in manifestè figurata locutione literæ corticem rodunt.

DISQVISITIO. IX.

An Patres, vel ipsa ratio Vbiquistarum somnijs faveant?

138. NVllum causæ, Vbiquitatique suæ præsidium in Scripturâ, (quâ tamen unicè niti volunt ac debent) habent adversarij: nunquid in Patribus, vel rationum momentis aliquod invenient!

PROPOSITIO. I.

Sicut cætera Vbiquistarum commenta, ita ipsam ubiquitatem antequàm nasceretur, Patres condemnarunt.

PRo multis à Bellarmino cap: 14. Busæo Th: 91. citatis, Au-

tis, Augustinus hîc loquatur, qui cùm ipsam hanc quæstionem *An Christus sit ubique*, à Dardano sibi propositam Epist: 57 fusè diligenterque tractaret, ut ῥαβδάπτειν videretur, inter alia, ad hanc causam sic scribit. *Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus. Nam & de nobis verissima scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur, & sumus, nec tamen sicut ille, ubique sumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus illo in homine, proprio quodam ac singulari modo. Vna enim persona, Deus & homo est, & utrumque unus Christus Iesus; Vbique per id, quod Deus est; in cœlo autem, per id, quod homo.* Quid clarius dici potuit?

139. Videri potest idem Tracta: 78 in Joan. Eadem sententia est Vigilij Lib: 1. contra Eutycheten, Cyrilli Alex: Lib: 11. in Joan: cap. 21. Hierosol: Cat. 14. Ambrosij 2. de fide cap. 4. Leonis Serm: 2. de ascens: Fulgentij lib. 2. ad Trasimund: Theodoret: Dial 2. & 3. ubi Corpori Christi glorioso à resurrectione tribuit circumscriptionem; Et inter alia sic loquitur. *Post resurrectionem visum est circumscriptum, & habens manus, & pedes, & alias corporis partes, & tangi poterat. Duorum ergo alterum dicere necesse est, vel divinæ naturæ esse has partes tributas, siquidem corpus in divinitatis naturam conversum, has partes habuit; vel fateri, corpus mansisse in suæ naturæ finibus.*

PROPOSITIO. II.

Vbiquistæ Patrum testimonia declinando, vel seipsos, causamque suam jugulant, vel imposturis ludunt.

140 SI enim cum Kemnitio lib de Duab. nat. cap 30. dicant, *Patres ijs locis, contra Manichæos, & Eutychia-*

tychianos veritatem humanitatis adstruere esse conatos; illud necesse est contra seipsos adijciant; quód Patres veritatem Carnis, & Humanitatis Christi, inde maximè probent, quia retinet naturales proprietates, maximè verò, quod non sit Vbique. Sin cum eodem adijciant, *Patres negare Christi visibilem formam localem, circumscriptivè ubique diffusam*; communi omnium sensui imponere satagunt. Quis enim unquam Christum visibili formâ ubiq; localitèr præsentem esse docuit? An non communi sensu contrarium patebat? Quid igitur necesse fuit, Patres impugnare, quod nemo asserebat? Cùm igitur illi aliquid monstrosi inpugnarunt, id non potuit aliud esse, quàm, invisibilis quoque, Carnis Christi Vbiquitas.

PROPOSITIO. III.

Nullus unquam Patrum, patrocinari Vbiquistarum causæ potuit.

141. Cùm enim contraria, semper Ecclesiæ Catholicæ sententia fuerit, Patres quoque (uti vidimus Disq: 6. prop. 8.) Catholicè sentiebant; ut proinde etiam nunc Catholicè intelligendi, explicandique sint. Quanquàm vix est, qui verbo quoq; nudo favere videatur, uti Bellarminus cap. 18. & Valentia lib. 1. cap. 11. docuit, qui etiam duas regulas, ad orthodoxam Patrum interpretationem adiungunt. *Prima*. Patres de Personâ loqui, quoties aliquid supra naturæ proprietates, humanitati tribuere videntur. *Secunda* Patres Dialecticarum regularum minus observantes, abstractum sæpè pro concreto sumere, v. g. Humanitatem pro homine, Deitatem pro Deo.

142. Sed accedat hîc iterum testis luculentus ex ipsis adversariorum castris, ipse videlicet Philippus Melan-

ethon, qui in literis ad Fridericum Comitem Palatinum, Anno 1559 datis, (quas etiam Calovius Tom. 1 comment pag. 163. citat) cùm dixisset, *ab aliis Vbiquitatem excogitatam esse*, subiungit, *Hæc portentosa sunt omnia; ignota eruditæ vetustati.*

PROPOSITIO. IV.

Vbiquitarij nullum in argumentis, &, vel probabili, ratione præsidium habent.

143. QVo enim pacto, vel humana ratio tam monstrosis commentis, & planè contra rationem, sensumque pugnantibus faveat? Rationem, & fundamentum adstruendæ Vbiquitati effinxerunt, non tantum Idiomatum, sed & naturarum communicationem, imò περιχώρησιν; sed hæc jam subruta, & ad obruendos ipsos adversarios prolapsa sunt. Quid agant, nisi ut ruentem causam desperatissimis cæcæ rationis adminiculis fulciant! *Primum igitur sit illorum argumentum.* Humanitas Christi, & Persona Verbi, sunt *inter se Inseparabiliter, imò & indistanter* (ut loquitur Damascenus 3 cap. 3.) *unitæ*. Ergò cum Persona Verbi sit ubique, etiam Humanitas erit ubique.

144. *Respondeo* Neg. Consequentiam: neque enim omnia, quæ quomodocunq; *inseparabilitèr, & Indistanter*, uniuntur, ita simul ubique esse necesse habent: nisi insupèr *totaliter, & adæquatè* sibi uniantur; quomodo v. g. superficies chartæ & eiusdem albedo; materia, & forma solis, vel aquæ; intellectus, & voluntas Angeli sibi uniuntur. Alioqui si inadæquatè sibi uniantur, uti v. g. sol, & orbis solis; anima, & caput hominis, non seqnetur ut ubicunque est una, ibi sit altera; sed tantùm, ut alicubi sint simul, sive ut alicubi non distent. Si enim nulli-

nullibi essent simul, essent separatæ, & distantes. Nam & sol, cum orbe solari inseparabiliter, & anima cum capite hominis &c. indistanter unita sunt; & tamen, neq; sol ubiq; orbi suo coextenditur; neq; caput animæ; cùm anima sit in pedibus, & alijs mēbris in quibus non est caput.

145. Gratiora spero hæc erunt, si Cassandri, (cui semper Lutherani, *Amici Platones, sed tamen magis amica veritas*) verbis referantur. *Neq; veró inseparabilis coniunctio Divinitatis & Humanitatis id affert, ut ubicunq, sit Divinitas, ibidem quoq, Humanitatem esse necesse sit. Hæc enim ita inter se affecta sunt, ut alterum ab altero excedatur. In nobis (inquit Thomas contra Gent.) natura excedit personam, quia humanitas, reperitur extra individuum suum: Verum in Christo excedit Persona naturam assumptam, quia persona illa ubiq; est, non assumpta natura.* Hæc Cassander illustrat exemplo Animæ & Cordis humani &c.

146. *Secundum Argumentum est.* Si Verbum esset alicubi sine humanitate, sequeretur Christum, vel Verbum alicubi esse hominem, & alicubi non esse hominem. *Respondeo,* Quanquàm Quæstio magis pendet à modo loquendi, quàm à rei difficultate, ut cum Bonaventura 3. D, 22 q. 2 Bellarminus cap. 18. advertit; Perspicuitatis tamen Causâ, Distinguo sequelam: Si enim sensus sit, Christus & Verbum alicubi existens, non est homo, neganda erit; quia cum Christus homo, non tantum constet naturâ sed Personâ Verbi, quod ubique est, falsum est Christum alicubi existere cum divinitate personæ, & non esse hominem. Sin verò sensus sit, Christus, vel Verbum est alicubi sine humanitate, vel non habet alicubi suam humanitatem: vera erit, perindè, sicut verum dicere est, Anima alicubi est sinè capite; non tamen, Anima alicubi non est forma capitis.

147. Vnde distinguendæ sunt tres istæ propositiones. Alia est enim propositio *Christus homo est ubique:*

alia *Christus ubique, est homo*; alia denique, *Christus est ubique homo*: priores duæ sunt veræ, quia cum particula *Vbique* teneat se ex parte subiecti, sensus erit, Christus, vel Verbum quod est ubique, est homo; Tertia, in qua particula *Vbique* tenet se ex parte prædicati, significat, Christum, sive Verbum ubique extendo, esse, non tantum ubique hominem, sed ubique omnipræsentem habere humanitatem, quod est falsum, & à nullâ, nisi ab Vbiquisticâ Philosophia admittendum.

148. *Argumentum Tertium* Si Natura humana non est Vbique, cum sit Verbo unita, quoties ipsa movetur localitèr, defert secum de loco, ad locum Verbum. *Respondeo*. Nego sequelam; Non enim Verbum, quod Vbique est, defert, sed unionem quâ Verbo (non ubicunque est Verbum, sed ubicunque ipsa est) hypostaticè unitur.

PROPOSITIO. V.

Vnica Ratio Vbiquistarum est, sine ratione agere.

149. Cùm enim nullam commenti sui rationem habeant, illud unicum aggerunt, & ad ravim ingeminant, *alio sanè modo* ac ratione, Corpus Christi ubique esse, quam à nobis concipiatur. Quis verò ille modus? *Monstrosè* (ut Brentius in Repetitione apud Bullingerum, Gerlachius apud Busæum ad Th: 87 alijque inquiunt) *Filius Dei fingitur per cœlum & terram extensus, & diffusus, cui humanitas ubique adesse non possit, nisi cum Divinitate pariter diffundatur & coextendatur.*

150 Sed quidquid sit quo tandem modo Deus concipiatur, aut dicatur *ubique diffusus* (nam & Augustinus Epist: 57 expresse iterum, ac tertio dicit, *Deum per cuncta substantialiter ubique diffusum*) illud hic agitur, ut doceant Vbiquistæ, cùm Humanitatem Christi fateantur non esse ubique diffusam, aut Deitati coextensam, neque

item

item invisibiliter aut illocaliter ubique esse, demonstrare possint; quâ tandem ratione, sine ulla ratione, Vbiquitatem adstruere, aut potius, cum ratione insanire malint? Vid. sup. Disq. 3 prop. 5.

DISQVISITIO. X.

An, & quæ Maiestas Humanitati communicata sit? quis eius, uti & aliorum attributorum Vsus, ac Declaratio fuerit in Christo?

151. POsteaquam neque in communicatione, circumincessioneque naturarum, neque in Idiomatum participatione, Patrumvè & Scripturæ testimonijs, aut rationis adminiculis, ullum causæ suæ præsidium Vbiquistæ invenerunt, progrediuntur ad Communicationem Maiestatis. Sed cùm ne hanc quidem ullâ scripturarum, Patrumvè authoritate, & vi rationis tueri possunt, devoluuntur more suo, ad diverticula, atque aiunt, Maiestatis, uti & aliorum idiomatum possessionem, reipsa Christum adijsse, neque tamen Vsum in hac vitâ sibi eorum vendicasse. Quorum utrumq; quid roboris habeat, jam hoc loco demonstrabitur.

PROPOSITIO. I.

Vbiquistæ, inter reliqua attributa, Maiestatem quoque Divinam, hoc est, gloriam, Honorem, & proprium cultum divinæ Maiestati debitum, humanitati Christi communicata asserunt.

Patet

152. PAtet id tum è Joannis Brentij libro, quem *de Maiestate Carnis Christi* scripsit; tùm è Gerlachio; tùm denique è Daniele Michaele puncto 1 n 16. & seq ubi id cōmentum μετάδοσιν, vel μεταποίησιν. καὶ βελτίωσιν, perinde sicut Dietericus pag 343 ὑπερύψωσιν, vel μετοχλώ τῆς θείας δυνάμεως, dìcit à Patribus appellatum: Tùm denique è testimonijs adversariorum apud Valentiam lib. 1. cap 9 & Busæum ad initium cap: 5. citatis; Vbi vel ex unius Gerlachij libro à Smidelino, & Tubinensibus vehementer probato sequentes Vbiquitariorum flosculos decerpit *Humanitas Christi, personalis unionis causâ, est, & dicitur Deus.* Item, *est etiam, ab ipso puncto unionis super omnes creaturas in ipsum Deum exaltata, & cum ipso individua persona, Dominusq; universæ terræ facta.* Item, *Christus, ut homo, ad ipsam sedentis dexteram exaltatus, ac in conditionem assumentis translatus, eiusdem gloriæ honoris & potestatis, quæ est Deitatis assumentis, consors factus.* Mox inducit Smidelinum, libro contra Valentiam pag. 14 paribus tibijs ita canentem. *Constanter affirmamus humanam naturam ad æqualitatem gloriæ, & potentiæ, cum divino Verbo, exaltatam esse, ut non modo jam potens sit, sed etiam omnipotens.* Similiter Myslenta Disp. 4 cum *primum gradum communicatationis* quoad propria naturarum, recensuisset, thesi 35. *Secundum* recenset, videlicet, *in quo divina Maiestas, gloria, & potentia assignatur Christo, secundùm naturam humanam.*

PROPOSITIO. II.

Vbiquistica Maiestatis communicatio, neq; formaliter constituit Vnionem hypostaticam, uti pleriq; adversarij docent; neq; eandem proximè & essentialiter consequitur, ut alij somniant.

Primum

153 PRimum, quia in Personis Sanctissimæ Trinitatis datur communicatio eiusdem gloriæ, potentiæ, Maiestatis, juxta illud Athanasij in Symbolo; *Alia est Persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti: Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna Maiestas:* Et tamen illa communicatio, nullam constituit unionem hypostaticam. Ergo neque in Christo si daretur, constitueret. *Secundum* Quidquid unionem hypostaticam destruit neque proximè, neque essentialitèr, neq; ullo prorsus modo consequi illam potest. Sed &c: ut sequens propositio docet, Ergo &c.

PROPOSITIO. III.

Vbiquistica Maiestatis communicatio, humanitatem Christi in Divinitatem mutat, & Mysterium Incarnationis dissolvit.

154. PAtet id tùm ex argumentis contra Vbiquisticam naturarum, idiomatumque communicationem allatis; tùm è testimonijs, alibi & hîc proximè adductis, & adducendis. Nam & Bellarminus Lib 3 de Christo cap: ult: id ex sequentibus Brentij verbis probè colligit. *Christus homo* (inquit Brentius) *sine dubio est summè felix, summè pulcher, summè beatus; Ergo est ubique præsens Nam loco circumscriptum esse, & de loco in locum ambulare, non est divinæ excellentiæ, sed corporeæ imbecillitatis; non cœlestis Maiestatis, sed terrestris paruitatis; non Spiritualis pulchritudinis, sed carnalis deformitatis.*

155. *Atqui* (ut Brentio & Brentianis, non jam meis sed Damasceni verbis lib: 3 cap: 17. à Behmio m. 2 n. 21 citatis respondeatur) Χρὴ εἰδέναι, ὡς οὐ κατὰ μεταβολὴν φύσεως, ἢ τροπὴν, ἢ ἀλλοίωσιν, ἢ σύγχυσιν, ἡ σὰρξ τοῦ κυρίου τεθεῶσθαι λέγεται, καὶ ὁμό-

θεος;

θεοῦ, καὶ θεὸς γένεσθαι. *Scire oportet, quod nec secundùm mutationem naturæ, aut conversionem, aut alterationem, aut confusionem, Caro Domini Deificata, & simul Deus* (ὁμόθεος) *& Deus dicitur.* Quo igitur pacto Deificata, & non tantùm similis Deo, sed *simul Deus*, imo *Deus* facta?

156. Magno clamore suppetias ferunt Brentio, Magni Vbiquitatis apud Regiomontanos hyperaspistæ, Mys-lenta & Behmius; Maiestatem Divinam, & omnia Maiestatica humanitati Christi tribuendo; ita ut hic memb 5. n. 4. dicere ausit *Humanam Christi naturam, toto genere differentem rationem, & statum, à statu seu conditione naturali sortitam esse; & tàm sublime constitutam super alios homines, quàm Deus sublimus est super omnes homines.*

157. Ille veró Disp 4 Colleg: Pruten: the: 49. 50. æque *Iesuitas*, ac *Calvinianos*, *Nestorianis*, *Photinianis*, *imó & Paganis* (Homo scilicet, ne dicam, Rex Christianissimus) accenset, *quia* (ut subdit the: 51) *denegant communicationem, virtutis, ac reliquorum donorum Maiestaticorum* τοῦ λόγου *cum carne assumpta. Denegatâ autem virtute divina Carni Christi, negabitur de ea* ἀποτέλεσμα *salvificum, ac* θεανθρωπικόν. Sed quid aliud est *donis Maiestaticis* humanitatem Christi obruere, vel *rationem illi à conditione & statu naturali toto genere differentem tribuere*, quàm ipsam Humanitatem, & una Magnum Incarnationis mysterium evertere?

158. Nam, ut bene Busæus contra Gerlachium eadem insaniâ laborantem in Apologet ad Th 10 pag. 14. scribit. *Qui asserit toto genere distare naturam hominis Christi, ut homo est, à naturis aliorum hominum, is quoq; asserit hominem Christum, non esse eiusdem speciei cum aliis hominibus, sed nec eiusdem Categoriæ, imò nullius; cùm Christus omnia genera etiam secundum humanitatem, ut isti fatentur,*

propter

propter Vnionem transcendat. Quid ergo tandem est aliud humanitas Christi, quàm ipsa Divinitas? Quid est confundere naturas, quid abolere humanitatem, quid plenis velis Eutychianismum inducere, si hoc non est? Plura in eandem sententiã loca adducit è Smidelino, & Luthero Busæus loco. cit, & ad th. 36. pag. 50, seq. quem consule.

PROPOSITIO. IV.

Ex Adoratione Christo in terris exhibitâ, non potest inferri divina humanitatis eius Maiestas.

159. QVia cultus latriæ soli Divinitati illius, non verò etiam humanitati exhibebatur. Quod in Actis Concilij Generalis Ephesini Anno 434 contra Nestorium Patres expressis verbis ita docuerunt. *Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum, totum Deum & totum Hominem; totum Deum, etiam cum corpore, sed non secundum corpus Deum; totum hominem etiam cum Divinitate, sed non secundùm Divinitatem hominem. Totum rursus adorabilem, etiam cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem; totum adorantem etiam cum Divinitate sed non secundum Divinitatem adorantem; Totum increatum etiam cum corpore, sed non secundum corpus increatum.*

160 In eundem sensum dicti Concilij Præses S Cyrillus Alex. lib de rectâ fide ad Theodosium Imp. *Num igitur* inquit, *tanquàm hominem adorabimus Emanuelem? Absit! deliramentum enim hoc esset, & deceptio ac error. In hoc enim nihil differremus ab ijs, qui creaturam colunt ultra Conditorem & factorem, qui scilicet, mutaverunt Veritatem in mendacium* Quod verò creaturæ, proinde & Humanitati Christi, supra cæteras creaturas, aliquis adorationis cultus debeatur, manifestè demonstrat Augustinus Quæst 61 In Gen Vbi notat Deut 6 13 & 10. 20. dici *Dominum Deum tuum adorabis*, non verò *Dominum Deum*

solum

solum adorabis, quia adoratio etiam convenit creaturis. Quia verò servitus latriæ soli Deo convenit, ideo notat subdi; Et *illi soli servies* sive, ut habent LXX, λατρεύσεις.

PROPOSITIO. V.

Patres, & Orthodoxa Vetustas nunquam agnoverunt Vbiquisticam Maiestatis Communicationem.

161. QVia illi Maiestatem non ad humanitatem, sed ad Divinitatem, ita referebant, ut non modò Maiestatis nomine Divinitatem intelligerent, sed eandem opponerent Humanitati. Loquatur omnium nomine S. Augustinus in Enar 2. in Psal. 29. de Christo Deo & homine agens, *Habes*, inquit, *Maiestatem ad quam ores; habes Humanitatem, quæ pro te oret*. Et Tract: 50. in Joan. Expendens tum illud Matth ult. *Ecce ego vobiscum &c.* Tum illud Joan: 12. 8 *Me autem non semper habebitis: Loquebatur*, inquit, *de præsentia corporis sui Nam secundum Maiestatem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem, & invisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi Secundum carnem verò, quam assumpsit, secundum id quod de Virgine natus est, & secundum id quod in Resurrectione manifestatus, non semper habebitis vobiscum. Quare? Quoniam conversatus est, secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo, non sequendo, ascendit in cœlum, & non est hic. Ibi est enim, sedet ad dexteram Patris; & hic est; non recessit præsentia Maiestatis.*

162. Ne plures de Patrum Senatu necesse sit testes producere, facit etiam non postremus in Vbiquistarum castris Conradus Dietericus, qui Catech inst pag 337. fatetur *neq; in scripturâ, neq; in orthodoxâ antiquitate, neq; in ipso*

in ipſo Luthero (quæ de tribus communicationum gradibus afferunt Vbiquiſtæ) *extare digeſta.*

PROPOSITIO. VI.

Si Chriſtus Vbiquitatem humanitati ſuæ communicatam ſemper habuit, non potuit illius, uti & aliorum quorundam idiomatum, Vſu carere.

163. NImirum quærunt, & hic effugia Vbiquiſtæ. Cùm enim nullo alio pacto tueri Vbiquitatem abs ſe confictam poſſint, comminiſcuntur tandem, Chriſtum quidem Vbiquitatis, uti & aliorum idiomatum, poſſeſſionem in carne ſua ſemper habuiſſe, non item uſum: Sive Chriſtum fuiſſe ſemper omnipotentem, omnipræſentem &c. κατὰ κτῆσιν non item κατὰ χρῆσιν.

164. *Sed contra I.* Quia, ut bene Valentia lib. 1. cap. 6. quædam attributa, & inprimis ipſa *omnipræſentia*, eius conditionis ſunt, ut eorum Vſus à poſſeſſione præſcindi non poſſit, quia non poſſunt haberi, & non uſurpari. Etſi enim, v. g in Omnipotentiâ, & alijs quibusdam, actus primus, ab actu ſecundo, & proindè uſus à poſſeſſione, diſtingui poteſt, tamen immortalitas, impatibilitas, omniſcientia, &, ante omnes, *omnipræſentia*, tales non ſunt. Vndè ſi iſtas Chriſti Humanitas ab inſtanti conceptionis habuit, neceſſariò ab eodem momento uſurpare debuit: Aut ſi non uſurpavit, ne quidem etiam habuit: quia earum propria ratio, in quodam Vſu, & tanquam actu ſecundo conſiſtit. Deum enim Vbique præſentem eſſe, nil aliud, niſi quidam uſus, & quaſi actus ſecundus, Divinæ Immenſitatis eſt: Sicut omnia ſcire, eſt quidam actus ſecundus, ſeu uſus intelligentiæ Divinæ. Vndè ſumma eſt Smidelini, eiusque Collegarum, (in Repet: Vitemb. prop. 195.) inſcitia, qui Chriſto ante Reſurre-

ctionem omniscientiam tribuunt, neque tamen concedunt diem extremi Judicij ab eo tunc fuisse cognitum.

165. Contra 2. quia etiam in illis, in quibus propria ratio ab Vsu distingui utcunq; potest (v. g. in Immortalitate ratio propria est, non posse mori, Vsus verò actu non mori) si usus à possessione separetur, contradictio manifesta consequitur. Quia enim Christus mortuus, & passus est, potuit utique & pati, & mori, non igitur verum est, eum aliquando non potuisse pati & mori, quia simul potuisset mori, & non potuisset mori, quæ implicant. Nisi forte dicant Christum ita fuisse immortalem, ut quanquam potuerit mori, sicut mortuus est, potuerit tamen etiam non mori. At hoc si dicant, sibi contradicunt, qui aiunt humanitatem non creatâ, sed increatâ attributa habuisse; ut proindè ita immortalis esse debuerit, sicut Deus in se immortalis; atqui Dei Immortalitas non in eo sita est, quod *possit non mori*, sed quod non possit mori.

166. *Contra* 3. Quia Vbiquistæ, ut Disq: seq. videbimus, asserunt communicationem omnium operationum; at quæ operationes Verbi sine Vsu attributorum Verbi concipi possunt? Quid enim aliud est operatio, quàm actio? Actio autem ipso sui usu transit. Vnde & Damascenus lib. 3. cap 15. init: *Si autem* ἐνέργεια, *Vis & actus, &* (ut ante præmiserat) *motus est, agetur videlicet, non autem aget, ac simul atque acta fuerit finem habitura est.*

PROPOSITIO. VII.

Christus Maiestatis suæ radios, non cohibuit usq; ad Resurrectionem, & Ascensionem.

167. Cùm Adversarij Vsum Maiestatis (supposito quod ea in Carne Christi fuit) negare non possunt, fatentur eum Vsum declaratum non fuisse, sed radios glo-

riæ;

riæ, & Divinæ in carne Christi Virtutis ac Majestatis usque ad Resurrectionem compressos. *Sed Contra est* 1. Quia *Formula Concordiæ*, fatetur Christum, etiam ante Resurrectionem, Maiestatem suam aliquando usurpasse, ac proindè etiam Vsum eius declarasse, ut cùm *aquam in vinum vertit, cùm Lazarum resuscitavit, cùm Eucharistiam consecravit, cùm in Passione solem obscuravit, petras fidit, mortuos excitavit, &c.*

168. *Contra* 2. Si Christo communicata fuit ab instanti Vnionis hypostaticæ Divina Maiestas, & gloria, non verè sed simularè, vel tantùm apparentèr petijsset à Patre æterno sui clarificationem Joannis 17 v. 2.

169. *Contra* 3. Si Maiestas, & (cuius causa Maiestas effingitur) Vbiquitas, ante Resurrectionem non eluxit, evertitur dogma, de præsentia Carnis in Cænâ ante Resurrectionem institutâ, cuius dogmatis solius causâ Vbiquitas inventa est.

170. *Contra* 4. Neque in Resurrectione, neque in Ascensione Maiestatis declaratio facta, Ergo nunquam. Non in Resurrectione. Tùm quia aliâs vanissimè jactarent tritum illud suum ex Ephe. 4. *Ascendit super omnes cælos ut adimpleret omnia*: Id est, juxtà eorum censuram, *ut esset ubique.* Tùm quia, si Christus tum fuisset ubique, Lucæ 24 & Joan. 21 Phantasticè, & non verè, *in medio discipulorum stetisset, comedisset, ad mare Tiberiadis ambulasset, in montem Oliveti ascendisset, manus & pedes ostendisset*: Tùm denique, quia non verè Petrus Acto: 2. dixisset *Animam eius non esse relictam in inferno*, quia existendo ubique etiam in inferno fuisset. Non etiam in Ascensione, quia in eâ, potiùs declaravit se non esse Vbique, quàm esse Vbique, vel Angelis ipsis Acto. 1. ita testantibus, ut fusius Disq. 15.

DISQVISITIO. XI.

An in Communicatione Operationis Divinæ aliquod fundamentum habere Vbiquitas possit?

171. POstquàm neque in Communicatione Maiestatis Divinæ, ullum causæ suæ præsidium invenerunt Vbiquistæ, fingunt humanitatem Christi, officia atque operationes Mediatoris ubique administrando, Vbique præsentem adesse oportere.

PROPOSITIO. I.

Vbiquistæ docent proprias Divinitati actiones, ita Humanitati communicatas esse, ut cùm Vbique operetur, etiam Vbique præsens existat.

ITa Smidelinus thesi 127. & post illum Gerlachius, apud Busæum ad Th: 87. *per opera*, inquit, *Divina, ostendit Christus, se præsentem Ecclesiæ suæ adesse Vbique terrarum colligendo, plantando, propagando, conservando, gubernando, & salvando eam.* Idem cæteri docent cum Dieterico, qui in catechet. instit. vocat id commentum κοινωποιίαν, περίφρασιν, & κοινωνίαν ἀποτελεσμάτων

172. Sed Adversarij non tantum *falluntur*, quatenus (ut Prop: seq. videbimus) fallò comminiscuntur, Christum omnia secundùm utramque naturam operari, sed insuper etiam scientèr *fallunt*, quatenus illud Marc: ult:

ult: *Illi autem profecti prædicaverunt, Domino cooperante ubique &c.* Ita distinguunt, ut particulam *Vbique*, jungendam præcedentibus, coniungant sequentibus verbis, ut non tám sensus sit, *Prædicaverunt ubique*, quàm, *Domino cooperante Vbique.* Etsi verò admitti debeat, prædicantibus ubique Apostolis, Dominum fuisse ubique cooperatum, tamen admitti non potest, *secundùm omnipræsentiam, & Vbiquitatem Carnis* cooperatum fuisse ubique: Quia sola Divinitas, & Spiritus Sancti de cœlo missi virtus, etiam absente Christi humanitate, præsens ubique aderat, & cooperabatur.

PROPOSITIO. II.

Christus omnia operatur secundum eandem personam, non tamen omnia secundum eandem, vel utramque Naturam.

173. PRimum patet, Quia actiones & passiones sunt Personæ, sive, ut ipse Ditericus Vbiquista pag. 140 fatetur, *Agere, proprium est suppositi.* Secundum etiam *patet.* Christus sicut unam Personam, ita duas naturas habuit, & quidem, ut post Concilia, Damascenus lib. 2. cap. 2. alijsque locis scribit *Inconfuse, Immutabiliter & inalterabiliter sibi unitas.* Non enim, ut ibidem cap. 3. dicitur, *Christus est* ἐξ ἑτέρων ἕτερον, ἀλλ' ἐξ ἑτέρων τα ἀυτα, id est *Non ex diversis diversum quid, sed ex diversis, ea ipsa.* Ergò cum diversæ sint naturæ, diversæ quoque erunt naturarum operationes: Ergò consequenter, non tàm naturis inter se diversis, quàm communi Personæ erunt communes.

174 Quod quidem clarissimè docuit idem Damascenus lib: 3 cap 15. Non tantum suis sed etiam Patrum verbis. *Quorum*, inquit, *diversa natura est, horum dispar quoque actio est; ac rursus, quorum diversa est actio, horum*

etiam dispar natura. E contra *quorum natura eadem est, horum etiam actio eadem; quorum autem actio una est, horum, si Sanctis Patribus credimus, una quoque est essentia.* Et circa medium cap: eiusdem, quasi Vbiquistis obvians, *Si una*, inquit, *Divinitatis, & ipsius Carnis actio est, compositus erit Christus; quia si composita actio erit, sanè & natura.* Tandem utrique naturæ proprias operationes designans ait. *Nec verò natura humana Lazarum excitavit, nec rursus Divina potentia Lachrymas fudit; sed promiscuè harum utraque ob Personæ identitatem: Verbo nim. quæ Verbo conveniunt, pro Divinitatis suæ potentia efficiente; hoc est omnia ea, quæ regia sunt, ac Principatum decent: Corpore autem omnia, quæ corpori congruunt, ad Verbi sibi uniti, cuius etiam proprium factum est, arbitrium & voluntatem peragente.*

175. Atque ex his patet, quàm absurda sint illa, quæ Leonardus Hutterus loco tertio n. 25. ex suâ, suorumque sententia scribit; videlicet, *persona non agit In, sive cum Vnâ, sive per unam naturam tantùm, sed potiùs In, Cum, & secundùm, atque per utramque naturam.*

176. Cæterùm sententia Catholica confirmari etiam potest ex ipsa reduplicatione, quâ in distinguendis Christi actionibus Patres, & Ecclesia uti solent. Nam ut bene Bellarminus, in Apologiâ, Judicij sui, *particula reduplicativa, non reduplicat suppositum, sed formam. Cum enim actiones sint suppositorum, dubium non est, eas à supposito provenire; sed quia plures interdum dantur in eodem supposito formæ, reduplicatio ostendere debet, à qua tandem Forma actio proveniat v g. Petrus canit, vt musicus; curat, vt medicus &c.*

PROPOSITIO. III.

Vbiquistæ Christi humanitati, modò Nimium, modò Minimum in operando tribuunt.

177 ITa nimirum Spiritus hæreseos, ac erroris, solet idem

Idem cum Spiritu Vertiginis esse, ut, quod vulgó dicitur; *ex eodem ore & calidum, & frigidum.* *Nimium* tribuunt, qui ut vidimus θεανδρικὰς, sive *Dei viriles* Christi actiones, non tantùm uni personæ, sed utrique etiam naturæ promiscuè, ita tribuunt, ut quæ Divinitas operatur, operetur simul etiam humanitas, & è contra. Deindè qui, *cum Formulâ Concordiæ*, teste Bellarmino cap 8 Valentia lib. 1. cap 11. asserunt, *Verbi Divinitatem, ita in Christi corpore ac humanitate habitare, & in eâ lucere omni sua Maiestate, potentiâ, sapientia, justitia &c. ut per illam, & in illâ, omnia operetur.*

178 Quod ipsum Smidelinus, *in Colloquio Mompelgartensi*, ut ipse scribit in Epitome pag. 33. sequentibus verbis enunciavit, *Duæ in Christo naturæ, sic Actiones, & Passiones communes habent, ut divinitas nihil faciat seorsim, sine humanitate; sed (in statu gloriæ) omnia cum eâ, & per eam; neque humanitas quicquam sine Divinitate patiatur.*

179. Jam verò è contra *Minimum* illi tribuunt, qui eodem Bellarmino & Ragusa Disp 118. Sect 1. testibus, non aliam in Christo statuunt unionem hypostaticam, quam qualis est inter Agens Principale & instrumentum. Sanè Lutherus ipse, in illud Geneseos *Fiat lux* &c. *Hic primum*, inquit, *ponit Moyses Medium & Instrumentum, quo Deus Pater est usus in operando, nempe Verbum.* Concinit Lutherus Arrio, cuius eadem prope verba refert S. Athan. Epist. 2. cont. Arian adeo ut Blandrata hoc eodem Lutheri testimonio usus sit ad evertendam Christi Divinitatem in Disp. Alban. in Actis. Sept diei.

180. Lutherum κατὰ πόδας sequuntur discipuli, qui non minus consequenter, quam impié blasphemeq; cum Brentio, & Smidelino docent. *Christum ab aliis hominibus differre solùm per energiam, quia videlicet, Deus per Christum omnia, per alios verò quædam operatur.* Eadem insaniâ laborabat Danæus Calvinista qui teste Diterico pag. 373 &c

373. & *Hinckelmano Disp.* 5. docuit, *carnem Christi ad efficienda miracula; non plus contulisse, quàm carnem Apostolorum; proindeque instrumentum fuisse, non tam* ἔλλογον, *quàm* ἄλογον, *sicut fuit virga Moysis. Quæ sententia*, ut merito subdit Bellarminus *falsissima est, & aperte Nestoriana, vel peior Nestorianâ,*

181. Quo etiam referenda est Erasmi sententia, qui Phil. 2. v. 6. per *formam Dei* accipit, non tam naturam Dei, quam operum & miraculorum, è quibus Deus cognosci potuit, splendorem ac speciem. Vid. ibid. Velasq. annot. 1. Cornelius &c. Erasmo ὁμόψηφός est, Resuscitatæ apud Hassos Vbiquitatis primus præcipuusq; author, Balth. Mentzerus, in *examine Demonstrat. Martinij* Anno 1617. Thesi 24. & 25.

182. Neque aliud censendum est de Regiomontanis, qui cum Behmio Divinam, humanamque in Christo naturam, per modum Actus & potentiæ, seu per modum formæ & materiæ, unitas aiunt. Scribit enim ille, memb. 2. n. 5. *Duas Christi naturas Divinam, & humanam, sic affectas esse, ut altera rationem habeat* ἐντελεχείας, *altera rationem* δυνάμεως, *facilè rem deprehendes, si rem æquâ judicij lance perpenderis.* At nos re ad æquam judicij lancem perpensâ, cum Damasceno lib. 3. cap. 15. idem prope commentum damnante exclamamus. *Absit hoc à nobis, ut ad humanam actionem, à divina distinguendam, humanum motum*, (id est, ut Billius quoque advertit, Actionem, sive Operationem ab Humanitate provenientem) *passionem appellemus* &c.

PROPOSITIO. IV.

Humanitas Christi influit in operationes Divinitatis, non ut forma, sed ut instrumentum.

183. ITa Valentia lib. 1. cap. 11. Et cum eo, non tantum Damascenus lib. 3. cap. 10. dicens *humanitatem*

tatem non peculiari, suâ operatione, sed ob Verbum Diuinum sibi vnitum, diuina perpetrasse: Verbo nimirum vim suam per illam exercente: Verum etiam Ephesinum & Chalcedonense sexcentorum Episcoporum Concilium, recepto illo ab omnibus axiomate, quod sumptum fuit ex Epistolâ Leonis ad Flavian.; & est tale. *In Christo, agit vtraq; forma, cum communione alterius, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est.*

184. Communio enim illa non tam actionum, quàm naturarum, non in eo sita est, Quod unius naturæ operatio communicetur alteri, ita ut ab illâ tanquam â formâ procedat, sed quod una natura, operando quod sibi proprium est, propter communicationem eiusdem personę, Vim, & appellationem eiusdem operationis communicet alteri, ita v. g. Ioan. 6. *Caro* dicitur *viuificare*, seu vitam dare; propter vivificationem, â Divinitate carni unitâ, procedentem, *ita vt viuificatio* (quemadmodum S. Cyrillus Anathematismo 11. dicit) *Carni competat, non quod ipsa viuificandi Vim in se habeat, sed quia facta est propria Verbi, quod omnia viuificat.* Consule Disq. 12 pr. 1.

185. Atque hæc omnia illustriora etiam fient testimonio doctissimi Martyris S. Hippolyti, Episcopi Portuensis, discipuli Clementis Alexandrini, qui circa annum 220. contra eos, qui dicebant *Carnem â Verbo assumptam eandem cum Diuinitate operationem habere*, exemplo animæ & corporis ad eandem v. g. scriptionem; vel animæ & lingvæ, ad eandem locutionem concurrentis, oppositum demonstrans, tandem concludit. *Non credimus, Sanctam Dei Carnem factam esse natura creatricem, quia assumpta fuerit, & quia per eam operatio Diuina edita sit. sed potius piè credimus; & confitemur, quod Deus Verbum, factus est homo, idem DEVS totus, & idem totus homo: Diuinitate quidem, diuina operans per sanctam carnem, quæ naturâ non*

erant carnis, humanitate verò humana, quæ natura non erant diuinitatis, patiens sustentatione diuinitatis &c.

186 Atque hoc S. Martyris Hippolyti testimonium, eò firmius esse debet, quod eum deinceps non modò S. Leo in ep. 10 Synodicâ ad Flav. sed & duæ illæ generales Synodi, *Ephesina* videlicet, & *Chalcedonensis*, ut testem veritatis secutæ fuerint.

PROPOSITIO. V.

Vt Christus operationes θεανδρικὰς exerceat, non est necesse, humanitatem ubiq; præsentem esse.

187. NAm, ut bene Contzen in Corodine cap. 13. *Inaudita est Hæresis, nihil Christum posse, ubi non est secundum humanitatem præsens.* Adde, solem & alias res creatas, agere posse in distans, per solam virtutis suæ præsentiam. Cùm igitur in Christo, non omnes operationes solius Divinitatis propriæ sint, sed aliquæ (ut propr. 2. vidimus) merè sint humanæ, ijs tantùm locis, est, aut præsens fuit humanitas, quibus operationes humanitatis exerceri nunc convenit, aut olim conveniebat: Atqui non conveniebat Christum ubique in toto mundo v. g. Nasci, Capi, mori, Resurgere &c. Sed tantum in certis locis: Ergo etiam humanitatem, in certis tantum locis præsentem esse oportebat.

DISQVISITIO. XII.

An Ex Officijs Christi Mediatoris Vbiquitas adstrui possit?

188. NOn hîc examinantur heterodoxæ variorum sententiæ *de Mediatore*, ut Osiandri, qui Christum, secundùm solam Divinitatem, esse Mediatorem ita contendebat, ut, quemadmodum Disq. 24 videbimus, totam Prussiam, & magnam Germaniæ partem concusserit: Aut Stancari, qui ita Osiandro oppositam tenuit viam, ut soli humanitati, seclusâ etiam Personæ Divinæ energiâ, Mediatoris officium tribueret, uti Bellarminus lib. 5. cap. 2 docet. Sed tantum Vbiquistarum, qui I. *cum Calvinistis*, opera Mediationis, utrique naturæ, tanquam principio, non tantum Quod, sed etiam Quo tribuunt, & à Bellarmino, alijsque refelluntur. II. *Ipsi seorsim docent* Christum, ut officia Mediatoris obeat, debere secundum humanitatem esse ubique.

PROPOSITIO. I.

Christus ratione suppositi, & *ut Principium Quod*, est Mediator secundum utramque naturam; at verò ratione principij Formalis, *& ut quo*, tantum est Mediator secundum naturam humanam.

189. VTraque pars cum Dieterico, Vbiquista pag. 372. &

372 & Daniele Tileno Calvinistâ ad cap. 1. Bellarmini lib. 5. explicatur per ea quæ S. Damascenus lib. 3. cap. 5. hunc in modum tradit. *Scire convenit, aliud esse* ἐνέργειαν *id est virtutem operatricem, & aliud* ἐνεργητικόν, *sive id, quod operandi facultate præditum est: Et aliud insuper opus ipsum, sive* ἐνέργημα: *Aliud denique Operantem sive* ἐνεργοῦντα. ἐνέργεια, *est efficax, & essentialis animæ motus:* ἐνεργητικὸν, *est natura, ex qua operatio procedit, opus verò sive* ἀποτέλεσμα *est id, quod ex actione conficitur; Operans deniq; is, qui actione perfungitur, hoc est Persona.*

190. Atque hinc *Prima Pars probatur*, Christus est una Persona, seu unum suppositum in utraque naturâ subsistens, Ergo Christus ratione unius suppositi, est Mediator, secundum utramque naturam, præsertim cum juxta axioma, *actiones sint suppositorum.* Et hoc facile concedunt adversarij, quamvis cum Tileno ad cap. 2. Agathonem Papam in VI Synodo Generali actione 4. ita velint *negasse, in Christo opus personale, & asseruisse opus naturale*, ut quodvis opus, sit commune utrique naturæ; quod tamen nusquam Agatho intendit, qui, cum adversus Monothelitas assereret, *distinctas in Christo voluntates & operationes*, ex distinctione naturarum, & principiorum naturâ distinctorum (eo planè modo, quo Damasc. hic n. 174) id deducit: quo ipso innuit opus unum, idemque non posse commune esse utriq; naturæ.

191. Probatur igitur *& Secunda Pars.* Illud tantum est ἐνεργητικόν *& Principium formale*, seu *ut quo*, à quo, opera mediationis, & Satisfactionis, maximeque, omnium præcipuum, videlicet, Passio & mors proficiscuntur: Sed à sola humanitate opera Mediationis & satisfactionis profiscuntur: Ergo sola humanitas est Principium formale, *seu ut quo*, Mediationis & Satisfactionis.

Minor

Minor ita explicatur, *& Probatur* à Bellarmino lib. 5. cap. 1. & 3. *Tametsi Deus incarnatus erat, qui orabat, patiebatur, obediebat, satisfaciebat, ac proinde, Neque solus Deus, neque solus homo, sed utrumque simul, hoc est, Verbum Incarnatum, sive Deus humanatus, erat* Mediator, *& principium Quod; mediationis tamen principium, quo illa omnia à Mediatore fiebant, fuit natura humana, quâ Mediator illa opera faciebat secundum formam servi, non secundum formam Dei* ut ex seq. Prop. amplius patebit.

PROPOSITIO. II.

Opera Mediatoris, habent pondus & rationem meriti à Divinitate, sed originem & Principalitatem causæ, à sola humanitate.

192. PRima pars conceditur ab adversarijs. *Secunda pars* probatur, ex 1. Timo. 2. 5. *Vnus Deus, unus Mediator Dei & hominum Homo Christus Iesus.* Sicut enim est unus in Trinitate Deus, excludens (ut advertit Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus) Deos gentilium, non tamen personam Filij in carne; ita etiam est unus homo Mediator in carne, non excludens personam, sed naturam Divinam, à principalitate causæ in ipsa mediationis operatione: *Ergo Christus* (ut Augustinus *lib.* 1. *de civit:* cap. 2. *lib.* 9. *Civ:* cap. 5. *lib* 10. cap. 20. *& lib.* 1. de Consf Evangel. cap. 3. *Et in Psal.* 103. & contra Felicianum cap. 10: *lib.* 10. *Confess.* cap. 43. *lib* 1. de Trinit cap 7. *Tract.* 82. in Joan. *lib. de ovibus* cap. 12. *Sermo* 11. *de verbis Apostoli* expresse scribit) *Mediator inter hominem & Deum, non quia Deus, sed quia homo: non quia Deus æqualis Patri, sed si æqualis Patri, non Mediator* &c.

193. Cuius rationem innuit, lib. 2. de Peccato Originali, cap. 28. *Non per hoc*, inquit, *Mediator est, quod æqualis*

æqualis est Patri, per hoc enim quantum Pater, tantum & ipse distat à nobis, & quomodo erit medietas, ubi eadem ipsa distantia est? Per hoc ergo mediator, per quod inferior; homo inferior Patre, per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod Patri propinquior: quod aptius dicitur, Inferior Patre, quia in forma servi; superior nobis, quia sine labe peccati.

194. Quasi ita argueret, Mediator debet esse medius inter partes, proinde distare aliquomodo ab utraque parte: Sed Christus secundum solam humanitatem est medius inter Deum, non tantum Patrem, sed etiam (quod benè ex Augustino Comment 1. in Psal: 29. contra Calvinum, in Epist: 2. ad Polonos videtur notandum) totam SS. Trinitatem, & homines cæteros; quia quatenus homo, distat à Divinitate; & quatenus homo justus, distat à cæteris hominibus peccatoribus. Pluribus Bellarminus cap 3. & sequentibus, & Busæus ad thesim 79 Quibus nihil aliud opponunt, *Tilenus*, & *Amesius Calvinistæ*, nisi meros coccysmos; suū illud *Mediator* θεάνθρωπος, ad ravim, imo & ad manifestam contradictionem usque occinentes: quasi Apostolus dixisset; εἷς μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, θεάνθρωπος, nō autem ἄνθρωπος, Χριστὸς Ἰησοῦς.

195. Huc pertinent scripturæ, quibus vel Carni Joan. 6. v. 51. & seq Col 1. 22. Heb 10 10. vel Sanguini Matth. 26. 28. 1. Cor. 11. 24. Col. 1. 14. Heb. 9 12. & 13. 12 Apo. 1. 5: 15. 9: 1. Petri 1. 19. opera Mediatoris tribuuntur.

196. Huc pertinent & Patres, quos & Bellarminus lib. 5. cap: 4 & Busæus loc cit. plurimos adducit. Qui omnes, palàm cum vetere Ecclesia testantur, *Christum secundum humanam duntaxat naturam, fuisse Mediatorem, Sacerdotem, &c.* Consule Cyrillum lib. 11. in Joan c 7. Fulgentium de Incar. c. 13 Theodoretum in 2. Tim. 2. Vigilium lib. 5. contra Eutycheten.

Huc

197. Huc denique pertinent argumenta à ratione, & operum Mediatoris naturâ. Opera Mediatoris sunt Intercedere, orare, sacrificare, obedire, pati, mori; quæ in Deum non cadere supra evidens lumen rationis, docuerunt cum prima Ecclesiâ Sancti Patres. Quod enim Christus, *non oraverit ut Deus*, patet ex Augustino in Psal. 87. & 85 & enar. 2. in Psal. 29. Tr. 102. in Joan & Nazian Orat. 4 Quod item *non fuerit Sacerdos ut Deus*, patet ex Augustino lib 1. Trinit cap 10 & in Psal 109. Theodoreto in Psal 109. & in 2, Hebr & in 7 ad Hebr Athan Orat 3 Ambrosio lib. 3. de fide 5. Cyrill. lib. 9 thes 2. & Anathem 10. contra Theodor: & 11 in Joan 7 Epiph in Ancorat Fulgent. lib. ad Trasim. 12 Denique *quòd non obedierit ut Deus* docent Ambrosius 5. de fide 7. Hilar. lib. 9. Trinit. Damascenus 3. cap. 14. August. contra Serm: Arrian. cap. 7. & 22, Nazian. Orat. 4.

PROPOSITIO. III.

Vbiquistæ, opera Mediatoris utriq; naturæ tribuentes, cùm in argumentando insulsi & impij, tum in maledicendo extremè audaces sunt.

198. PRimum. Quid enim insulsum magis, ac magis impium, quàm illud Lutheri, *in Confessione de* Cænâ? *Si humanam tantùm naturam pro me passam credo, Christus ille mihi simplex, aut infirmus Salvator est, qui ipsemet alio indigeat Salvatore.* Et tamen Cælest Myslenta, integram *Dissertationem Theologicam*, *Respondentibus Daniele Martini, & Georgio Bodedorfio*, uno hoc Lutheri argumento, egregiè fartam, cùm Anno 1635. typis protruderet, ex eo quod Bellarminus, Suarez, alijq; DD, Catholici docent, *Præcipuum Redemptoris & Mediatoris opus, ac munus esse Passionem & Mortem, secundum huma-*

nam naturam, in Persona λόγου subsistentem peractum, ita §. 5, & 8 concludit *Ergo Christus erit minus, quàm noster Redemptor, & Salvator, per quem nec Redempti, nec Salvati, salvandivé post hanc vitam sumus. Id quod Paganum, Iudaicum, Turcicum;*

199. Quia verò impiam, juxta ac elumbem Consequentiam suam, negatam sibi negandamq; deinceps vidit, ita § 6 judicio scilicet suo victor, instat. *Ratio illationis est firmissima, nec ulla Sophistica à Iesuitis infringi potest ex hoc fundamento. Siquidem à principio finito, licet in Persona τοῦ λόγου subsistente, operatio infinita, quale est opus Mediationis, &, in præsenti materia, Redemptionis, produci nequit.*

200. At non intelligit, homo scil. acutus! id quod supra est Prop. 1. jam indicatum, vid. Christum respectu operum Mediationis & Redemptionis esse Principium finitum, *ut quo* duntaxat, non vero *ut quod*. Etsi enim opera illa origine & causalitate physicâ à solâ humanitate veniant, Valore tamen, &, ut dicitur, influxu ac causalitate morali, veniunt etiam à Personâ, & consequenter à naturâ Verbi; cùm præsertim, juxta potuitum illud, *Actiones suppositorum sint*

201 Forsan hæc Myslenta assequeretur, si quæ sit Ratio Entis Moralis, quæq; illius ab Ente Physico & Metaphysico distinctio tantus Doctor! unquam esset assecutus. Non pigeat ab Ægidio Coninck, Tomo *de Actibus humanis*, alijsq; DD. nostris discere, quæ ignorare, Virum inter suos tantum, meritò pudeat. Quanquam fortasse aliquid assecutus jam videri potest, qui Disp 6. Coll: Prut. de *sola natura humana in Christo exinanitâ & exaltatâ*, Th 8. ea, quæ à nobis Disq. 15 prop. 3. afferuntur, tanquam huc quoq; referenda, scripta reliquit.

202. *Secundum.* Quis singulorum, vel de una apud Bregelam officinâ, recenseat maledicta? Vnum, omnium

instar,

instar, Myslentam audisse operæ precium fuerit. Is igitur ipso citatæ Dissertationis initio, triumphum ante victoriam ita sibi occentat *Evictum hactenus à nobis est præcedenti Disputatione, Pontificiorum Romanensium Ecclesiam modernam, non esse veram ac genuinam Christi Ecclesiam Catholicam: Sed spuriam, pseudocatholicam, ac ipsius Antichristi Synagogam, ideo quod officium Christi, veri Ecclesiæ fundamenti, Sacerdotale evacuet, destruat, evertat, & annihilet &c.*

203 Satis id erat ad insignem Catholicorum omnium contumeliam, imo & blasphemiam; sed Prædicanti necdum satis fuit Nam § 10. sententiam Catholicam de Christo Mediatore, vocat expressis verbis, *Hæresin crassam, multisq; modis execrandam, & penitus ex Ecclesia cætuq; Christianorum profligandam.* Ne quid verò, ad sales scilicet, urbanitatemq; Prædicanticam deesset, in ipso operis limine Epigramma ad suum Respondentem præfixit, in quo ita miseros Jesuitas inter cætera veneratur.

In simili, crassoq; nimis Errore Suitæ
Christe tuum, hærentes, evacuant Meritum &c.

PROPOSITIO. IV.

Christus, officia Mediatoris secundum humanitatem exequendo, non est, secundum eandem humanitatem, ubique.

204. TRiplex officium Christo Mediatori assignant Vbiquistæ; Myslenta Disp. 5 Dietericus pag. 377. videlicet, *Propheticum*, quo homines instruit de voluntate Dei ad vitam æternam; sive per se immediatè, in diebus carnis; sive mediatè, per ministerium Verbi. Deindè *Sacerdotale*, quo homines, potissimum per mortem & passionem suam, Deo reconciliavit, & etiam-

num advocatum agit apud Patrem. Denique *Regium*, quo omnia regit, & gubernat in cœlo, & in terrâ

205. Quidquid sit de Prophetico, & Sacerdotali officio, Regium certè adversarij sine Vbiquitate administrari non putant. *Officium Regium* (inquit Myslenta Disp. 5. th: 24. n. 4 & cum eo Dietericus pag 377. Daniel Michael n. 40. seq) *administrat Christus non absens, sed maximè præsens; non secundum alterutram, sed secundum utramq; naturam.* Et infra, *Ad regimen Christi, primò pertinet adessentia, seu præsentia Christi, secundum utramq, naturam.*

206. Sed *Contra est* 1. Quia Vbiquitas, ut probatum est, implicat *Contra est* 2. Regnum Christi administratur, vel Invisibiliter, per Spiritum Sanctum, quem Christus ex hoc mundo abiens quasi Vicarium, internæ, ac Spiritualis administrationis gratiâ, misit, uti Joan 16. multis significatur: Vel Visibiliter, per Apostolorum successores, juxta Eph 4. 11. *Ipse dedit, quosdam quidem Apostolos quosdam autem prophetas, &c. ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificarionem corporis Christi, donec occurramus omnes &c.* Vt vel hinc pateat, impudentia, sive maledicentia Myslentæ, in fine Disp. 5. *inter hæreticos, Regnum Christi oppugnantes*, numerantis Pontificios, *quód*, ut ille ait, *loco Christi absentis, aliud caput visibile in terris substituunt, nempe Papam Romanum.*

207. *Contra* 3. Quia Regimen per absentiam, nihil derogat Regiæ Christi Maiestati, (præsertim cùm ille, ut Deus, præsens ubique sit) quandò etiam homini plus accedit authoritatis, qui absens ea præstare potest, quæ præsens præstaret.

DIS.

DISQVISITIO, XIII.

An ex Ascensione Christi in cœlos, probari Vbiquitas possit?

208. QVia nullum in terris Vbiquitati suæ locum, vel asylum reperere Adversarij; incipiunt tandem, non tam cum Socrate ἀεροβατεῖν, quàm cum alijs veritatis hostibus, juxta Paulum 1. Cor. 9 26 ἀέρα δαίρειν. Ex Ascensione enim Christi in cœlos, quæ, quot, & quàm mira, *devoluunt*, sive mysteria; sive *metra* Dithyrambica!

PROPOSITIO. I.

Ascensionem Christi non veram, & localem, sed apparentem, & phantasticam fuisse, Vbiquistæ fingunt.

209. NE enim se, vel ipsius Symboli articulis, victos cogantur fateri, ducibus Brentio in *lib de Maiestate hominis Christi*, & Illyrico *in lib. de Ascens: Christi*, aiunt, cælum non sumi propriè, sed figuratè, ita ut Christus non ascenderit in cœlum empyreum, hoc est verum, reale, & corporeum; atque intra illud, aliquo certo loco, juxta veri corporis humani rationem & molem, circumscribatur; vel certè extra omnes cœlos, empyrei summique cœli convexum pedibus contingat (quemadmodum cum S. Thoma 3 P q. 57. art. 4. Augustinus de

fide, &c. Sym: & Epist: 57 ad Dard. alijsque Patribus Catholici docent) sed in metaphoricum, sive in *Gloriam, Regnum, & Maiestatem Dei.*

210 Nunquid Vbiquistæ sunt, illa apud Poëtam (Juven: Sat: 3.) *Natio Comœda?* qui, quemadmodum in rebus divinis perpetuò ludunt, ita Christum ad sui mores, ludionem, ne dicam præstigiatorem faciunt? Et notæ sanè sunt illæ Brentij apud Bellarm: cap. 12 Sycophantiæ: Sic enim homo effrons argutatur *Si Christus sit in cælo corporeo, necesse est, ne in perpetua cœli agitatione malè habeat, in loco aliquo quieto esse, proindeque in aliquo Polorum puncto residere, & quidem non in Arctico, quia is Aristotele teste, inferior est; Ergo in Antarctico, quia is non tantùm quietus, sed etiam superior. Quanquam & hic, si sit, quo se tandem recipiet cùm cœlum corporeum destruetur?* Lucianicæ isti juxta ac Vbiquisticæ Philosophiæ veritas opponenda est seq prop.

PROPOSITIO. II.

Christus perindè, vero, reali, ac Physico motu ascendit ad cœlos, sicut & in adventu ad Judicium, descendet de cœlis.

211. Vtrumque Angeli affirmant Acto: 1. *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* In eo motu, nihil fuit phantasticum, sed omnia realia & vera; ita, ut cum oculis cerni potuerit initium veri motûs (quia *videntibus illis* Apostolis, *elevatus est, & nubes suscepit eum* Acto: 1) *progressus quoque* (quando Lucæ 24. *Recessit ab eis & ferebatur in cælum*) imo & finis motûs fuerit verus, & realis, quando Marc. 16. *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Nisi fortè *In revelatione Domini Iesu de cælo*, 2. Thes. 1. quando scilicet *apparebit signum Filij hominis*

hominis in cœlo Matth 24. 30 *& ipse Dominus in jussu, in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo* 1: Thes 4. Omnia futura sint simulata, phantastica, ἀφοσιώσεως χ ϛ ν, & planè, ut aiunt, *Dicis causa*.

212 Quod si tunc, nullus oppidò erit simulationi locus (neque enim *Salmoneus alter tonabit*) ne in ascensione quidem fuit. quia, *Sic veniet, quemadmodum &c.* Sicut igitur verè *descendet*, utique etiam *verè ascendit*. Quod si vero *Ascendere in cœlum*, juxta Prædicanticam subtilitatem, nil aliud fuit, nisi *Gloriam, Regnum, & Maiestatem usurpare*, etiam *Descendere de cœlo*, juxta nostros πτωχομύσταις, nil aliud erit, *nisi Gloriam, regnum, & Maiestatem relinquere*: vel, ut Paulus loquitur Phil: 2. *Exinanire semetipsum*; quod, scilicet, Dominus ipse prædixerit, cum diceret Matth 24 30 *Tunc videbunt Filium Hominis, venientem in nubibus cæli cum Virtute multa, & Maiestate!*

PROPOSITIO. .III.

Christus in Ascensione suâ, non adijt neglectum hactenùs Vbiquitatis usum.

213. HÆc nimirum, juxta Vbiquistarum Philosophiam, Ascensionis meta, hic scopus erat, ut qui ab ipso conceptionis suæ exordio, Vbiquitatis Maiestatem, quasi vi obscurasset, nec nisi quandoque promicare totâ vitâ suâ sivisset (*in statu enim exinanitionis eam secretò habuit, neque semper, sed quoties ipsi visum fuit, usurpavit*, ut inquit cum Luthero suo, & Formulâ Concordiæ, Leon: Hutterus loc: 3 n 23) Tandem in Ascensione omnes illius radios, quasi *pleno Copiæ cornu* diffunderet. Quæ verò huius Philosophiæ tandem est ratio? Literæ, ut illi aiunt, divinæ; præsertim Ephe: 4 v. 10. ὁ κατα-

βὰς, αὐτός, ἐςι καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos ut adimpleret omnia.*

214 Primum *igitur Brentius* sic philosophatur. *Christus ascendit super omnes cælos*, vel ut est Hebr. 4 *Penetravit cœlos, excelsiorque cælis factus est* Hebr 7. Ergo non hæret in cœlo, neq; continetur aliquo cæli loco. Sed quid hinc aliud (nisi quod S. Thomas 3. P. Q. 52. A. 4. docuit) Vbiqvista eliciat, videlicet, Christi corpus esse supra convexum seu absidem ultimi cœli? nisi forte dicat, *Excelsiorem cælis* ita factum, ut superior sit gloriâ, omnipotentiâ, maiestate, & Divinitate suâ.

215 Quanquam quid etiam vetat dicere, esse intra concavum eiusdem, & summam cœli partem, supra omnes Sanctos (quorum in *domo Patris sui* secundum Ioa. 14 v. 2. *mansiones multæ sunt* & quibus aiebat v. 3 *Iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum; ut ubi sum ego, & vos sitis* Vide Damascenum lib. 2. c. 6 Procop Gazæum in 1 Genes Augustinum, Rupertum, aliosq; Patres apud Busæum ad Th. 103) possidere & ad modum Aaronis (ad quem scilicet Heb 4 alludit Paulus) penetrasse *ipsa Sancta sanctorum, & interiora velaminis* Templi illius Divini: neque tamen idcirco necesse erit, extra, vel citra pomœria Templi, eum dicere progressum, quemadmodum neque Aaron *penetrando* &c. extra vel citra parietes Templi processit.

216 Vt enim caput supra omnia corporis membra eminet, ita Christus (quem Apostolus Eph 1 & alibi sæpè *caput Ecclesiæ* vocat) intra omnia Mystici corporis sui membra, eò etiam magis eminet, quo ante, se magis in statu exinanitionis; vel ad ipsos inferos demisit; uti clarè innuit Apostolus v. 9 *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terræ!* Vt autem terra hic, psal 113, Isai, 66, Mat. 5. & alibi, propriè, &

nos

non metaphoricè sumitur, ita & cœlum, quod terræ opponitur. Vide Patres apud Busæum ad The: 103. pag 241.

PROPOSITIO. IV.

Christus in Ascensione sua adimplevit omnia, non Corporis sui omnipræsentiâ, sed vel prophetiarum consummatione; vel donorum gratiæ exhibitione; vel etiam successivâ Carnis suæ præsentiâ.

217. SEd pergit Brentius cum suis, *Ascendit, ut adimpleret omnia.* Acutos enimverò homines! & planè, ut est apud Homerum, *Phœnicas* πολυπαιπάλους! quia non minùs ad ignaviam, & mentis aruinam, quàm ad calliditatem, verborumque pugnam factos! Quasi *adimplere omnia* non potuerit Christus, nisi humani corporis angustias pertæsus, cælum, ac terram, infinitosque extra cœlum & terram mundos, diffusæ carnis suæ Vbiquitate *Adimpleret.* Quomodo igitur ἀναβὰς αὐτὸς, καὶ καταβὰς; *idem ascendens, qui & descendens?* Si enim est, & fuit ubique; quomodo vel ascendere, vel descendere aliquò dici potuit? Quomodo non ipsum *ascendere & descendere* (quæ in proprio sensu accipienda prop: 2. diximus) omnipræsentiam, Vbiquitatemque istorum evertit!

218. Vultis igitur, ô boni, scire, quo pacto *Adimplevit omnia?* Audite, ex omni Patrum Senatu, Hieronymum in Epist: ad Eph: S. Thomam ibidem lect: 3. Bernardum Ser: 2. de Ascens. *Adimplevit ascendendo omnia, quæ vel à Prophetis prædicta, vel à Patre æterno mandata erant,* juxta illud Joan: 19. 24. *ut Scriptura impleretur:*

v. 28. *Sciens, quia omnia jam consummata sunt, ut consummaretur Scriptura.* Et v. 36. *Facta sunt hæc, ut scriptura impleretur.*

219. Non placent istorum Sententiæ? Audite de eodem Senatu Hilarium in Psal. 56. Ambrosium Epist. 16. *Adimplevit omnia*, quæ secundum Incarnationis suæ οἰκονομίαν, ad mysticum Ecclesiæ corpus redundare debebant; ut nihil deesset Ecclesiæ, quoad dona, & gratias tum gratis datas, tum gratum facientes; quando post suam ascensionem ipsum fontem omnium gratiarum, videlicet Spiritum Sanctum, uti promiserat, misit. Quod quidèm ipse Apostolus lo: cit: v 7. & seq. docuit *Unicuique autem nostrûm data est gratia, secundùm mensurum donationis Christi, proptèr quod dicit* (Psal: 67 19.) *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem dedit dona hominibus.* Quin & Christus ipse hoc innuit Joan: 15 *Expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

220. Quod si & alios insuper desiderent, audiant Bernardum, suo aliorumque nomine Ser. 2 de Ascens: ita differentem. *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit hodierna die super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Iam enim cum se Dominum universorum, quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno, probasset, non restabat, nisi ut aëris & cœlorum se esse Dominum argumentis similibus, vel certe pontioribus approbaret. Terra enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis eius, cum clamasset voce magna, Lazare veni foras, mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius, cognovit infernus &c.*

PROPOSITIO. V.

Cœlum, quod Christus ascendit, non est metaphoricum, neque ipsa mundi universitas; sed cœlum empy-

empyreum, corporeum, & locale, quod est suprema felicissimaque Vniversi pars, ac beatorum sedes.

221. METaphoricum adstruunt Vbiquistæ, dum docent, Christum ratione Vbiquitatis omnia implentem, eo ipso ascendisse in cœlum, quod virtutem, gloriam, & divinam in ascensione suâ Maiestatem declaravit. Hinc Musculus, & Prætorius Apologet: Busæi pag. 243 aiunt. *Si ascensio Christi de migratione corporali, ad cælum locale intelligenda sit. Paulus non fuisset mentis compos, cum Phil: 3. diceret Sanctorum conversationem esse in cœlis.* Vniversitatem verò totam pro Cœlo intelligunt Brentius, & Marbachius lo: cit: apud Busæum, dum aiunt. *Cœlum ea conditione esse, ut in eo non tantum Sancti homines, verùm etiam Sathan, Hercules, Numa Pompilius, Ethnici, Turcæ, Iudæi, ipseque infernus contineatur.*

222. Jam verò Cœlum locale, ac corporeum Catholici omnes docent cum Damasceno lib. 2. cap 6. Procopio Gazæo in 1 Genes. Ruperto, alijsque Patribus apud Busæum ad Thes: 103. pag 231. Omnium nomine Augustinus Epist: 57. ad Dardanum. *Christum*, inquit, *Dominum nostrum, ubique præsentem esse non dubites, tanquam Deum; & in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum.* Et lib. de fide, & Symb: cap. 6. *Credimus in cœlum ascendisse, quem beatitudinis Locum, etiam nobis promisit dicens, Erunt sicut Angeli, in cælis, in illa civitate, quæ est mater omnium nostrûm Hierusalem æterna in cœlis. Solet autem quosdam offendere* (notent hoc Vbiquistæ) *vel impios gentiles, vel Hæreticos* (Vbiquistas) *quòd credamus, assumptum corpus terrenum in cœlum &c.*

223. Ne porrò deinceps offendantur, audiant Petrum, de mittendo ad judicium extremum Christo loquentem Act: 3 v. 20. *Cum miserit eum, qui prædicatus*

est vobis, Iesum Christum, quem oportet cælum quidem suscipere usque in tempora restitutionis omnium. Nam ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, non tam significat quòd Christus capit cœlum, quàm quod Christum capiat, & habeat cœlum, quoad mittatur ad judicium, ut explicat Bellarm. cap 12.

224. Interim juverit ut adversarij audiant ac notent, quod loc: cit: contra vanissimam eorum curiositatem scribit Augustinus. *Vbi, & quomodo sit, in cælo Corpus dominicum, curiosissimum, & supervacaneum est quærere. Tantummodò in cœlo esse, credendum est: Non est enim fragilitatis nostræ, cælorum secreta discutere, sed est nostræ fidei, de Dominici Corporis dignitate sublimia, & honesta sapere.*

DISQVISITIO. XIV.

An è Sessione ad dexteram Patris, probari possit Vbiquitas?

225. NOn terram duntaxat, verùm & aera, per Ascensionem Christi, & cœlos ipsos, per Sessionem illius ad dexteram Patris invaserunt Vbiquistæ, ac propè secundum Psal. 72. v 9. *posuerunt in cœlum os suum*; ut inde aliquod causæ suæ præsidium quærant. Sed contra sit.

PROPOSITIO. I.

E sessione ad Dexteram Patris ridicule, ac prorsus futili-

futilitèr omnipræsentiam Carnis Christi Vbiquistæ contendunt probare.

226 POstquam enim, neque ex Ascensione Christi, obtinere intentum; neque ipsam Ascensionem, cum Sessione ad Dexteram, quemadmodum volebant, confundere potuerunt; tandem cum Smidelino *the Vitemb.* 213. *& sequentibus*, & (post Lutherum *Serm. de Cæna Domini*) cum Apologiâ libri Concordiæ, ita quasi de *Chrysippi Dialecticâ* argutantur.

> *Dextera Patris est ubique,*
> *Sed Christus secundum humanitatem sedet ad dexteram Patris.*
> *Ergo Christus secundum humanitatem est ubique.*

Addit vim, & pondus Argumento, Lutherus, *In Libro Quod Verba Domini firma stent*, subtilissimè ita discurrens *Christus non sedet in minimo digito, aut ungue Dexteræ Dei Patris, sed in ipsa Dextera Dei. Ergò prorsus est ubique.*

227. Certum est Lutherum cum suis, ita ratiocinando, si non τὴν ὀρέστου μανίαν, certè ὀρέστειον ὄνειρον νοσεῖν, Certum inquam est, istos, si non *insaniâ*, certè *somnijs*, ut aiunt, *Orestæis laborare*. Parum enim abest, quin eadem ratiocinatione concludant, *Iustorum animæ*, non in minimo digito, aut ungue, sed *in manu Dei sunt* Sap. 3. Ergo sunt ubique.

PROPOSITIO. II.

Sessio ad Dexteram Patris, differt ab ipsâ ad cœlos Ascensione, tanquam Quies, & terminus motûs ab ipso motu.

228. SI enim verum est illud Augustini lib. 1. de Trinitate

nit. cap 12 *Scripturæ non loquuntur aliquo genere, quod in consuetudine humanâ non inveniatur, quia utique hominibus loquuntur*; non potest jam verum esse, quod Vbiquistæ cum Illyrico *Lib de Ascens* docent; *sedere ad Dexteram Dei idem esse, quod ascendere in cœlum; ita, ut hoc, per illud explicetur* Non, inquam, potest verum esse quia neque Apostolorum, neque ipsius vulgi sensus ac consuetudo fert, ut *sedere idem sit, quod ascendere*, neque denique ipsius Symboli Apostolorum (quod brevissimum doctrinæ Divinæ compendium est) ut idem bis sine causa repetatur, ratio patitur.

PROPOSITIO. III.

Sessio ad Dexteram Patris, non est propriè, sed metaphoricè sumenda; videlicet pro æternâ beatitudine, vel pro ipsâ Divinâ gloriâ & Maiestate.

229. PRimum *patet*, ex Regulâ S Augusti. sumptâ *ex libro* 3. *de doctrinâ Christianâ cap*. 3. 10 16. & 27. Et ex *lib*. 8. *de Genesi ad literam cap* 7 Quæ etiam communi Doctorum sententiâ, probata est apud Scholasticos ad 1 p q 1 & apud Paulum Scherlogum *Anteloq* 1. *Sect* 4. *n* 28 & *Anteloq*. 11 *Sect*. 3 *n*. 20 Nec non apud Busæum *Apolog. cap*. 9. *pag* 242. videlicet, *Quando Divini sermonis proprietas non habet incommodum, ea sine dubitatione ullâ amplectenda est*. Esto igitur absurdum non sit, imò nec incommodum, propriè sumi ascensionem ad cœlos, Sessionem tamen ad Dexteram propriè sumi absurdum est; Quia Deus, cùm sit Incorporeus neque Dextram, neque Sinistram habet. *Dextera enim*, ut ait Damasc. lib. 4 cap 2. *Et Sinistra eorum sunt, quæ circumscribuntur*.

PRO-

PROPOSITIO. IV.

Humanitas, & Caro Christi, per Sessionem ad dexteram, neque est, neque potest Vbique esse.

230. HVmanitas enim non alio modo participare potest Vbiquitatem quàm quo participat Maiestatem; sed Maiestatem Divinam (quæ secundum Græcos potissimùm Patres, *apud Bellarm. cap.* 15. & *Busæum thesi* 106. per sessionem ad dexteram significatur) non participat in se, sed tantùm in supposito; Quia alioqui verum non esset, illud Joannis 3 v. 28. *Pater maior me est*; multoque minus illud 1. Cor. 15. 11. 28. *Cùm subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei* (videlicet Patri) *qui subiecit sibi omnia.* Ergo, etiam Vbiquitatem participabit tantùm in supposito: Ergò tantùm ratione Immensi, ac Divini suppositi sui, erit ubique, in se autem, ac ratione sui, est, & erit in certo, quamvis eminentissimo, dignissimoque Cœli loco.

231. Huc accedit, quòd Humanitas etiam ad Dexteram Dei sedens (quod vel ipsi Adversarij fatentur) adhuc permaneat, & sit Creatura; non igitur potest esse æqualis Deo. Nam quod illi regerunt, *ideo non esse æqualem Deo Quia non à se, sed à Deo Maiestatem, omnipotentiam &c. habet*, ad causam nihil facit, quia etiam Verbum in Divinis, omnia à Patre habet, & tamen Filius est Patri ὁμοούσιος & planè per omnia æqualis.

232. Neque juvat, quod dicunt, *Verbum habere omnia naturalitèr, Humanitatem vero tantùm per gratiam unionis.* Quia eo ipso, quod per gratiam habet, non ipsam Maiestatem, sed quandam Maiestatis participationem in se habet, quanquam longè digniori, ac diviniori modo, quàm cæteri Beati, qui juxta Matth. 25. Apocal. 3. Ad Dexteram Dei collocabuntur. Imo, jam de facto, etiam dum

dum in hàc vita sunt, in Christo, & cum Christo collocantur, juxta illud Ephes: 2. v. 5. *Convivificavit nos in Christo, & Conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.*

DISQVISITIO. XV.

An ex Vbiquisticâ, de statu Exinanitionis & Exaltationis, Philosophiâ defendi Vbiquitas possit?

233. DEploratæ fortunæ, & fractarum bello virium argumentum est, non jam virtute, sed numero niti; & cùm militem nequeas, turbam undecunque coactam magis, quàm lectam, in hostem ducere. Faciunt id Vbiquistæ nostri, qui cùm omnes argumentorum suorum Vires elisas jam fractasq́, videant, novam, tum *de statibus Exinanitionis & Exaltationis Christi*, tum de *Commentitio ad inferos descensu*, aciem producunt. Quod quia præter Balthasarum Mentzerum, *in Anti-Martinio*, *alijsque Disp.* Conradum Dietericum. *Catech. instit. pag.* 384. aliosque non paucos, etiam Mislenta noster, *Collegij Prutenici Disp.* 6 (fortè Professorem quondam suum Joan. Gissenium imitatus) ἐκ πίνακος καὶ στοᾶς, è tabula & porticu, ut Plutarch. libro de part. a loquitur, facere satagat, expendenda hoc loco erunt, quæ adfert, mysteria.

PRO-

PROPOSITIO. I.

Doctrina Vbiquistarum de statibus Exinanitionis & Exaltationis, ipsâ se novitate suspectam reddit.

234. OMnis in causa Religionis novitas, S. Augustino omnibusque in Christo orthodoxis, *suspecta semper fuit*: præsertim, cùm *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuvat utilitate, novitate perturbare soleat*, ut idem August. Epist 118. scribit. Atqui ne Catholicorum quidem Doctorum (qui tamen omnes hactenus in Theologiâ Philosophiaque difficultates ita rimando excusserunt, ut nihil videatur posteris superesse reliquum) quisquã, superfluâ, seq; ipsam ultro implicante subtilitate vel industriâ *μύρμηκος ἀτράπους ᾄδειν formicæ vestigia canere* usquam est conatus. Primi isti juxta ac novi Magistelli sunt, quibus, ut loquitur Plutarch lib. de Profectu, οὐ πρὸς στάθμην πέτρον, ἀλλὰ πρὸς πέτρῳ στάθμην τίθεσθαι, *non lapidem amussi, sed amussim lapidi applicare* & accommodare, curæ semper fuit. Non enim isti aut scripturarum, aut eruditæ Vetustatis oraculis sua sensa; sed, è diverso, hisce metiri illa didicerunt. Quod vel seq prop. illustrius fiet.

PROPOSITIO. II.

Prædicantica de statu Exinanitionis & Exaltationis Philosophia, neque in Sacris literis, neq; in SS. Patribus, & Christianæ Catholicæq; Ecclesiæ antiquitate, neq; in ipsa Augustanâ Confessione fundamentum habet.

235. PRimum Vnicus ferè locus in Scripturâ est, ad quem, *tanquam ad sacram anchoram*, in hac causâ confugiunt Vbiquistæ; vid Phil 2. v. 5. & seq. Placet eum diffusius proponere, ut omnes adversariorum conatus meliùs dignoscantur. Sic igitur Paulus *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Qui cùm in forma Dei esset non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo &c. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen &c.*

236, *Principiò igitur constat*, tum ex antecedentibus Pauli verbis, tum ex ipso v. 5. Paulum id agere, ut exemplo Christi omnes incitet ad humilitatem, &, cum humilitate satis instructi fuerint, ad mutuam pacem, concordiam, charitatem: Eâ causâ dicit, *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu*, id est, ut etiam Syrus vertit. *Hoc sentite in vobis, quod Iesus Christus*, supple, in se sensit: quasi dicat (ut ib Cornel. & Velasq. addunt) *Ille sensus, ille affectus humilitatis, pacis, charitatis sit in vobis, quem in Christo fuisse comperimus:*

237. *Deinde constat*, maxima humilitatis, aliarumque virtutum exempla à Christo edita; vel eo ipso, quod, cum á primo Incarnationis puncto esset *Comprehensor*, & proinde ex vi Visionis beatæ unionisque hypostaticæ, non in animam duntaxat, verùm & in carnem ipsam dotes gloriæ, & supremæ beatitatis flumina derivare jure posset, ac propè deberet; *Viatorem agere*, & tum in animâ, tum in carne, *formam servi* gestare & in eâ pati, mori, atque, ut Paulus ait, *exinaniri* delegerit.

238. Hic jam *novis Palæphatis* nostris, (id enim nominis novarum fabularum Assertores merentur Athenæo) *nova lux*, ut aiunt, *affulgere visa est*; ut de communi regiaque digressi viâ, Vbiquitatem, quæ nusquam est, alicubi invenirent. Quocirca ut doceant cum Myslentâ

the 7.

th. 7. *Christum nullo pacto secundum divinitatem, sed tantum secundum humanitatem*, fuisse exinanitum, hoc est, attributa Divina humanitati communicata, ac præsertim Omnipræsentiam, ab humanitate Christi, vel nunquam ante resurrectionem, vel rarò admodum usurpata, & quasi in actum secundum deducta; vel, ut Misienta th. 12. loquitur, *Omnipotentiam & Maiestatem infinitam, in statu exinanitionis, à Christo secundum humanitatem occultatam*; Docent in antecessum, per *formam Dei* secundum quam Christus *semetipsum exinanivit, formā servi accipiens*, non intelligi Divinitatem, sed tantum *exemplum*, sive *externam speciem, figuram, & specimen*, quod Christus homo, quasi scintillasquasdam divinitatis, per miracula & opera gloriosa, vibrando, ante resurrectionem subinde ediderit.

239. Sed hæc Philosophandi ratio, Primùm eiusmodi est, quæ Arrianismum sapit, & ob quam Erasmus, qui è Commentarijs S. Ambrosio falsò adscriptis, primus eam produxit, apud novos Arrianos, *docentes Christum non secus, atque alij Sancti, per miracula aliquod specimen Divinitatis edidisse*, magnam inijt gratiam, ut merito, *hic & alibi posuisse ova Arrianismi*, Cornelio dicatur.

240. Deindè Patribus, & sanctæ juxta ac eruditæ antiquitati adversatur: omnes enim Patres, quod vel Erasmus ipse fatetur, eo loco ad adstruendam Christi Divinitatem contra Arrianos usi sunt, præsertim Chrysost. Theophyl. Oecum. Hilar. August. Vnus Commentariorum, Ambrosio adscriptorum auctor, inter veteres eam tradidit; sed is, uti Bellarm. in Scriptoribus Eccles. demonstrat, Luciferianâ hæresi infectus fuit.

241. Denique adversatur ipsi, qua niti vult, scripturæ, & menti Pauli. Tum quia μορφὴ, apud Paulum & alios Scriptores divinos, non significat *speciem exemplum*, &c. sed *Formam*, quæ dat esse rei: ita ut *Forma Dei*,

sit ipsa natura Dei, Divinitas, & Deus ipse. Tum quia ex eo, quod Christus *esset in Forma Dei* (illud enim, *Cum esset &c.* causale esse bene Cornelius notavit) *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, sive, ut est in Græco τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ *esse æqualia*, sive, *esse æqualiter Deo*. Arbitrando enim, sentiendo, & dicendo se esse Deum (uti dixit Joan. 17. *Ego & Pater unum sumus*, de quo August. Tract. 17) non usurpavit alienum, sed, quod suum erat, sibi tribuit, cum revera esset Deus.

242. Tum quia *Forma Dei*, ut advertit Chrysost. opponitur à Paulo *Formæ servi*. Vt igitur non ad speciem, sed re verâ Christus erat in *Forma servi* Homo, ita & in *Forma Dei*, Deus. Vnde & Theodoretus contra Marcionitas, Christum verum Deum, sed non item verum hominem confitentes, ex hoc eodem loco, ita argumentatur. *Forma Dei, est Dei substantia? Omnino fatebuntur; non enim negant Deum esse, Christum Dominum. Ergo ratiocinemur, si forma Dei, est Dei substantia; servi ergo substantia, est servi forma: & invenientur ij, qui contraria sentiunt, per ea, quæ confitebuntur, ea confirmare, quæ nolunt fateri.*

243. Tum denique quia Paulus de Christo, quatuor quasi status diversos, & inter se omnino distinctos, qui tamen ab Vbiquistis confunduntur, enumerat, ac proponit: vid. per, *Esse in forma Dei*, & *Esse æqualem Deo*, Divinitatem veram: per *Accipere formam servi*, Mysterium Incarnationis: per *In similitudinem hominum fieri*, veram & non tantum apparentem, ut Marcionitæ alijque blasphemant, è Virgine humanitatis assumptionem: & per illud: *Habitu inveniri ut homo*, externam hominis figuram, speciem, & corporis formam, ipsi naturæ humanæ & formæ essentiali respondentem. Primum & secundum explicat Paulus, μορφὴν μορφῇ, *formam formæ*, opponendo

nendo: Pro tertio vocem à priore distinctam vid. ὁμοίωμα, 1. *Similitudo*; pro quarto verò σχῆμα, 1. *figura*, usurpat.

244. Hinc cum Chrysost: ser. 7. contra Marcionitas, aliosque hæreticos, *formam servi*, ad externa servitutis opera potius, quàm ad ipsam humanitatem referentes, argumentante, licebit contra Vbiquistas ijsdem quadantenus verbis ita ratiocinari. *Hæccine forma servi est? Neutiquam forma servi est, sed opus servi. Aliud vero est opus servi esse, aliud formam servi accipere. &c. &c.*

245. *Alterum* liquidò patet è Patribus à Cornelio & Velasq. imo & à nobis hîc citatis. Lubet vnum Ambrosium Epist. 47. Pseudo-Ambrosio hic opponere *Exinanivit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ; sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma.* Videri potest Cyril. Alex. lib. 2. de fide ad Regin: & lib. 2. in Joan. cap. 3: August. ep. 120. & tr. 55. in Joan: Hyginus ep. 1. Tertul. lib. 5. contra Marcionem cap. 20. &c.

246. *Tertium*, ne ipse quidem Myslenta, ut maximè satagat, negare potest. Quod enim th. 1. dicit, *Vtrumque statum, è tertio Articulo Conf. Aug. erui, utut totidem verbis non exprimatur, rem tamen ipsam optime etiam IV artic. Smalcal. describi*; id vel planè ὑπόξυλον, vel aliud nihil est, quâm quidvis è quovis, ad morem Prædicantum, eruere & adstruere velle. Hoc enim illi pacto, cum chimæras, τραγελάφους, natosq; in suo cerebro *hircocervos* orbi exhibent, & cùm *ipsas quoque è luce tenebras* producunt, rem ab se, non verba spectari aiunt.

PROPOSITIO. III.

Mysteria Vbiquistarum, de Exinanitionis & Exalta-

in Christo statibus, Prædicanticæ ματαιολογίας, Vanitatis, inscitiæ, & contradictionis plena sunt.

247. NE quid, scilicet ad eruditionem, & absolutam Divinarum humanarumque rerum scientiam, quam jactant, deesse Prædicantibus videre ur, nova quædam arcana, *Cereris vel Mithræ*, ut est in Proverbio, quàm Christianis *sacris* propiora, de *magno illo* ὁμολογουμένως *pietatis sacramento* 1. Tim 3 16. effingunt, Quæ verò illa? *Primum de* statu exinanitionis, cum Gissenio Mislentæ, apud Gissam Hassorum, præceptore th. 1 docent. *Quia Idiomata divina, humanitati Christi communicata, præsertim Omnipotentia, Passionem & mortem Christi exclusissent, necessarium idcirco fuisse, ut retento actu primo, Christus actum secundum eiusmodi idiomatum, secundùm carnem quasi deponeret, & non usurparet.*

248. Eiusdem farinæ sunt, quæ alij, cum Myslenta th. 14. quoad κτῆσιν & χρῆσιν, *possessionem*, & *usum idiomatum*, argutando somniant; & verbo uno reijciuntur: Tum quia Vbiquistica idiomatum communicatio, ut Disq. 6. demonstratum, implicat: Tum quia, utut ea communicatio daretur, adhuc implicaret eorum, si non omnium, saltem quorundam, ac præsertim ipsius (cuius causâ reliqua finguntur) Vbiquitatis, actum secundum à primo separari, uti & Disq. 10. & in Apolog. Bus. pag. 192. & pag. 193 probatum.

249. Deinde cum Mislenta th. 7. Mentzero th. 6. & seq. alijsque adstruunt, *Vtrumque statum competere Christo secundum humanam naturam tantùm, non verò etiam secundum Divinam.* Sed & hæc, *Chimæræ Prædicanticæ* sunt. Si enim quæras huius mysterij causam, vel potius, ut loqui scioli isti volunt, τὸ διότι: respondebit Mislenta l. c. *Distinguendum esse inter subiectum Quod, quale est totus*

Christus θεάνθρωπος, *& subiectum Quo, quale non est totum Christi, vel utraque natura, sed tantum alterutra, & quidem mutationis capax, hoc est, humana natura, quæ exinaniri potuit.*

250 At heus tu Cœlestine! Christus, *secundum Divinitatem*, Exinaniri non potuit, & potuit (quemadmodum tu cum tuis blasphemè doces, Disq. 20. prop. 10.) nasci in tempore, pati, mori &c? Et quid quæso amplius est, Exinaniri, an pati & mori? imo verò, quid est aliud Exinaniri quàm pati & mori? Nonne tu is ipse es, qui th. 13. doces; *Exinanitionem tribus gradibus absolutam, vid. Formæ Dei evacuatione, Formæ servilis assumptione, & extremâ humiliatione*: id est, ut Th. 16. subijcis, *passione illa magna in horto, urbe, extra urbem, nec non perpessione, & morte cum summis doloribus, ignominia &c.* Potuit igitur mori &c. & non potuit Exinaniri? Viden' ut tibi aqua ubique hæreat? Quanto tu rectius, Patres & omnes orthodoxos secutus, missa faceres, quæ assequi nusquam potes?

251. Adhæc (ut scil. portum, quo tendunt, occupent) aiunt, ex eo quod Christus, in statu Exaltationis, plenum ac perfectum omnium Idiomatum usum sibi sumpsisset, non potuisse, secundum carnem & humanitatem, non esse ubique, vi scilicet usurpatæ & in actum deductæ, omnipræsentiæ. Sed præterquam, (quod & hic, & alibi dictum,) usus omnipræsentiæ suspendi, & actus secundus à primo separari nequiverit, illud insuper contra hoc arcanum facit, quod non paucos Vbiquistarum ab ipso Conceptionis instanti, usum idiomatum Christo tribuere, omnes verò in Eucharistiâ, sive, juxta eorum phrasin, *in sacra cœna* præsens Christi Corpus, vi scil. omnipræsentiæ, etiam ante Resurrectionem ponere constat.

252. Denique, ut alibi, ita hic antilogijs & contra

dictionibus omnia miscent. Nam præter ea, quæ hoc ipso loco, *ut ignem aquæ*, hærere vidimus, quæque Disp. seq. *De descensu Christi ad inferos* notabuntur, illud universim dici potest, nusquam plus, inter Lutheri nepotulos, rixarum & contradictionum fuisse, quàm in hac de statibus Christi Philosophia; adeo, ut & ipsi inter se bello commissi congressique sint, vid. Saxones Hessiacis contra Tubingenses juncti; & Forerus, ob vetus recensque inter Vbiquistas bellum, Lutheri Synagogam demonstret non posse *Vnam*, ac proinde neque *Veram* Christi Ecclesiam esse.

PROPOSITIO. IV.

Vbiquistæ Catholicis, vanam eorum de statibus Christi Philosophiam pro merito ridentibus, hæreseos notam, impudenter juxta ac malignè adspergunt.

253. AVdiendus est Mislenta th. 22. *edicta* plus quàm *prætoria* despuens, præfixo thesi illi in hæc verba titulo. *De hodiernis hæresibus circa præsens doctrinæ caput: ac primò de hæresi Pontificiorum.* Itane verò, etiam Pontificij, hoc est Catholicæ Christi Ecclesiæ alumni, à vilissimo Prædicante, & quidem in Catholicissimo Poloniarum Regno tam diu tolerato, hæreseos arcessentur?

254. Et quæ tandem, quæso, illæ hæreses sunt! *Primò negant Christum in statu exinanitionis, secundum humanam naturam occultasse Omnipotentiam, & Maiestatem infinitam.* Vnde verò id tibi constat mi Cœlestine? *Iesuitæ*, inquit, *Vilnenses, in suis Assertionibus super Thomam, part. 3. th. 30 nuper divulgatis, mense Iunio Anno. 1624. statuunt eam non habuisse per modum formæ.* Tu igitur statuis Omnipotentiam in carne Christi per modum formæ receptam? *Non*, inquit, *sed per modum Vnionis & communicationis.*

Igitur

255. Igitur vel Omnipotentia Maiestas &c. secundum te formaliter sunt ipsa Vnio & Communicatio, vel, terminus saltem inadæquatus unionis? Si primum, non jam Philosophis, sed communi etiam hominum sensui adversaris. Sin alterum, terminus ille non est accidentalis, ut tute fateris; igitur substantialis esse debet. At non est per modum formæ, multo verò minus, per modum materiæ, nullo igitur modo unionem illam ingreditur: ut vel hinc quoque ex te argumentum sumatur, quo Vbiquistica idiomatum communicatio, inter multa Disq. 4. allata, implicare evincitur.

256. Estne præterea quod Catholicos hæreseos accuses? *Negant*, inquit, *secundò*, *Filium Dei cum naturalibus corporis defectibus, assumpsisse defectus animæ?* Hem! μέγα λιὰν ἔγκλημα! Tu igitur, cum Tuis, defectus Animæ Christi tribuis? Et quid ni, inquit? *Christus enim multa in statu Exinationis ignoravit. v. g. Diem judicij Marc. 13. 32. profecit ætate & sapientia Luc. 2. ult.* Os blasphemum juxta ac imprudens! Tene ita & Sapientiæ æternæ ignorantiam, aliosque nævos affricare, & tibi ipsi contradicere?

257. Nonne tu is es, qui Disp. 4. th. 36. & alibi, palàm docueras, *Humanitati Christi communicata dona infinita ac increata, soli Deo per essentiam propria?* Fateris igitur, inter alia dona increata atque infinita etiam omniscientiam communicatam. Si porrò omniscientia communicata, quomodo locum habere potuit ignorantia? Quæ ex Marco & Luca profers, ut rite intelligas, inter alios, Bellarminum (qui l. 4. de Christo cap. 1. & seq. Agnoitas, mucidum, & vel nomine ipso inficetissimum genus hominum, maiores in hac causâ, & magistros tuos, ad ferulam unà tecum vocat) Maldonatum, Cornelium, & Contzen adibis.

258. Sed tu adhuc Pontificijs insultas, & non unam,

verùm plures hæreseos maculas aggeris. 1. *Quia affirmant Christum passione & morte sua, gloriam corporis & exaltationem nominis sibi meritum esse.* 2. *Quia Descensum Christi ad inferos ad statum Exinanitionis quidam referunt, & Christum secundum animam tantum descendisse aiunt.* 3. *Cœlum in quod Christus ascendit, corporeum esse aiunt &c.* Miserere me tui Cœlestine! Quid enim tu hunc in modum philosophando aliud satagis, quàm ut juxta Isa. 5. 20 *ponas tenebras lucem, & lucem tenebras?*

259. Et quidem quæ de cœlo, in quo Christus nunc regnat, dicta sunt alibi, hic tibi dicta iteratò reputa: quæ de Descensu dicenda sunt, Disq seq expecta. Jam verò de Merito Christi ὅσα μὲν ὐκ ἔδων βλασφημεῖς ut Apl. Judas v 10. loquitur, *quæ ignorans blasphemas*, discere poteris à Sholasticis ad 3. p. D. Th. præsertim ab Hurtado Disp. 63. § 2. & § 83.

DISQVISITIO. XVI.

An è confictio, Christi ad inferos descensu, & inauditis Prædicantum blasphemijs, aliquod causæ præsidium habere Vbiquistæ possint?

160. ACcensis furore animis, solenne est occentare illud Poetæ, *Flectere si nequeam Superos, Acheronta movebo.* Credas id Vbiquitarios, suo illo, etsi nescias quo, Enthusiasmo correptos usurpare, cùm pro causâ suâ, nulla de cœlis, quà *per Ascensionem* Christi, quà *per Sessionem ad dexteram*, ut Disq. 13. & 14. patuit: habere subsidia possint, ad inferos usque perrum-

perrumpunt, ut ex illo, quem credimus, Christi Descensu, aliquid præsidij capiant. Quod, quàm in cassum isti faciant, hoc loco disquiremus.

PROPOSITIO. I.

Variæ, sed omnes vel ab inferis suscitatæ, vel inferis dignæ, Prædicantum de inferno sententiæ.

261. PRima docet, *Infernum non esse ullum in rerum natura locum.* Ita quidem apud Conradum Schlusselburgium lib. 1. Theol. Calvin. art. 27. Bucerus Calvinista, & Christoph. Irenæus Lutheranus, & Catechismus Heidelberg. an. 1563. asserunt; sed & omnium istorum parens pastorq; Lutherus, in Jonam scibens Tom. 3. German Jenen fol. 212. *Quid sit infernus*, inquit, *nondum satis certus sum. Nam esse peculiarem aliquem locum, ubi nunc sunt animæ damnatorum, sicut pingunt pictores, & ventris mancipia docent, id meâ sententiâ nihil est.*

262. *At nobis* (ut cum Tertul l. de Anima cap. 55. imò & cum omni eruditâ vetustate loquamur) *Inferi, non nuda cauositas, & subdivalis aliqua mundi sentina creduntur: Sed in fossa terræ & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* Atque ex hoc profundo, sepultus ille apud inferos; (tanquam de Prædicantum Evangelio probe quondam saginatus) Luc. 16. oculos in altum levat. Hoc illud est *Cor terræ*, in quo *filius Hominis tribus diebus, sicut Ionas in ventre ceti* demoratus est. Matth. 12.

263. Secunda. *In inferno nullum verum ignem esse.* Ita Calvinus in cap. 30. Isa. *Per Tophet, Gehennam*, inquit, *haud dubie intelligit: non quod locum aliquem somniare oporteat, in quo impij mortui concludantur, sed conditionem ipsorum miseram extremosq; cruciatus & tormenta significat. Inepti & ridiculi sunt sophistæ, qui de illius Ignis natura & qualitate subtilius disserunt, atque in eo explicando varie se-*

torquent. *Explodendæ sunt crassæ huiusmodi imaginationes, cum figurate prophetam loqui intelligamus.*

264. Vides quanto intervallo Lutherum sapientiâ & authoritate Calvinus anteeat? qui ad dicta illius *jota unum* atque alterum, cum addidisset, uno eodemque spiritu & inferos & Ignem inferorum difflavit. Vbi nunc es Isaia, qui novis istis apud superos & inferos leguleijs, vel scrupum illum cap. 33. 4. ingeras. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* vel tristissimum illud ἐπιφώνημα adgemas cap. 66. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Vbi tu quoque es à divinis Christi secretis intime Joannes; vel tu gravissime inter Apostolos Christi Lebbæe, qui vel *Sodomam & Gomorrham*, Jud. v. 6. vel *incredulos, homicidas, fornicatores, Veneficos, idololatras, & omnes mendaces* Apoc. 21. ad stagnum igne & sulphure exæstuans, nequidquam amandatis?

265. Tu quoque Christe Opt. Maxime! quid vel per Magnum illum Anteambulonem tuum *paleis ignem inextinguibilem*, Matth. 3. 12: vel per temetipsum *Epuloni*, maximo Asoti nepotum Luc. 16. 24. *& omnibus maledictis* Matth. 25. 41. *ignem æternum* objectas? Jam illos Calvinus, cæterique Prædicantes contra ferale illud tuum Θ. albo calculo donaverunt; jam horrendum illud fulmen tuum, *Discedite à me maledicti in ignem æternum* eliserunt?

266. Tertia, per *Infernum in Sacra Scriptura, imò & in Symbolo Apostolorum, sepulchrum significari.* Ita Bucerus in 27. Matth, & Beza in 2. Actor. Quibus non est quod Bellarm. lib. 4. cap. 9. & 10: Cottonum lib. 4. cap. 8. & 10: aliosque opponas; Calvinus ipse 2. instit. cap. 16. §. 18. vel ex ipsis Symboli Apost. verbis, cum Buceri Magistri, tum Bezæ discipuli sui deliria ita dispulit. *Sunt*, inquit, *qui opinentur, non aliquid novum hîc dici, sed alijs verbis repeti, quod prius de sepultura dictum fuerat. Quorum opinioni duæ rationes repugnant. Primum quod non est credibile*

bile, *rem minime difficilem*, *& claris verbis demonstratam*, *verbis obscurioribus declaratam esse.* *Secunda est*, *quod non sit verisimile*, *tam superfluam Battologiam*, *in tam breve compendium fidei irrepere potuisse.*

PROPOSITIO. II.

Prædicantes, cum de Christi ad Inferos descensu philosophantur, vel putidi sunt & væcordes Grammaticuli; vel strenui reproborum quorumq; & dæmonum ipsorum Gnathones.

267. QVid enim (ut à Primo ordiamur) putidius, ac væcordius, in re etiam Grammatica, fingi potest, quàm *vel ex Inferno sepulchrum*, *& ex Anima Cadaver effingere?* Vtrumque fecit Beza, qui illud Psal. 15. 10. & Acto 2. 27. *Non relinques animam meam in inferno*: ita vertit. *Non relinques Cadaver meum in sepulchro*: vel *sepeliri* idem esse dicere, quod Descendere ad inferos? hoc verò post Oecolampadium lib. 1. Epist. 4. Heidelbergen. Catechis. an. 1563. aiunt, cum scribunt, *Descendit ad inferos*, *explicandi gratiâ tantum adiectum*, *ut intelligatur Christum verè sepultum esse*; quasi omnes, qui sepeliuntur, ad inferos descendere dicendi sint, ut cum æqua sit omnium sepulturæ conditio, omnes, æquè sancti ac reprobi, descendere ad inferos dicantur.

268. Vel è diverso, *Descendere ad inferos*, *nihil aliud esse*, *quàm Paradisum & cælos ingredi*; quod & Bucerus apud Schlusselburg. l. 2. art. 27. & Vitakerus contra Duræum, palàm asserunt, dicentes, *Spiritum Christi relicto corpore in Paradisum concessisse*: ut ita Magistris istis *Infernus*, *idem sit quod paradisus*, & *descendere idem quod ascendere!* quemadmodum & *Cadaver idem quod Anima*, ψυχὴ idem quod σῶμα, τάφος idem quod ᾅδης &c.

Secun-

269. Secundum. Qui tantâ, ut vidimus παῤῥησίᾳ ac præsidentiâ, omnem Inferno è natura locum adimunt, vel verum apud inferos ignem negant, nunquid è tantis Dei justi vindicis minis, terrores panicos, atque inanes puerorum metus; vel ex horrendis illis Dei fulminibus, ἀστραπὰς ἐκ πυέλου, *fulgura*, quod aiunt, *è pelvi*, & ex ipso Vindice Numine, *alterum* nobis *Salmonea exhibent*?

270. Qui, quæ de infandis sensuum apud inferos tormentis; de sulphure, flammis, vermibus &c. dicuntur, vel penitus ficta & adumbrata, ne dicam falsa aiunt; vel ad solos animi cruciatus revocant; nunquid vel perditissimis homuncionibus, sublatâ ex oculis illâ suppliciorum, quasi præsente semper catastâ, latissimâ ad perditionem pandunt viam? vel ipsis Dæmonibus, (quasi gratiam haud levem inituri,) in eandem navim & nassam socios aggregant? Vel desperatissimo cuique, ex istius vitæ ærumnis, adeoque *ex hac*, ut aiunt, *lacrymarum valle*, tot undique malorum sentibus exuberante, ad locum adumbratis fictisque duntaxat cruciatibus horridum, facilem parant aditum, & vivos, ultro proturbant ad infernum?

271. Denique si etiam nunc reperis, ita *curuas in terram animas* (quod Poeta olim cecinit,) ut nisi metu suppliciorum æternorum arcerentur, ultro Deo Divisque, Cœlos ac Paradisi gaudia relinquerent, dumodò præsentibus terræ cupedijs frui liceat; quid censes futurum, supplicijs æternis ex hominum conspectu memoriaque sublatis?

272. Et nonnè istud sibi suisque mangonium Patres Concordiæ instituerunt, qui cum, *se satis scire* dixissent, *Christum ad inferos descendisse*, *infernum omnium fidelium evertisse*, subiungunt, *Sic retinemus nucleum & consolationem illam, quod nobis alijsque in Christum credentibus, nec infernus, nec Dæmones nocere possunt*! Ita licet istis, quoties adli-

adlibet, etiam inferos de ſtatu Vniverſi tollere, ut ſecurius liceat & admittere opinando, & agere, quælibet.

273 Eandem latrantibus perditiſſimorum conſcientijs offam, Joan Bergius, Calvinianus in Pruſſiâ & Aulâ Brandenburgicâ πρωςάτης καὶ πρωταγωνιςὴς, objectat, qui *cap.* 8. *Reg. Apoſt. pag.* 100. cùm varias ſuorum, exterorumque, *de Inferno, ad quem Chriſtus deſcendit*, ſententias referendo, certi nihil ſtatuere poſſet, hunc, in ſuorum gratiam Epilogum adijcit. *Retinemus tamen certum ex hoc Articulo ſolatium, quia Chriſtus, per hunc Deſcenſum ſuum, animas noſtras ab omni inferni metu & ſupplicio liberavit, ut illum citra metum inferni, ad illum inviſibilem mundum, quo Dominus per ſuum Deſcenſum viam ſtravit, ex hac vitâ ſecuri conſequantur.*

274 Itanè verò, Bergi, Chriſtum ad inferos deſcendentem, Evangelici veſtri conſequi omnino debent? *Conſequantur*, inquit. Etiamnè *citra metum*, ac prorſum *ſecuri*? Etiam, inquit. Patieris, ut ſpero, bonique conſules, ſi quis, ita ſecurè progredientibus tuis, ὁδοιπορικȣ̃ inſtar aliquid accinat. Erit is Eccleſiaſtes ille, quem vulgo ferunt, ad milites rapinis, & id genus agreſtium civiumque ſuorum ſpolijs, oppidò fartos, & tamen, more ſuo, in præſens ac futurum egregiè ſecuros, ita pro concione aliquando verba feciſſe. *Nemini ego vos*, Milites, *magis video comparandos, quàm ipſi Chriſto. Chriſtus arma contra Mundum &c. tractavit: Vos itidem facitis. Chriſtus aſpera multa generosè tulit; Et vos fertis. Chriſtus vitam ſuam ultro prodegit; Et vos. Chriſtus mortuus deſcendit ad inferos; Et vos deſcendetis. Chriſtus à mortuis, & ab inferis, tertia die reſurrexit; Et vos aliquando reſurgetis. Chriſtus denique ad cœlos aſcendit; Sed non vos.*

275. Fortaſsè autem, de vicinis in Pruſſiâ Prædicantibus, amicitiæ & propinquitatis jure ductus, iſtius alteriusvè *Hodæporici*, vel, (uti nuper *M. Ioanni Kirchero* è Tu-

è Tubinganâ Academiâ, & castris Lutheri ad Catholicam Ecclesiam progresso, Joan. Georgius Dorscheus Argentorati fecit) Hodegetici loco, idem tibi Tuisque, ita secu re, atque animi gratiâ, ad inferos abiturientibus, quod aliquando militibus eorum aliquis fecerat, offeret. Audivisti enim, tempore belli Sueco-Prutenici, haud procul Pillaviensi ostio portuque, fuisse de Lutheri Scholâ rabulam, qui suos, ut belli malorumque præsentium finem impetrarent, multum cohortatus, tandem subjecit: *Quod si Deus preces nostras, uti indignas, audire renuat, orandus tamen est, ut militum ipsorum vota precesque audiat.* Sat, scio, nosti, quæ illi militum uota, precesq; intellexerint: ac uereor, ne idem, uel de illo grege, alius quispiam, eodem te, Tuosq; in Prussiâ uoto, quandoquidem tanta vobis, in descensu ad inferos, solatia præsto sunt; prosequatur.

PROPOSITIO. III.

Inauditæ sunt, ac prorsus Tartareæ Prædicantium, etiam Vbiquisticorum, de Christi morte, & ad inferos descensu blasphemiæ.

275. Nemo hominum concipere unquam animo potuisset, quæ isti, tricipitis instar Cerberi, ore palam ausi sunt euomere. *Primum aiunt* Vt nos Christus a peccatis redimeret, necesse prorsum fuisse, ut non tantùm in corpore suo, uerùm & in animâ pro nobis pateretur. Hinc Mislenta Regiomontanorum Vbiquitarum primipilus *Dissert VI de Christo Mediatore*, Anno 1635 editâ, § 1 *Ecclesiam Pontificiam* ausus est contumeliosissimè appellare, *spuriam & Pseudo-catholicam*, uidelicet; *quod*, ut ille secundo loco memorat, *Christum, non in Animâ, sed in corpore duntaxat passum esse doceat* Caluinus uerò lib. 2 institt. C 16. § 10 & in 27 Math. *Nihil*, inquit

inquit, *actum esset*, si corporeâ tantùm morte defunctus fuisset Christus. &c *Et sane* inquit § 12 *nisi pœnæ particeps fuisset anima, corporibus tantùm fuisset Redemptor*

276. Eant iam cum Euangelio suo Aopstoli! facessat Paulus, Ioannes, alij cum suis de Christo præconijs! Ecce enim noui isti *de cœlo*. nescio quo, *Angeli*, *aliud quam* hactenus *Euangelizatum sit, Euangelizant*, Gal 1, neq; tamen sibi Anathema patiuntur dici Paulus Rom 5. 10: Heb. 10. 14: Joan. 19. 30. Apoc. 1 5. docent Christum, *suo nos Sanguine redemisse, morte suâ mortem superasse, unâ oblatione consummasse omnia* &c At isti noui, morte corporeâ nihil actum aiunt, nisi ijsdem cruciatuum vorticibus hausta fuisset anima.

277. Quid hic Theologi orthodoxi proficiant, qui ob infinitam Personæ, patientis dignitatem, unicâ sanguinis, uel fusarum lacrimarum guttulâ, imò solâ quoque naturæ humanæ assumptione, Redemptionem nostri perfici abunde potuisse docent, neq, nisi διὰ τὸ πρὸς σωρὸν ἅμαξαν, & ut iuxta uetus dictum, *in acervum metetur*; siue ut secundum vatem Psalm, 129. 7. *Copiosa apud DEVM esset redemptio*, cætera adiecta, accumulataq; omnia Verum enimuerò. quid ni isti Animam Christi creatam ad eculeos, mortemq; depôscant, qui Increatam quoq; Diuinitatem, disq. 10. prop. 10. morti subijciunt?

278. Addunt præterea, Intaminatam Christi Animam non modò corpori unitam, uerùm & ab eo per mortem in Cruce solutam, nouis, & quidem, ut mox audiemus, ijsdem, quibus damnati apud inferos, supplicijs fuisse subiectam. *Oportuit*, inquit, Caluini l. 2. instit C 16. §. 10 *cum inferorum copijs, æternæq; mortis horrore, quasi consertis manibus luctari Christum, uno duntaxat Excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri*. Subtilius, an stupidius Vbiquistæ in Repetit. Concord. art. 9. *simplici-*

pliciter, inquiunt, *credimus, Totam Personam, Deum & Hominem, post sepulturam ad inferos descendisse.*

279. Ecce isti, ne Sacrosanctum quidem Christi Corpus in sepulchro requiescere patiuntur! Si enim *Tota Persona*, ad inferos descendit, ne Corpus quidem abesse inde debuit, aut potuit. Sed quidquid sit de Corpore, Animæ Christi, isti vespillones, non modò triumphum, verùm & quietem à morte invident; ac proinde vanam faciunt eius, (quem Apostolus Hebr. 5. 7 *preces supplicationesque cum clamore valido & lacrymis offerentem, exauditum pro sua reverentia* testatur) in Cruce deprecationem. Dicebat ille Luc. 23. 46. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*: at isti, tanto Judæis crudeliores, quanto sævius est in animam quàm in corpus, & quidem post fata efferari; non jam Patris, sed Tartareorum satellitum manibus exceptum aiunt purissimum ac divinissimum Christi morientis Spiritum.

280. Quid, quod extrema morientis verba falsitatis arguere videntur? Ille enim, uti quondam ab opere Creationis, Gen 2. 2. ita nunc ab opere Redemptionis quieturus dixit *Consummatum est* Joan. 19. 30: at isti *conserendas* adhuc illi *cum inferorum copiis manus* fuisse testantur.

281. Quanto isti, quanquam longissimè dissiti, quàm omnes divini scriptores, acutius cernunt! Isti enim, novas Animæ Christi tormentorum acies obiectas fuisse aiunt, cum illi eorum nihil viderint: qui tamen minima quæque (si quid tamen minimum in tormentis Christi dici queat) persequantur, ut ne alapas quidem, sputa, ludibria, flagella, spinas, clavos, arundinem, fel, acetum præterierint. Christus quoque Luc. 18. quæ Jerosolymis passurus erat, in antecessum suis prædicens, *Ecce! ascendimus*, inquit, *Hierosolymam, & filius hominis tradetur gentibus; & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & post-*

post quam flagellauerint, occident eum. Ecce cum cæde finiuntur cruciatus omnes Christi! Vbi igitur cruciatus illi animi, & quidem apud inferos?

282. Vide autem novos istos Evangelistas, in Passione Christi, uti cæperant, progredientes. Jam enim Christum, ac præsertim sanctissimam eius animam, omnibus inferni tormentis, ipsiq; adeo morti infernali, quam Ioan. Apoc 2. 11, &. c. 20 6. &. c. 21 8 *Mortem secundam* vocat, subijciunt. Caluinus ll. cc. ex timore, sudore sanguineo, & agonia Christi concludere vult, ad eas animam Christi angustias, nullo alio, nisi tormentorum inferni obiectu adigi potuisse, unde & subiungit, §. 12. Hoc nisi ita sit, *pudenda mollities in Christo fuisset, eo vsq; torqueri ob communis mortis formidinem, vt sanguineo sudore difflueret, neq; posset recreari, nisi Angelorum conspectu.* Et paulo ante dixerat. *Quam honorificum hoc esset Christo, molliorem ac magis meticulosum fuisse, quàm plerosq; gregarios milites! Contumaciter, ad mortem properant latrones; eam multi alto despiciunt animo &c.*

283. Calvinum ponè sequitur Vbiquistarum Primipilus Smidelinus, qui in concione Augustæ habitâ, & Tubingæ Anno 1559. impressâ, ut testis est Busæus in *Disp. de Descensu Christi ad inferos*, ita loquitur. *Christus pro te descendit ad inferos, & non modo contumelias & probra & mortem corporalem perpessus est, verum etiam mortem æternam, ignemq; infernalem expertus est, & degustauit.* Neq; longè abit Mislenta nóster qui l. c. § 1. & 9. ita scribit. *Christus tempore magnæ Passionis, horrendos & ineffabiles gehennæ & inferni cruciatus, & dolores, ob sensum iræ Dei, in anima perpessus est.*

284. Quid ni verò isti, alijq, apud Reginald. in Calvino-Turcismo lib. 3. c. 13. Christum inferno à morte addicant, qui eum, dum vita hac frueretur, furum, latronum, & id genus inferni heredum albo inscripserant.

De Christo omnes prophetæ, inquit Lutherus in psal. 22. & in cap 3 ad Galat. *hoc in spiritu præuiderunt, quod futurus esset omnium maximus latro, homicida, fur, adulter, sacrilegus, blasphemus. Nisi dixerimus, Christum simul summé justum, & summè peccatorem; summè simul mendacem, & summè veracem; simul summe gloriantem, & summe despe-rantem; simul summe beatum summe damnatum: non possumus videre, quomodo à Deo sit relictus.*

285. Hæc nimirum Evangelij secundum Prædicantes est Epitome, Christus fuit summus fur, summus latro &c. Ergo debuit summos inferni dolores, ante & post mortem, in Cruce, & in inferno perpeti. Qua fortasse de causa Lutherus, in Psal. 16, homines quosdam, (quanquam apud inferos, forté ante Adventum Christi, positos) à pœnis inferorum eximit, quia minus peccatores, seu minoribus, quàm Christus, peccatis obstricti fuerunt. Sic enim ille scribit *Etsi multi Sancti in sepulchro, & inferno, absq; dolore fuisse credantur, qui & in pace mortui sunt, tamen Christus, sicut cum summo dolore mortuus est, ita videtur & dolores in inferno sustinuisse vt nobis omnia superaret.*

286 Deniq; ne quid ad extremam impietatem, & plane diabolicam blasphemandi licentiam desit, Aiunt isti, *Christum in horto, in cruce &c.* non modò ad ipsos inferni cruciatus, verum & *summam desperationem* (quod sine horrore referri nequit) *adactum fuisse*. Audi Calvinum 2, instit. c 16. § 10 & in Matth. 26. ac 27: Bezam ad Hebr. 5. 7. Marloratum in ps. 22. apud Quirinum Cnoglerum Art 4. *Christus Dei consiliorum ignorationem adscribere sibi non veretur, & elapsa Desperationis voce id palam testatur.* Item *Christus inops consilij, horrore diuinæ maledictionis perculsus, & propè attonitus fuit: sic deiectus fuit animo, vt urgente necessitate coactus fuerit clamare desperabundus, non ficte utiq; aut theatrice, sed verè, Deus meus, Deus*

meus

meus, quare me dereliquisti? Desperatione deniq; obrutus ab inuocando Deo destitit.

287. O Christe! o Redemptor! Quam Te isti infra vilissimum quemq́, de suo grege longè abijciunt! suis enim illi fidem nunquam eripiunt, eripiunt Tibi, quem ad summam desperationem adactum fatentur. *Qui veræ fidei* (aiunt illi cum Magistro suo l. 3. instit. c. 2. § 19. & Catech. Geneu. c. 4. § 20.) *guttam vel minimam habent de sua salute securi sunt: solide item persuasi sunt, Deum sibi esse propitium:* at Tu illis *Desperatione obrutus*, *etiam ab inuocando DEO desistis!* Quid superest, nisi ut, quemadmodum orthodoxi in cruce pendulum, vel in horto orantem &c. ita illi Te Redemptorem suum, Epulonis, vel potius Luciferi ipsius instar, inter flammas Tartareas deinceps pingant!

PROPOSITIO. IV.

Tam est abominanda Calvinistarum, aliorumq; Prædicantum, de inferno doctrina, ut ipsos quoq; pigere eiusdem ac pudere incipiat.

288. SAtis opinor erit, si unus omnium nomine Ioan. Bergius, tanquam vicinior, & edito proxime libro, *De Apostolicâ credendi Regulâ*, paulò cæteris notior, causam hanc expediat. Cap. 8. pag. 95. & se. *De Christi ad inferos descensu*, pluribus cum tractaret, & plerasq; sive Catholicorum, sive aliorum sententias, partim ut falsas, partim ut minus probabiles, vel saltem non instar alicuius fidei articuli, proindeq; non uti necessarias ad salutem habendas (præsertim, cum ipse, de Descensu Christi ad inferos, Articulus, in symbolo Nicæno omissus sit, imo & in symbolo Apostolorum, circa annum 400. & alijs retro seculis positus non fuerit, Ruffi-

no in expos. Svarez tom. 2. in 3. p. disp. 43. sect. 2. testibus) percensuisset, tandem pag. 97. ait.

289. *Extra controuersiam est, Christum non tantum secundum corpus, verum etiam secundum animam eos, qui verbis explicari non possunt, angores esse passum. Qui cum in Scriptura Ps. 16. & 116: 1. Sam. 2. 6. Dolores inferni vocentur, idcirco nostri, eodem Articulum hunc retulerunt. Et quidem non eo sensu, quasi Christus propriè damnatorum pœnas, vel desperationem (quod per sinistram verborum interpretationem Pontificij nostris imponunt) in anima sua passus sit; sed quia tantum angorem ac tristitiam (propter peccata nostra, & iram Dei erga nos, quam propitiandam susceperat) in anima sua ex intimo erga nos amore passus est, atq; si ea peccata ipsius propria fuissent; vel quasi nos in inferno pro peccatis nostris pateremur.*

290. Laudo Bergi, consilium industriamq; tuam, qui ut tuorum honori & famæ consuleres (neq; enim *boni odoris nomen habere Euodij isti tui* possunt, qui Christi nomini, etiam post fata tantum detrahunt) de Christo apud inferos, imo & inter crucis tormenta posito, mitius aliquantò hic philosopharis. Sed quod ab illis in Christum blasphemijs tueri Tuos velis, ἀιθίοπα σμήχεις. Manet enim Calvino, manet âlijs ater ille, toto corpore vultuq; color, utcunq; tu laves, aut dealbes. Resp ce loca, & sententias e Calvino alijsq; prop. 3. hic, & plures à Busæo, Bellarmino &c. adductas, & respice *vultu irretorto*; illud vetus ingenue tibi accines τί γ' με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν; *quorsum attinebat me longis tibijs canere?* Proinde non tu deinceps Pontificiorum, in fingendo & imponendo, audaciam, sed tuorum in blasphemando impietatem accusabis.

PROPOSITIO. V.

Vbi-

Vbiquistæ è Descensu Christi ad inferos, causam Vbiquitatis nihilo meliorem aut firmiorem reddunt.

291. COmmunes ferè cum Calvinistis Vbiquistarum insaniæ atq; blasphemiæ sunt, quas, vel inviti, hactenus recensuimus: singularis illa est, quod etiam corpus Christi ad inferos proturbent. Aiunt enim & ut paulo ante ex Form. Conc. audivimus, *simpliciter credunt, totam personam, Deum & hominem, post sepulturam ad inferos descendisse.* Nimirum, quia docent, imo & omnibus satagunt persvadere, Corpus Christi, etiam cum in sepulchro clauderetur, ubiq; fuisse (quo enim alioquin pacto Vbiquitatem in re Eucharistica sartam tectàm haberent?) fuisse consequenter & in inferno.

292. Sed quam hæc omnia vana fictaq; sint, vel inde patet, quod de isto Christi ad inferos descensu, neque quid affirment, neq; quid negent, satis sciant; adeo, ut cùm *in lib. concordiæ* eam quæstionem agitarent, multò quam ante fuerat, reliquerint difficiliorem, imo in futurum seculum solvendas reiecerint, quatuor hac super re quæstiones *An Christus descenderit corporaliter, vel tantum spiritualiter ad inferos?* 2. *Num divinitate & animâ solâ, an vero anima simul & corpore?* 3. *Num ante vel post mortem descenderit.* 4. *Num hic descensus ad passionem, vel potius ad victoriam, & triumphum Christi referendus?*

293. Si hæc scire isti non possunt, quomodo sciunt & ita præfractè adseverant, Christum, ex eo quod secundum Humanitatem sit ubiq;, etiam in Sacrâ Cænâ adesse: imò quomodo Mislenta, uti disq. 13 vidimus, *Catholicos aliquos damnat hæreseos, quod descensum Christi referant ad statum exinanitionis*, cum ipsi Concordistæ hic nesciant, ad quem statum referendus sit!

DISQVISITIO, XVII.

An Vbiquistæ alium Deum, & alium in Prussiâ Christum sibi fingant?

294. VErendum est, ne hoc loco aliquis mihi, cum Tullio, occinat. *Et tu in hoc vlcere tanquam vnguis?* Nam, vel ad ipsum quæstionis institutæ caput, exulceratos video Vbiquistarum animos Optandum sane fuit, ut illud hic nobis liceret, *nos hac a scabie tenemus ungues.* Quid igitur? Iudicium Orbi universo, ipsisq; adeo adversarijs permittamus, re ipsâ in medio, citra calculum, posita.

PROPOSITIO. I.

Non minus pro idololatris habendi, qui hæreseon suarum, quàm qui vetera recentiaq; paganorum idola colunt.

295. FVsè id, præter multos, docuit Lud. Richeomus, libris octo de Idololatriâ Hugonotticâ, potissimùm verò lib. 1. cap. 7. Vbi probat, *Hæresin præ omni interna spiritualiq; idololatria, idololatriæ nomine q, insigniendam, Gentiliumq; Idololatriæ persimilem esse.* Satis hic fuerit, aliquot de Patrum senatu audire suffragia. Tertullianus contra Praxeam cap. 18. *Vt nationes manibus, ita Hæreticus verbis idola fabricatur.* Et Lib. de Carne Christi *Nunquid enim inter Ethnicos, Hæreticosq; distat, nisi quod Ethnici non credendo credunt, at Hæretici, credendo non credunt!* Hieronymus in cap. 2. Abac. *sculp-*

sculptile atq; conflatile, inquit, *reor dogmata esse peruersa, quæ ab ijs, à quibus ficta sunt, adorantur. Vide Arrium sculpsisse sibi idolum creaturæ, & adorasse, quod sculpsit. Cerne Eunomium conflasse imaginem falsam, & conflationi suæ curuare ceruicem &c.* Vincent Liri. *Noua* inquit, *dogmata; vetus testamentum, allegorico sermone Deos alienos appellare consueuit, eo quod scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones, sicut gentilibus Dij sui obseruentur.*

296 Et sane vel ipsa vox Idoli id docuerit. Dicitur enim εἴδωλον, ἀπὸ τοῦ εἴδους, quod, quemadmodum Hebræum *Elil*, speciem quandam divinæ similitudinis referat, reapse verò planè nihil sit, iuxta illud Isa. 41 24. de *Idolis* dictum, *Ecce, vos estis ex Nihilo, & opus vestrum, ex eo, quod non est.* Ad quem locum perinde ut ad vocem *Elil* alludens Paulus 1. Corin. 8. 4 *scimus* inquit, *quia nihil est Idolum in mundo &c.* Quin magis etiam *Idola*, atq; adeo *Nihil* sunt, omnia hæreseon somnia & nata in vacuo sectariorum capite simulachra, quàm gentium statuæ: nisi fortè quispiam, plus rei, veræque entitatis τραγελάφῳ, alijvè, ut vocant, *enti rationis*, quàm fuso, de auro, argentovè veterum simulachro det.

PROPOSITIO. II.

Qui hæreseon suarum idola adorant, Christianorum nomine indigni sunt.

297. MVltis id locis, ac præsertim *tom. 1. in Cens Tigurin. pag. 681. seq.* probavit, alter ille nostrorum temporum Augustinus, *Stanislaus Hosius Varminesis Episcopus.* Cuius quidem gravissimum iudicium, jam ante Patrum veterisq; Ecclesiæ suffragia probaverunt. Tertullianus Præscrip. cap. 37 *si hæretici sunt* (qui autem hæretici, nisi qui novorum sibi dogmatum idola

deli-

deligunt) *Christiani esse non possunt.* Iisdem propè, quanquam pluribus aliquanto verbis, Lactantius lib. 4 cap 30. Cum *Phryges* inquit, *aut Valentiniani*, *aut Marcionitæ*, *aut Anthropiani*, *seu quilibet alij* (Lutherani, Calviniani, Vbiquistæ &c.) *nominentur. Christiani esse desierunt.*

298. Sanctus Athanasius ser 2. *Qui ab Ecclesia ad hæresin transitum faciunt, nomen Christi derelinquunt.* Et Cyprianus Epist. 52 *Quisquis ille est, & qualiscunq; ille est, Christianus non est, qui in Ecclesia Christi non est.* Et ad Novatianum hæreticum ubi inter alia. *Qui* inquit, *aliquando Christiani, nunc Nouatiani: jam non Christiani. Primum enim fidem vestram perfidia posteriore, per nominis appellationem mutastis.* Consuli potest Tertullianus de Pudicit cap 7. Pacianus Epist 2. ad Sempron. Cyprianus lib. de unit Eccl. 2.

PROPOSITIO. III.

Qui perversa de Deo, & Christo dogmata habent, alium Deum & Christum colunt.

299 QVanquam enim (utut profana gentilium, vel hæreticorum impietas Deum verum, ac Christum reijciat) verus Deus, & verus Christus esse non desinat; desinit tamen eorum esse Deus ac Christus, quorum insaniâ pervicaciâq; fit, ut verum sit illud 2. Cor 6. 15. *Quæ autem conuentio Christi ad Belial?* quid enim aliud Belial quam omnia pervicacium Sectariorum idola? Idcirco enim Sectarij dicuntur filij Belial, quia *absque iugo*, vel *excusso* obedientiæ *iugo*, liberè, per omnia errorum insaniæq; tesqua, evagantur.

300. Atquè hinc Hieronymus in cap 2. Abac. *Si quando videris, aliquem nolle credere veritati, & ostensa suorum dogmatum falsitate, in cæpto studio perseuerare, congruè dicere poteris, sperat in figmento suo, & facit simulachra muta, vel surda.* Et in Ezech. c. 8. *An ignoramus, Marcionem, &*

cæte-

cæteros hæreticos, contempto creatore, id est iusto Deo, alium quendam Deum colere, & adorare, quem de suo corde finxerunt? &c In eundem sensum Tertullianus præscrip. c. 40. *Hæreses Deum, aut fingunt alium aduersus creatorem, aut si vnicum, & Creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in vero est. Itaq; omne mendacium, quod de Deo dicitur, quodammodo genus est Idololatriæ.*

PROPOSITIO. IV.

Prædicantes horum temporum, alium nobis Christum, aliud Evangelium annunciant.

301. SI hoc ego carmen Prædicantibus ipse occinerem; non ad catastam modò, verum & ad crucem ab ijs deposcerer. Occinat proinde de ipsorum numero & ordine aliquis, qui & authoritate valeat, & doctrinâ. Is erit *Petrus Prætorius*, Doctor quondam, & Ecclesiastes Gedanensis, eaque de causa vicinis in Prussia, cæterisq; Regni Poloniarum Provincijs, fraterculis haud ingratus Anno 1581 typis Iacobi Rhodi *Assertiorem orthodoxam de Persona Filij Dei*, (quam in Bibliotheca Collegij Torunensis Soc. IESV reperias) Dantisci is edidit, præmissa ad Senatum Elbingensem Dedicatoriâ Epistolâ. In eâ præter multa sic de statu causæ nostræ scribit:

302 *Non igitur amplius, perinde ut superioribus seculis, sub Antichristi iugo* (sic enim Filij Belial, excusso patris sui iugo, Rom. Pontificem honoris causa appellant) *superstitiones tantumodo cumulare studet diabolus, quibus humanas mentes, a vero veri Dei cultu abstrahat, sed ipsum orthodoxæ fidei caput ac fundamentum aggreditur, dum veram Christi cognitionem obscurare satagit: vt longe ALIVM CHRISTVM animo concipiamus, quam ipse re vera sit. Nouit siquidem veterator ille astutissimus, frustra Christi nomine ac fiducia gloriari eos, qui non talem agnoscunt, qualem no-*

his in Verbo Spiritus Sanctus prædicat. Si forte Prædicans apud suos nullam hoc testimonio meretur gratiam, at meretur apud me; meretur apud omnes orthodoxos, imo & cordatiores, de suis fratribus quosdam, quos prop. seq. loquentes audiet.

PROPOSITIO. V.

Prædicantes nostri, suorum iudicio, non modo Christum, eiusq; Ecclesiam, verùm & Respublicas, earumq; firmamenta, ex universo tollere satagunt.

304. QVoties hoc à viris gravissimis doctissimisque non magis dèmonstratum, quem deploratum? Stanislaus Orichovius, ille apud Sarmatas suos, imo & omnes quoq; doctos habitus *Alter Tullius*, (Nam & Virilius Musæus *in Elegia de Euangelij* Prædicantici, *in Ditione Regis Poloniæ, origine &c.* Anno 1556 Regiomonti edita, de illo canit

Primus Orichouius, patriæ prænobile lumen!
Atq; ipso tantum, est qui Cicerone minor)

in suis ad Hosium Cardinalem, Stadnicium, cæterosq; viros illustres Epistolis, quam assiduus næniam hanc iterat!

305. In oratione, quam Auno 1561, pro dignitate sacerdotali, in Synodo Varsaviæ die 13 Martij dixit. *Hæc* inquit, *finis, hæc meta ad quam decurrant hæretici, est, ut nouas res, noua imperia, nouos dominos semper habeamus. Quis Græcorum, ante Arrium, Machometi nomen audiuit? Quis cuncta in Græcia, Turcæ cuiates essent qua ex gente vel secta profecti, ante Macedonium, Eutychetem atq; Nestorium, ullo vel literarum, vel sermonis indicio percepit?*

306. Et iure ista Orichovius, qui eodem 1561 Anno hæreti-

hæreticos in Comitis Cracoviensibus, eo prolapsos audaciæ, vel potius insaniæ acceperat, ut palam iactarent, quod Florim. Ræmundus lib. 4. c. 10. testatur, *Nullum se habere aut agnoscere Regem, nisi IESVM CHRISTVM.*

307. Pari iure, nec minore veritate, ultimâ Epistolâ ad Stadnicium, summas Reip. Polonæ calamitates ab hæresi, & Prædicantum Evangelio natas petrexens, inter alia, hoc quoque Vernacula lingva scribit. *Duodecimus iam ab obitu Regis, Sanctæ mem.* (Sigismundi I.) *agitur annus: iam sub hoc Rege, duodecies Comitia, quibus nullus respondit euentus, coacta. Et quantæ, tam breui tempore, cædes domi factæ, quæ plagarum Russiæ depopulationes, quæ in Repub. mutationes, quo pacto ius, & iustitia, & publica Regni munimenta funditus euersa? Et quis hæc satis explicet!*

308. Orichovium, & alios, de Catholicis testes, si non admiserint Prædicantes, admittent, ut opinor, aliquem de sua classe. Quid si verò non unum jam, sed magnam suorum coronam, pro hoc tribunali stare videant? Ecce autem! præsto sunt Ministri, de Minore Polonia omnes, quotquot in Calvini schola Evangelium ita oboluerunt, ut inde Evangelici quoque dici velint. Hi *Confessionem Claudiopolitanam de Christo Mediatore* a Gasp. Helto Anno 1555 Vittembergæ editam, Præfatione suâ dum approbant & ornant, inter alia ita scribunt.

309. *Cùm omnibus temporibus, is Cacodæmonis genius fuerit, ut quidquid ad æternam sui nominis gloriam struit moliturq́; DEVS. O. M. hoc ille in contumeliam, atq́; ignominiam Diuinæ Maiestatis destruere ac demoliri conetur, tum vel maximè in hoc extremo temporum articulo* (quando scilicet Prædicantum examina de Lutheri Calviniq; ludo tot ac tanta prodierunt) *ad expugnandam extirpandamq́; Religionem, ad conturbandas Respub. ac disciplinas Politici Ordinis,* ad euer-

ad euertendas & exterminandas scholas, quæ Reip. simul ac Religionis sunt seminaria, demq; ad omnem Diuini cultus memoriam obliterandam profligandamq;, omnem intendit arcum.

310. Quam hæc (supra morem Prædicantum, magnam Evangelij sui lucem, fructumq; prædicantium) verè dicta sunt, demonstrari abundè posset exemplis è vicinâ Prussiâ petitis, quæ ipsorum quoq, Prædicantum verbis consignata sunt: sed de his intra Disq 25. Interim audiendus, est Joan. Behmius, quem, pari iure, *Prædicantum, Penulatorumque Alpha in Prussia dixeris.*

311. In concione quam pro Comitiolis Provinciæ, & conventu Ordinis Equestris Anno 1616 dixit, ac deinde typis edidit, postquam satis docuit, *vnitate Religionis Prouinciam Prussiæ*, uti & alias Respub., quasi vinculo quodam adstringi, tandem in Calvinistarum molitiones, quas illi varias in Prussiâ struxerant, quasi digitum intendens. *Felix hoc*, inquit, *ad hæc tempora vinculum, iuratus hostis, ipse diabolus, Deo permittente abrupit, & omnem sectarum colluuiem intra Prouinciam deriuauit; quæ quidem præsentis discordiæ infelix principium est, deinceps verò Prouinciam hanc, nisi Deus malum auertat, vel optatum extremi iudicij diem acceleret, etiam â fundamentis commouebit.* Jam *enim*, ut paulò ante dixerat, *animi ciuium & corda, ita mutuum diuulsa sunt, ut vnus hac, alter illac tendat &c.*

312. Ne verò nesciremus, à quâ potissimum sectâ tantum Prussiæ immineat mali, non multò ante in *sua Parænesi Anno* 1614 *edita*, non modò digito, verum &, qua maxima potuit, voce, Calvinistas designavit. Quis singula memoret, quæ ille eo loci pro hac causâ adfert? Puncto quinto, pag. C 1, *cum varias, easq. ut ille ait, occultas iuxta, atq, inhonestas, & impias Caluinistarum strophas* ipse retulisset, tandem è colloquio in Germania de præsen-

præsente imperij statu recens edito, *spiritum Caluini in inferno*, ut inquit, *natum, & Gallica vestitum carne*, pluribus depingens, inter cætera vocat, *Inquietum, quia quo ille loco constiterit, pax & concordia exulare debet: seditiosum item, & turbulentum: quia fideles subditos ab obedientia auertit &c.* Deniq; *In summa*, inquit, *Caluini spiritus est monstrum & portentum naturæ, exterminium omnis iustitiæ, & Euersio Imperiorum.*

313 Eadem prope, atq; his etiam plura, legi possunt, in *Declaratione quæstionis* (*Quid vid. de Caluiniano Prædicante in Prussia censendum*) nuperrime Anno 1641, ut *in Apostolica Regula* Bergius censet, Regiomonti à Lutheranis Prædicantibus editâ. Porro an eadem de Lutheranis dici possint, e disq. 25. patebit. Interim, ut sciamus Prædicantes non tantum in Prussia, verùm & alibi quoq; sui similes esse, audiendus est, testis omni exceptione maior, de Prædicantum rebus apud Batavos gestis. Jacobus VI Magnæ Britanniæ Rex, *teste Adamo Contzen in* Polit. *Epist. Dedic. ad Ferdinandum II.* Scotos suos Anno 1609. publica in Comitijs voce, quæ principio omnium animis, deinde etiam typis commissa fuit, ita allocutus est *Apud Confæderatas Hollandis Prouincias, post nuperas inducias nostramq; cum Hispano pacem, ordo Reip. humanis omnibus diuinisq; permistis, pene abiit in Anarchiam.* Vnde vero ea Reip. illi tempestas? à Prædicantibus. Jd enim Rex ille deinceps ita persequitur. *Qui enim nostros recipiebant Schismaticos, homines suis opinionibus addictos, & ab Ecclesiæ unione auersos, quiq: omnibus Religionum hydris, quasi Asylum aperiebant, ex tam multiplici contagione eo redacti sunt, ut quam Religionem ipsi tueantur, vix habeant dicere. Itaque partium nullarum iam facti sunt, sibiq; inuicem hostes, quibus antea facile erat eadem sacrorum pacisq; communione nobiscum contineri.*

PROP-

PROPOSITIO. VI.

Vbiqvistæ alium sibi Chuistum formant ac fingunt.

314. HOc ego loco, illud unicè velim, ut adversarij non tam meo, quàm suo Judicio veritati subscribant. Subscribent autem, si mecum expendant, non Verum, sed longe à Vero alium ijs Christum esse, quibus Christus, *neque verus Deus*, *neque verus homo*, proinde non nisi nomine tenus duntaxat Christus est, quia Christus, verus Deus, & verus homo simul est.

315. Nam ut bene Gelasius tomo 5. Biblioth. in lib. de duabus naturis contra Eutych. *Vnius rei sublata proprietate, pro parte, apud eos medius erit Christus, non unus, non integer, ideoq; nec verus; sequitur, ut falsus: quia modis omnibus tendit in hoc abruptum, si aliquid inde removetur, ex quibus, vel quibus, unus & integer Christus est, & hoc consequenter & verus.* Quo etiam loco argutè calumniam retundit hæreticorum, dicentium Catholicos δυόφυσιν, sive Duos Christos habere: dicit enim eos neq; unum, neq; integrum, proinde neq; verum, quia μονόφυσιν, habere. Consule Vazqvez de incarnat. disp. 14. c. 1. Lugo disp. 10. sect. 1.

316. Interim audiendus est Damascenus apud Euthym. Panop. tit. 15. *Si Christus, ut hæretici sentiunt, post coniunctionem declaratus est, una natura composita, ex simplici natura in compositam mutatus est: itaque nec cum Patre, qui naturæ simplicis est, nec cum Matre, quæ non est ex diuinitate & humanitate composita, eandem habet essentiam; neq; in diuinitate & humanitate est, neq; Deus vocabitur, neq; Homo, sed Christus tantum.* Similia S. Ignatius ep. ad Philadelph. scribit

317. Atqui hæc ab Vbiquistis omnia fieri, cum ante

ante jam patuit, ubi ex communicatione, & περιχω-ρήσει naturarum, idiomatumque novâ, & inauditâ participatione, Vbiquisticam naturarum confusionem sequi ostensum est, tum ex sequentibus insuper patebit.

PROPOSITIO. VII.

Vbiquistæ, suo quoque judicio, alium sibi Deum, ac Christum fingunt.

318. SÆpè in suis de περιχωρήσει dissertationibus, Joannes Behmius Jesuitas Nestorianismi, aliarumque Hæreseon, quanquàm falsò, atque impudentèr, accusat. Sed si Hanc & Seq. Disq. expenderit, non jam Jesuitis, sed sibi, suisque Vbiquitarijs acroama illud, quo etiam suam dissertationem finivit, commodabit, & cum Vate Isa. 40. 28. & 46. 5. Inducet contra se suosque exclamantem Christum Jehovam, *Cui me assimilabitis, & cui similem facietis Deum? Non est Deus quasi homo, stupidi vos subtilitatum magistri. Itane* λόγον μερισοὶ *fingitis? Vnionemne sic* μερικὴν *introducitis,* ὁλικὴν *eliminatis? Personam duplicatis, naturas dividitis, in omnibus, & per omnia Nestorianizatis &c.*

PROPOSITIO. VIII.

Prædicantes in Prussiâ alium Christum, vel potius, quemadmodum fatentur ipsi, Christi & Dei loco, Diabolum ipsum annunciarunt.

319. QVis hæc ausit Prædicantibus nostris, *vel dicis,* ut aiunt, *gratia*, nisi ultro faterentur ipsi, objectare? Fatentur autem id, non unus alterve, sed universus Patrum illorum senatus, & quidem publico, o-

mni-

mniumque manibus probato comitiorum decreto. Anno 1554 Omnium, de Prussiæ ducatu, Prædicantum, celebrata est Regiomonti Synodus, eaq; finitâ Recessus, omnium nomine, per Legatos Wirtembergiacos Duci Prussiæ insinuandus, quem *Mislenta in suo Manuali*, pag. G, 5. & seqq. non sine animi gustu recitat, perscriptus.

320. In eo Patres illi, non omnino pauciores nonaginta uno, de alijs Prædicantibus; contra quos ea synodus fuerat coacta, ita pronunciant. *Non id eis vitio vertimus, quod Christum annunciant, & prædicant, sed quod non recte annunciant & prædicant: nimirum quod ille non secundum officium & opera Redemptionis justitia nostra sit, sed tantum secundum Diuinitatem. Ex quo alia multo etiam horribiliora absurda, & blasphemiæ in sanguinem Christi prorsum detestandæ, multis locis consecutæ sunt. Qui porro ita nobis Christum prædicat, nullum Christum, aut potius non Christum, sed cordis sui commenta & phantasmata, quin imo ipsum diabolum prædicat.*

PROPOSITIO. IX.

Prædicantes qui alium Christum, vel eius loco Diabolum in Prussiâ prædicarunt, primi præcipuique nominis erant.

321. NOn est, quod Mislenta, l. c. quæ à Patribus illis dicta decretaque sunt, in Osiandristas, uti facit, dicta excipiat. Nam & Osiandrini, qui alij, quàm Prædicantes? & quidem numero, dignitate, authoritate in Prussiâ præcipui? Qui enim Synodum illam frequentarunt, atq; *Recessum*, instar Senatus consulti, *Georgio Veneto, & Petro Hegemone Ducibus*, ediderunt, rure coacti (nam & titulus Recessui illi præfixus, vid. Der Pastorn vom Lande / endlicher Receß / id est *Pastorum ruralium ultimatus Recessus*, id loquitur) proinde inter agrestes habiti sunt; qui veró cum Osiandro faciebant,

bant, Vrbani, Docti, Doctores, vel certè primi in Aulâ Principis, omnes erant: *Pastoribus Regiomontanis*, ut Mislenta pag. H. 4 subdit, *maximam partem cum Osiandro facientibus* Qui in Movio *hæretico* pag. 28. fatetur *Plures in Prussiâ Osiandro adhæsisse, quàm orthodoxæ Doctrinæ, mirandumque adeo etiamnum esse, quod Osiandricus furor, per continuos annos 15 primas in Prussia tenuerit.*

322. Excipit quidem ille de Vrbanis ternos, sed ij minorum gentium erant; præsertim *Christophoro Longino*, ut Mislenta pergit, *pag H. 4. paulò post excusso, eiq; Osiandrista surrogato M Ottmaro Epplino Suevo*, quem à Postillis Patrum editis,& Regi Poloniæ Anno 1560. inscriptis, frustra commendat, cùm non modò Osiandrista fuerit, verùm & per omnia scortorum lustra illustrissimus; Hennebergero pag 183 (qui nihilo inferior Prædicans, quam Mislenta, habitus in Prussia fuit) eâ causâ vocatus Der versoffene / verhurete Hoffprediger Epplinus; id est, *inter Ebriosos, & Scortatores, princeps Epplinus, Aulicus Ecclesiastes.*

323 Jam verò, *Reliqui omnes*, ut Mislenta ibidem persequitur, *â partibus Osiandri steterant: Pastor quidem Cniphovianus, M Matthæus Vogelius; Veteroppidanus M. Funccius cum suis Diaconis; Læbnicensis. præsultoribus horum exstantibus Doctore Andrea Aurifabro Osiandri genero, Medico, & Consiliario Aulico; ipsiusque fratre Ioanne Aurifabro nuper in Prussiam vocato*, imò, illo ipso 1554 Anno in Episcopum Sambiensem, cuius tribunali Regiomontum subest, assumpto.

PROPOSITIO. X.

Ad prædicandum novum in Prussiâ Christum, vel eius loco Diabolum, novus Episcopus in Prussiâ creatus est.

324. MVltus in eo Mislenta est, cæteriq; Prædicantes, ut *Ioannis Aurifabri* creati Sambiensium Episcopi, authoritatem convellant; haud dubie, ut invidiam ab se, totoq; ordine suo, quam homo ille apud omnes contraxerat, removeant; vel potius, ut in manes defuncti, quam ille in vivos exercuerat, pietatem refundant. Plerosque enim ille Prædicantum Borussicorum, qui ipsius, qui Principis sui, qui Prædicantum illorum, alium Christum in Prussiâ annunciantium, votis contraibant, carceribus, plures etiam afflixit exilijs, uti testis, fortè oculatus, refert Hennebergius pag. 185

325. Atq; hinc, universum Ministerium Regiomontanum *in suo illo Anni* 1617, *ad Principis sui Confessionem Responso*, pag. A ult. scribit; *Præsidem illum Sambiensem, nec conscia, nec consentiente prouinciâ, aut reliquis Consiliarijs accersitum: qui tantâ leuitate ab uno studio in aliud studium prosilijt, ut ex Medico Iurista factus, Rostochij Procuratorem egerit, tandem vero, quod Desperatio, ut aiunt, faciat Monachum, Theologus euaserit, atq; hic Episcopum sese, siue Præsidem venditarit.*

326. Non ego hîc patronum Pseudo-Episcopi istius egerim, cum præsertim, & frater eius Andreas, (*quanquam in Aula Principis*, ut scribit Hennebergerus pag. 183 *omnia posset, & pro voto nutuq; suo omnia gereret*) ob publicum illius temporis odium, & magna, in Prædicantes, exilio alijsque supplicijs delinitos merita, à Matthia Flacio Illyrico, *teste Mislenta p H.* 7; Hundarzt/ id est, *Caninus Medicus* dictus sit: & ipse demum Ioannes, *teste Henneberg. pag.* 132. è Prussiâ fuerit ejectus: neq; tamen video, quo pacto Mislenta alijq; Prædicantes, si præsertim ordinem, & rationem Vocationis, missionisq; suæ (quâ vel de popinis ac prostibulis, vel de pistrinis, palęstris, atq; id genus officinis, ad Cathedras Moysis, provolare, & profanis manibus involare sacra omnia

omnia solent) ob oculos habeant, negare tandem au-sint, illum, quod ajunt, *inter cæcos regnare potuisse Luscũ, & Penulatorum Alpha Prædicantum* fuisse, qui ita sui, inter Prædicantes, sive Episcopatus, sive Regni causam defendit, ut quod illi iure reponat, Mislenta nihil habeat

327 Videamus utrumq́, pro causâ suâ pancraticè, hoc est prædicanticè digladiantem. *Refert Aurifaber*, nam sic ipsum ex Apologia sua contra Benedictum Morgenstern pag. H 7 Mislenta citat) *se legitime ad Episcopatum Sambiensem vocatum & promotum fuisse Anno* 1554. At, Mislentâ ibidem reponente, *Id factum absq; Ordinum Prouinciæ Electione, ut & absq; Ministerij votis.*

328 Instat Aurifaber, *Regale*, ut vulgo loquuntur, *id esse, & magistratui in solidum competere, quoad vocandos & instituendos Episcopos.* Ad hæc Mislenta, *Prætextum istius Regalis, non nisi ab Osiandristis confictum, & veteratoriè excogitatum esse* dicit.

329 At Aurifaber, ne Ordinum quidem, aut Ministerij consensum. ad sui Electionem, defuisse contendit, cùm fatente ipso Mislenta, *& ex Academia, & e præsentibus Politicis, & ex ordine senatorio trium oppidorum, plerique in Aulam Principis, Electionis causâ aduenerint: ubi in unum congregatis, Cancellarius, nomine Illustrissimi, in præsentiâ adhuc Legatorum Wirtembergicorum, negotium ratione creandi Episcopi denunciat, nemine vel contradicere, vel ad minimum in deliberationem idipsum vocare audente, sed de instituto omnibus gratulantibus, Iustrissimoq; pro benigna erga Ecclesiam cura gratias agentibus.*

330 Quid ad hæc Mislenta? Ex Actione capitali in Funccium, Horstium, alios q́, Prædicantes, Anno 1566 coram Regis & Regni Commissarijs institutâ, deducit, Episcopum illum, *sine scitu Ordinum, & in Prussiam ab*

 Horstio

Horstio vocatum, *& Præsidem creatum*; ideoque deinceps multatum exilio fuisse Sed ut posterius, de exilio, verissimum est, ita alterum illud, Mislenta vix tutâ conscientiâ asseruerit

331. Si enim ipse (quod dudum σὺν δορὶ aut aiunt, σὺν ἀσπίδι, *hasta, gladioque* molitur) tanto ordinum & populi, quo Aurifaber, consensu Episcopus legeretur; si insuper, uti Aurifaber, n. 342 & 356 præsente ipso Principe, universo Concilio præsideret; non modo ex vetere formulâ, proclamaret Theocritæum illud, κάλλισ᾽ ἔνδοι πᾶσαι, *sunt intus omnia recte*; vel illud tritum, *Jam portum teneo, spes & fortuna valete*; Verum & ad illum, sive Currum triumphalem, siue carpentum Romano more structum, iungeret è vestigio equos, & quidem non tam dè Eliæ, quam de Phaëthontis curru igneos.

332. Quod si ille, *inter Procos Penelopes*, censuus est hactenus, & etiam num censetur, Aurifaber certe *Vlysses fuit*, qui post illos, quos hic n. 325. vidimus errores, & Jthacam in Prussiâ, & Penelopen invenit. Quod verò deinceps Regiorum Commissariorum decreto inde pulsus est, non aliâ sanè causa factum videtur, quam quod *alium in Prussia Christum*, tum ipse coleret, tum Principi, per se perq; suos emissarios Prædicantes, colendum proponeret, atq; ita Prussiam universam, quemadmodum seq prop. videbimus. ad incitas redigeret.

PROPOSITIO. XI.

Ipse Dux Prussiæ, ad Christi alterius cultum, per suos Prædicantes seductus fuit

333. ALbertus Brandeburgicus, Primus á Sigismundo I. Re-

do I. Rege Poloniæ, é Magistro Ordinis Theutonici, Dux Prussiæ creatus, *Initium Euangelij secundùm Prædicantes* cani audirique in Prussiâ fecit. Quo verò suo, suorumque commodo, aut fructu? Prius quàm id enàrrem, nolo mihi quisquam *Emissitios*, hoc loco, oculos obiectet; nemo enim me κοινοφθαλμίζειν, & in acta Principum, quos omnes, uti par est, veneror, curiosius inquirere jure dixerit, qui non meâ, sed ipsorum Prædicantum oratione, causam pertexam.

334 Quo igitur fructu, ea nóvi Evangelij prædicatio inducta? Ipse, proh dolor! Princeps ille, *à Christo vero*, ad alium, utique non verum, abductus est. Si enim Osiander, si Funccius, (*qui per id tempus authoritate plurimùm in Aula pollebat* ut loqvuntur uno ore Ministri in Responso Anni 1617) si Osiandristæ cæteri, *alium Christum*, imo, uti prop. 6. audiuimus, *loco Christi Diabolum prædicabant!* quid censendum de Principe? qui, *uti Behmius, in Instructione sua de corpore Pruten.* pag E 1 expressis verbis ait, *à lumine veritatis per Osiandrum abductus est.* hoc enim, ni fallor, sonat germanica illa Behmij Phrasis **Weil Ihr Fürst Gn. selbsten/ von Osiandro/ hinters Liecht der warheit geführet ward.**

335. Sed *Dux*, ut ibidem subiungit Behmius, *à morte Osiandri* (*qui*, Hennebergero teste, *bouis instar horrendum immugiens*, *Anno* 1552 *infelicem spiritum orco ita reddidit, ut ne corpus quidem quod in Templo veteris civitatis conditum erat*, quàmvis diligenter quæsitum, *reperiri deinceps potuerit*) *Deo adiuuante, & tempestatem illam clementissimè dispellente, ab Osiandristico furore liberatus, & ad rectam Euangelij viam, iterato reductus fuit.*

336. Hic ego Primum caperem, Behmium de suo Principe, paullò vrbanius ac civilius fuisse locutum. Neque enim satis cum Xenocrate, vultuoso illo Plato-

nis auditore, teste Laert. l. 4. τοῖς χαρίσι θύει, *Gratijs litat*, qui *Principi suo furorem* calamo adspergit; nisi fortè *Osiandristicus furor*, quem cæteroqui Prædicantes Orestæo immaniorem censent, in Principe furor esse desinat. Civilior mihi videtur Hennenbergerus, qui cùm *ulcus hoc tangeret* pag 183 memor illius Horatiani,

Incedis per ignes
Suppositos cineri doloso;

satis habuit dixisse, *Principem ipsum, malè eâ causâ in Germania audijsse, quasi ab Aug. Confessione recessisset.*

337. Deinde velim edicat nobis Behmius, an Princeps ille, qui tantâ Osiandrum benevolentiâ, & studio erat prosecutus, ut relictis in arce templis, & concionatoribus alijs, Osiandri audiendi fruendiq; gratiâ, xystum ac pergulam ab ipsâ usq; arce, quâ ad templum veteris oppidi progrederetur, perorantemq; Osiandrum audiret, fieri curarit, eâq; pergula (quoniam aulici ac reliqua familia comitari herum intra templum renuerent) propè solus templum frequentaret, studium illud à morte statim ab animo pectoreq; suo absterserit? Non equidem statim, sed *sequentibus annis*, inquit Behmius.

338 Fateri igitur Behmius quoque debet, id quod alij Prædicantes adstruunt, Principem, qui & Osiandrismum post authoris obitum duplici edicto palam, imo & per vim, uti refert Mislenta pag. H. 5. I. 1. promovit, & Osiandristas cum domi, uti Funccium, Sciurum Aurifabros; tum etiam in itinere, uti M. Matthæû Vogelium, de quo pag, K. 5. Cracoviam usq;, ad nuptias Sigismundi Augusti Regis secum ductum plurimum coluerit; ab illâ hæresi vix circa Annum 3567, hoc est, extremis propè vitæ diebus resipuisse, & confecta novâ Evangelij Formulâ, quam *Corpus Doctrinæ Prutenicæ vocant* (de quo pluribus Disq. 24.) pacem Prussiæ reliquisse,

339. At quæ interim, & quanta, per annos minimum quin-

mum quindecim, à morte Osiandri, in Evangelium Prędicanticum, & ipsos Evangelistas, ab illo Principe designata! Primum Anno 1554, regnantibus & ubiq; vigentibus Osiandristis, ac Funccio potissimum præsultore & chorago, Synodus Regiomonti indicta, & in ea Confessio nova confecta. Et quamvis ad Osiandri furorem temperata, gemino tamen Principis mandato, ita toto Prussiæ Ducatu stabilita fuit, ut Prædicantes, qui acceptare renuerent, carceribus, & exilio affatim mulctarentur.

340. Quos inter plurimos, cum Joach. Morlinus Cniphaviensium Pastor, ita exturbaretur, ut (quod partim Hennebergerus pag 183. partim Vigandus in Osiandrismo pag 153. & 195 vehementer deplorant) *neq; vxorcula illius ægrota, neq; Iustus Menius, cum alijs è Saxonia legatis, remorari, vel ad horam, supplicium possent*; lectus de mulierum puerorumq; Cniphaviensium turbâ exercitus (quadringenta minimum capita fuisse dicuntur) ad expugnandum, miserabili supplicatione, Principis pectus, arcem quadrato quasi agmine subijt. Sed irrita fuit oppugnatio. Novæ enim illæ, prorsumq, Prædicanticæ Amazones, repulsam ita ab arce sunt passæ, ut cum fletu & gemitu, retroactis ordinibus discederent, & mæstum illud suum, **Ach Gott von himmel sich dareín/ vnd laß es dich erbarmen!** pro epinicio canerent.

341. Quid, quod post irritam hanc oppugnationem, irrita quoque cessit, cum aliorum virorum illustrium, tum verò potissimũ *Ioannis Alberti Megapolitani Principis*, & memorati Prussiæ Ducis Generi, oppugnatio! Non satis Principi isti fuit, aliquot Epistolis (quarum unam refert Mislenta pag. I 2 socerum prope objurgasse magis, quam monuisse, nisi ipse, ut scribit Mislenta pag. I 4. αὐτοπρεσώπως in Prussiam veniret. Venit & socerum suum, ad cogendam Risemburgi (quæ

 sedes

sedes Episcoporum Pomesaniensium quondam fuit) Prædicantum utriusque partis synodum adegit.

342. Indicta synodus est Anno 1556, Mense Febr. præsente utroq; Principe, socero vid. ac genero, &(quod mireris, quodque moderni Prædicantes, cum Mislenta pag K. 3. & K 4. concoquere nusquam possint) Joanne Aurifabro, *tanquam legitimo Episcopo*, præsidente. Quid in eâ Synodo actum fuerit, vel potius quid agi oportuerit (nam & hic verum fuit illud οἱ κρῆτες τὴν θυσίαν, *Cretenses sacrum*: decollavit enim spes quæ è Synodo affulserat) literæ Ducis Megapolitani, ad Flaccium Jllyricum, à Mislenta pag. I 5. recitatæ exhibent.

343. Res eò paucis redit, Funccius post multas strophas, tergiversationes, *artesque Pelasgas* varie tentatas, à Duce Megapolitano eo tandem est adactus, ut & in Synodo *palinodiam caneret*: & domum reversus, pro concione, eandem cantaturum palam adpromitteret. Funccium secutus est M. Vogelius, cæteriq; Prædicantes.

344. Verùm & hic, ut eventus docuit, Megapolitani Ducis ἀνεμιαῖος ἐλπίς, *Spes subuetanea fuit*. Nã ab eius discessu Funccius, cæteriq; eius socij (quos moderni Prædicantes meritò vocent φλοιώδεας ἄνδρας, *corticeos viros*. hoc est vanos, futiles, & corticis instar, absq; pondere innatantes) Ducem Prussiæ ad suum illud Pseudo Evangelium, ac Pseudo Christum, ita clam, palam revocarunt, ut, quemadmodum Mislenta pag K. 3. memorat, *Orthodoxis Theologis*, qui cum modernis Vbiquistis utcunque faciunt) *noua pericula, nouæ insidiæ, nouaq; exilia, imminerent, ipseq; adeo D. Venetus, masculè hactenus in palæstra contra Osiandristas desudans*, eodem 1546 *anno, exulare coactus sit.*

345. Quin & horum fortasse Prædicantum tum consilio, tum exemplo, Dux Prussiæ, sub Chiliarchâ Paulo Weberschau Pomerano, mille equites scripsit; quasi

quasi in Livoniam Gulielmo Marchioni subsidio mittendos, re autem verâ ad reliquorum Prædicantûm, omniumque qui *nouo illi Baal curuare genua* nollent, domandam peruicaciam adhibendos, imo aliquamdiu in suburbio Regiomontano, Haberberg dicto, ex parte adhibitos.

346. Quid ni enim id consilij darent, *Prædicantes*, qui ipsi armatâ manu, pro suo euangelio, semper in procinctu essent? *si quidem* (ut de ijs Mislenta ex Merlino pag K 8 scribit) *armati cum asseclis incedebant vbique per plateas, ac sic instructi senatum Academicum accedebant: habebant sub veste fartos puluere pyrio [illegible]clopos, enses ad latus. Væ omnibus, qui viros illos limis essent acerbè, vel minus amicè contuiti!*

347. Quid si verò & Dux Megapolitanus, qui literis, qui verbo, & coacta nuper Risemburgi Synodo, in abdueendo, ab illo novo Baal, socero parum hactenus profecerat, armatâ tandem manu instructoq; exercitu, in Prussiam reversus est, & positis ad Vistulam prope Marienwerder castris, vi deniq; agendum censuit? Constat equidem Anno 1563 in Prussiam, cum insigni exercitu reversum, castraq; ad Vistulam metatum esse; constat etiam Prussiæ Ducem à Rege Poloniæ admonitum, ut venienti, instructâ itidem armatâq; manu occurreret, omniq; Provinciæ aditu prohiberet. Quâ ex re facile colligas, Megapolitanum, novum illud Prædicantum Idolum, vi per Principem propositum, vi exturbare conatum propè fuisse.

PROPOSITIO. XII.

Inter alios Prædicantes, etiam Vbiquistæ, novum in Prussiâ Christum olim annunciarunt.

348 DVm ea, quæ de Osiandristis, & novo Osiandri-

 starum

starum Deo, ac Christo, in Prussiâ annunciato, ego hic adfero, moderni, ac præsertim Borussici Prædicantes audiunt, videntur, ut vulgo dicitur, *Amores sternutauisse*. Gratum enim illis admodum est, stylo eos configi, quos ipsi, si possent, gladio dudum confixissent, & in Funccio, Snellio, & Horstio, teste *Henneberg* pag. 22 Anno 1566, prima præcipuaq; capita confixerunt, uti dis. 34. pluribus Jnterim nostri isti velim, ut *manum* quoq; suam *intra sinum* recondant; inuenient enim haud dubiè magis, quàm aliquando Moyses, leprosam Nam & illi, vel saltem maiores eorum Vbiquistæ, pari propè cum Osiandrinis passu, nouum in Prussiâ Christum & Deum annunciavere.

349 Vt enim taceam, *quod Osiander*, teste Schlusselb pag. 65. Kemnitio pag. 101 apud Vlenbergium pag. 545. *doctrinam Augustianæ Conf.* (quam Vbiquistæ nostri cum maioribus suis, Osiandri quondam aduersarijs, in causa justificationis sequuntur) *Carnalem Phantasticam, Philosophicam, idololatricam vocarit, quæ Christum pictum, & fictum doceat in regno Diaboli*: ut, inquam, hæc taceam, quæ Osiander Vbiquistis, pari mensurâ regerit, ad ipsum Brentium propius accedo Quid enim Brentio, primo Vbiquistarum parente, quid Wirtembergicis, ut isti vocare solent, Theologis; quid Tubinganâ Academiâ, in quâ Brentius cum suis nidulabatur, magis Vbiquisticum? At Brentius, cum Wirtembergicis suis, prope solus fuit qui novum illud, ab Osiandrinis propositum in Prussiâ idolum, cum Osiandristis adoravit, & ipsos Osiandristas stabiliuit.

350. Nolo mihi in hac causâ isti credant, at credent Mislentæ suo; credent ipsi Duci Megapolitano. Hic enim in suis illis, ad Flaccium Illyricum, literis, de quibus sup n 342. inter alia, ad profligandum Osiandristarum furorem, obstacula, memorat *quorundam Theologorum*, id

est (ut

est (ut Mislenta pag. I. ult. ad marginem expresse notavit) *Virtembergensium, ut & Marchiacorum*, si non consensum, certe conniventiam.

351. Nam Brentius, cum suis apud Tubinganam Academiam Collegis, super illo Prædicantum in Prussiâ conflictu, & dimicatione consultus, adeoq;, ut Mislenta p. G 1 testatur, *ex Postulato Illustrissimi Ducis Alberti, legatos*, ad mitigandas illas belli furias, mittere jussus, misit *D. Jacobum Beurlein, & D. Rupertum Durr, qui 12 Maij An. 1554 in Prussiam deuenére*, cum paullò ante *vocatus è Ducatu Megapolitano, Ioannes Aurifaber* (nova deinceps belli fax) *sub prætextu componendi litigij aduenisset.*

352. Quid porro Legati illi tantæ authoritatis, & à tanto viro, quantus illo tempore Brentius erat, missi? Osiandri furorem, & quod inde sequitur, novum illud idolum, à Prædicantibus in Prussiâ, Christo ex adverso positum, suo ac Brentij sui nomine, atq; authoritate egregiè confirmarunt. Qua de re audiendus l. c. ipse Mislenta. *Præsentibus Legatis, Regiomonti Synodus indicitur, congregatisque in Arce Illustrissimi Theologis, Confessio ab Osiandristis, nomine Illustrissimi Ducis Alberti, consarcinata obtruditur eiusmodi, in quâ Osiandristæ rimas elabendi, & studium, Christum cum Belial conciliandi, vnicè quærebant.*

353. Sed hæc, fortasse præter mentem Brentij, & supra fidem Legationis, Legati illi, vel potius Osiandristæ! Quin imo utriq;, *in eo proposito*, ut Mislenta subijcit, *multum animati erant à D. Brentio, qui tum Legatis illis coram, tum D. Andreæ Aurifabro per literas, tale consilium suggessit, quo non tam Osiandristica, quam Orthodoxa Religio in discrimen venire necessum haberet.*

354. Porrò ne Mislenta more suo, verba magis, quam rem dedisse videretur, recitat ipsas Brentij ad Aurifabrum literas, in quibus ille Osiandristas *Theologorum*.

rum, eos verò qui Osiandro contradixerunt, *aduersariorum nomine* cum esset dignatus, *doctrinam Osiandricam* (quod modernis in Prussia Prædicantibus felix faustumque sit!) *consultius doctrinam Borussicam quam Osiandricam vocari censet.* Tandem consilia eiusmodi suggerit, *quibus,* ut Mislenta subdit, *Osiandristæ in suo proposito magis magisq; confirmati, nouam sui dogmatis palliationem moliti sunt, fabrefactâ, Præsentibus* (imo iuxta delegatam, ut vidimus, à Brentio potestatem adiuvantibus) *Virtembergicis Legatis* 13 *Iulij, ac scriptum illud* ἀμφίδοξον, 3 *Sep. Anni* 1554 *nomine Illustrissimi Synodo exhibentibus.*

355. Quocirca & literarum consiliorumq; Brentij, & splendidæ illius Legationis, & coactæ Regiomontum Synodi, ille demum fructus exitusq; fuit, ut *noua* prodiret *Confessio*, quâ (ut reliquos illos nonaginta & unum lectos de agro, ac fere agrestes Prædicantes in suâ, super eâ Confessione, censurâ loquentes prop. 6. n. 320 audivimus) *non Christus, sed ipse Diabolus annunciari, per Prædicantes*, & consequenter palam adorari à populo cæpit.

356. Quo etiam facit, quod, per eosdem Legatos, Joannes Aurifaber (qui novi illius Jdoli primus ac præcipuus sacrificus vel potius, iuxta veterum Prutenorum dialectum, *Vaidolettus* erat) in Episcopum Sambiensem vocatus, & palam creatus est. Qua de re (ut vel hinc ea quæ prop. 8. dicuntur, confirmentur) ita Mislenta pag. K ult. *Illustrissimus assumpto secum* Aurifabro *Episcopatus candidato, in summum templum Cathedrale Cniphouianum concessit, comitantibus e commemoratis Ordinibus plurimis viris.* Concionem *inauguralem, vel Inuestitoriam habuit* D. *Iacobus Beurlein* (princeps vid. Legationis Virtembergicæ) *eaq; absoluta Ordinationem . cum* χειροθεσία *vel manuum impositione, in conspectu aliquot mille hominum administrauit.*

PRO-

PROPOSITIO. XVIII.

Pro novo Christo, per Prædicantes, cùm alibi tum in Prussiâ revelato, singulares ab inferis gratiæ Prædicantibus debentur.

357. DIci non potest, quantum & *de Euangelio, & de Christo ab se reuelato*, sibi gratulentur Prædicantes omnes! Lutherus in Epist ad Argentinen. *Christum*, inquit, *à nobis primo vulgatum, audemus gloriari.* Calvinus lib. de necess reform. Eccl dicit; *In Papatu obrutum fuisse, & incognitum Redemptionis & Redemptoris officium.* Beza, Calvini prope Coäpostolus, Epist. 5. Theologicâ scribit, *Tempora Apostolis vicina, si cum nostris comparentur, plus conscientiæ, minus verò habuisse scientiæ.* Verè verissimèq; dictum, non modo de conscientiâ, verum & de Prædicanticâ doctrinâ, ac scientiâ.

358. Quis enim unquam Christum, qualem isti didicerunt, sciunt. ac docent, tot retroactis à conditu mundi seculis, unquam scivit, docuit, aut scire voluit! Si enim vera sunt, quæ Prædicantes Regiomontani, in illa Anni 1554 synodo, decreverunt, &, ut audivimus, publico senatusconsulto, & quidem Brentio, ac Legatis Virtembergicis approbantibus, sanxerunt, videlicet *Non Christum, sed cordis humani commenta, quinimò Diabolum ipsum a Prædicantibus in Prussiâ annunciari*, quid restat, nisi ut pro navatâ Stygi, à Prædicantibus, tam egregiâ operâ, ab eadem Styge grates, & dignum expectent Minerval ijdem, alijq;id genus Prædicantes omnes?

359. Sed ne hic quoq; me iudicem non ferant, proferant ipsi decretum contra se jam aliàs latum, & Quæstioni illi de Calviniano in Prussia Prædicante pag 3. hisce verbis insertum *Quid multis? Dudum in nos decretum, per os Georgij Hanefeld virulenti Caluinistæ pag. 411*

Hode-

Hodegetici, latum est. Sic enim loquitur. Vbiquistæ æternum peribunt; quia ab æterno veroq́; Deo exciderunt, & nouum Deum, in humana Christi natura adorant. Phui! Phui! Certa enim ista Deitatis & Omnipotentiæ abnegatio est, quæ neque vitam, neq́; solatium ullum, sed mortem æternam & tenebras monstrat.

DISQVISITIO, XVIII.

An, & quomodo Vbiquistæ mysteria Incarnationis, & vitæ Christi, ac prope omnes symboli Apostolorum articulos euertant?

359. NVnquid alium sibi esse Christum negare ausint Vbiquistæ, si vitæ ac mortis ipsius Christi mysteria, quod & alibi jam demonstratū paucis fuit, & nunc pluribus erit demonstrandum, euerti ab se intelligant?

PROPOSITIO. I.

Ipsorum Lutheranorum iudicio, ac sententiâ, Vbiquistæ mysteria, & omnes pænè fidei articulos convellunt.

360. ITa pronunciatum est, communi omnium Saxonicorum decreto, in Synodo anno 1571 Dresdæ coäcta: sic enim inter alia, in eo decreto scriptum *Commentitia illa Vbiquitas, horrendum in modum, corrupit omnes pæne articulos fidei de Christo, ac discrimen Diuinæ, & humanæ naturæ in Christo, inprimis delet atq́; euertit.* Quod quàm

quàm verè dictum sit, etiam seqq. prop. docebunt.

PROPOSITIO. II.

Mysterium Trinitatis, primo symboli articulo expressum, Vbiquistæ in dubium vocant.

361 IAm aliàs Vbiquistæ, perinde ac Calviniani, cùm Deum in sacrosanctâ Trinitate voce fateantur, re tamen ipsa videntur impugnasse Et Calviniani quidem, cum suo Calvino, epistola 2. ad Polonos positiones seqq *Vnus Deus, id est Trinitas;* & *Credis in Deum, id est in Trinitatem,* Lucianicè *irridendo*, *Arrianismum vehementer confirmat*, ut advertit Bellarm lib. 5. cap 3.

361. Jam verò Lutherani, in Parente suo Luthero, tom 2. lat. Vittemb. lib. con Latoin. non tantum *vocem* ὁμοούσιος, id est, tesseram illam, Divinissimæ Trinitatis indicem, *oderunt*; uti probat Gretserus tomo 2 defens Bellarm. pag. 4 Neq; tantum (quod idem l. c. pag. 12. docet) ut Arrianis proluderent, usitatam illam ad S. Trinitatem precationem, *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis*, è germanicis latinisq; Litanis eraserunt; neq; insuper præcipuum illud de eodem mysterio testimonium 1. Joan 5.7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, è sacro Bibliorum textu (quanquam in recentioribus editionibus Versionum Lutheri, non tam tanti stellionatus turpitudine, quam Antitrinitariorum, apud Transilvanos vexatione stimulati, id restitutum e-unt) duntaxat dispunxerunt; sed alijs insuper machinis summam hanc Religionis, salutisq, nostræ arcem petunt.

362. I. Docent, unionem hypostaticam constituere, vel saltem essentialiter consequi Communicationem Idiomatum, ac naturarum; Ergo cum in personis Divinis detur

detur verissima communicatio, tum idiomatum, tum naturarum, dabitur consequenter etiam unio hypostatica: qua datâ, tollitur Personarum Trinitas.

363. II docent in *Art* 3. *Formulæ Concordiæ*, Christum etiam secundum Divinitatem obedivisse Deo Patri. Ergò, etiam secundum Divinitatem, erat minor Patre (qui enim obedit, minor est eo cui obedit, quia obedientiæ virtus, non potest esse nisi inter subditum, & superiorem, ut benè Bellarm. *in Iudicio*, & *Apolog. Concordiæ*) Ergo non erat unus, idemque Deus cum Patre.

364. III docent Christum, etiam secundum Humanitatem, esse omnipotentem, æternum &c. Si æternus, ergo humanitas Christi extitit antequam existeret, proinde antequam de Virgine conciperetur, aut nasceretur, jam erat. Si omnipotens, & quidem ipsa omnipotentia Divina. Ergo seipsam creavit, quia etiam ipsa humanitas est unum ex ijs, quæ ab Omnipotentia facta sunt. Et fatetur id Lutherus lib. de concil. part. 2. *Oportet*, inquit, *dicere*, *Hæc caro*, & *hic sanguis Christi condidit cœlum & terram*. Vide pluribus Symbolum Luth. Quir. Cnogleri.

PROPOSITIO. III.

Mysteria, & Articulos de Conceptione, Nativitare, & vitâ Christi subruunt Vbiquistæ.

365. DOcent Christum ab instanti Conceptionis, secundum carnem, fuisse ubiq; ergo neq; conceptus fuit, neq; concipi potuit utero Virginis; nisi fortè & ille uterus immensus, & ubiq; fuerit. Accedit, quod si Christus ubiq; fuit, non unius duntaxat Virginis sed (ut Bellarm. iudic. c. 3 infert) omnium fæminarum, imò & virorum uteris conceptus dici potuit.

Par ra-

366. Par ratio de Nativitate. Si enim ubiq; fuit Corpus Christi, non jam nono mense, sed primo die, imò ipso etiam instanti Conceptionis, natus dici potuit Christus, quia jam tum extra Vterum Matris erat; Sed & simul, etiam post Nativitatem, dici potuit necdum natus, quia cùm ubiq; esset, erat etiam in utero Matris: Nativitas autem nihil aliud est, nisi verus ex utero egressus. Deniq;, si ubiq; secundum Carnem fuit, quomodo in Bethlehemitico stabulo nasci, reclinari in præsepi, fugere in Ægyptum, indeq; redire, ac tot deinceps itinera peregrinati[illegible]ó, fecisse dici potuit?

PROPO[SIT]IO. IV.

Christus secundum Vbiquistas, neq; verè pati, neque mori, aut sepeliri potuit.

367. PRæterquàm enim, quod qui ubiq;, etiam secundum humanitatem, semper fuit, neq, capi in horto, aut ullo alio comprehendi loco, aut de loco ad locum duci; aut in morte separationem animæ & corporis subire (cum & Corpus, & Anima, semper ubiquè fuerint, ac proinde nullo modo separari potuerint) aut ad inferos descendere potuit; Jllud insuper est, quod datâ Vbiquisticâ Jdiomatum communicatione, humanitas Christi, inter alia, participarit etiam Immortalitatem, & impatibilitatem Divinam: Ergo si Corpora Justorum post Resurrectionem, vi creati doni & gratiæ, mori, aut pati, non poterunt, multò minus potuit Christus; præsertim cùm, ut supra Disq. 10. Prop. 6. Ex Valentia lib. 1. cap. 6 vidimus, Vsus impatibilitatis, in re ab eiusdem possessione, distingui non possit.

368. Atquè hinc occini Adversarijs potest illud Athanasij de salut. Adven. Christi. *Cur non creditis patibilem esse Christum, quatenus homo est, impatibilem autem quate-*

quatenus Deus? Et illud Lib. de Incarna *Si natura humana Christi ex transformatione increata redditur, ac proindè & inuisibilis & immortalis, quomodo igitur Dominus mori potuit? aut quomodo qui inuisibilis erat, palpabilis est redditus? Qui fit igitur, ut ea dicatis, quæ neq; scripta sunt, neq, fas est cogitare?*

PROPOSITIO. V.

Christus quà Homo, secundùm Vbiquistas, uti neque ad inferos realiter descendit, ita neq; ad cœlos verè ascendit, aut ad dextram Patris consedit.

369. DE Ascensione, & Sessione ad dextram, imò & de Adventu ad iudicium, actum est Disq 13. & 19. Nunc de Descensu ad inferos, supra ea quæ Disq. 16. sunt dicta, illud duntaxat adducendum, quod Gerlachius, de suâ suorumq; Tubingensium sententiâ pag. 527. (*teste Busæo in Apolog.*) scriptum reliquit, *Filius Dei non motu locali descendit, sed ratione naturæ assumptæ, in summas angustias se demisit, ut etiam cruciatus mortis, & Inferni propter nos sentire non recusaret &c* Et sanè qui ubiq; semper fuit, quomodo descendere motu locali ad inferos potuit?

PROPOSITIO. VI.

Etiam articulum de Sanctorum communione, ac resurrectione mortuorum Vbiquistæ labefactant.

370. ISTum quidem, quia cum in Resurrectione corpora Justorum, per dotes gloriæ, Corpori Christi glorioso conformia esse debeant, iuxta 1. Cor. 15. si Christi Corpus est, & erit ubique; etiam corpora Iustorum

rum esse debebunt ubiq;, (præsertim cùm eorum *animæ sint in manu Dei*, Sap. 3. Ac proinde ex principijs Vbiquisticis Disq. 14. prop. 1. cum manu debeant esse ubiquè) quod quis nisi insanus credat?

371. Accedit, quod Vbiquistæ, *cum Brentio in Recognitione*, uti citatur à Bullingero p. 58 (ex eo, quod in Resurrectione dicimur futuri ἰσάγγελοι Luc. 20.36) tum Christi tum nostrorum corporum substantiam pervertāt. *In Resurrectione* inquit ille, *dicimur habituri non solum corpus spiritale, sed & gloriosum. Illa autem est vera gloria, eaq; Cælestis, nullo concludi loco, sed liberum absque omni coercione loci esse, sed in summa felicitate esse, absq; omni vel loci, vel aliarum rerum mutatione. Nec tantum gloriosum habebimus corpus, sed erimus æquales Angelis Dei. Num Angelus mouetur de loco in locum? Absit &c.* Cui Vbiquisticæ insaniæ merito opponit Bullingerus Aug. retr. l, 1. c. 13 & 26. Hieron. con. Joan. Jerosol. & præf. ad 18. lib. in Isa. Tertul. de Resur. carn.

372. *Illum verò* quia præterquam quod omnes Sectarij nostri, cultum, invocationem & omnem Sanctorum in cœlo communionem detestentur, illud Vbiquistæ, præ reliquis, sibi sumunt, quod communionem Sanctorum posthabeant communioni Turcarum, Judæorum, & Paganorum, imò & Dæmonum. Cum enim cœlum empyreum negent, novum quoddam sibi cœlum comminiscuntur, *in quo* (uti docet Brentius Recognit. pag. 176. & 182.) *Christus sedet ad dexteram Dei, ita ut eo contineantur non tantum Sancti, verum & omnes impij homines, Hercules, Numa Pompilius, Iudæi, Turcæ, Ethnici, ipse etiam infernus & Diaboli.*

373. Ab hoc cœlo ita Petrus Martyr abhorruit, ut morti vicinus, teste Simlero in eius vita, amicis dixerit, *Nolle se esse in cœlo Brentij.* Sed si Martyr nolit in eo esse cælo, habebit Brentius, habebunt reliqui Vbiqui-

stæ, quibus cum communicando, tempus animi gratiâ fallant. Audi enim Lutherum cap. 43. Symposiac de vitâ æternâ edit. Francof. Anno 1571 *Deus post iudicium extremum creabit nouum cœlum, & terram nouam. Quin & noua creabit animalcula, & catellos; quorum cutis erit aurea, & pili de lapidibus pretiosis. Non deuorabunt se mutuò: quæ hic venenata sunt, ut bufones, serpentes, tum non modo innocua, verum etiam ita amabilia & grata erunt, ut cum ijs animi causa lusuri simus.*

PROPOSITIO. VII.

Resurrectionem mortuorum & vitam ęternam non omnes credunt *V*biquistę:

374. BRentius Vbiquistarum primipilus in cap. 20. Lucæ, *affirmat Lutheranorum animis altissimè impressum esse, quod non sentiant esse vitam post hanc.* Ita Cnogler ad art. 11. In eundem sensum Lutherus in c. 9. Eccl. & in enarrat. c. 25. & 26. Gen. docet *Animam à corpore separatam amittere sensum, & memoriam, & intelligentiam, Ita enim dormit, ut nihil prorsus sentiat, nihil sciat, nihil intelligat.* Et quid ille suis isthic promitteret supra belluas qui suos vel docuit, vel, ut minimum ipse vidit, belluinam hic ducere vitam? *Nostri discipuli*, inquit ille in 1. Cor. 15 *sicut credunt, ita viuunt. sunt & manent sues, credunt sicut sues, & sicut sues moriuntur.*

DISQVISITIO. XIX

An, & quomodo Vbiquitas ipsum Eucharistiæ Myste-

Mysterium penitus conuellat.

375. IAm Disq. 1. Prop. 1. dictum est, *Monstri loco habendum*, quod Vbiquitas â Lutheranis eò potissimum fine efficta fit, *ut Cœnam*, quam vocant *Domini*, seu Eucharistiæ Mystèrium confirmet; cum nihil æquè illud convellat, atq; ipsa Vbiquitas: ut planè, cum maximè niterentur iuxta Aristophanem ἐκπεριδικίσαι, ac, perdicis instar, Calvinistarum effugere casses, *in ipso tandem portu naufragium* sint passi: uti Bus. th. 115. 116. & seqq. demonstrat.

PROPOSITIO. I.

Omnipræsentia Corporis Christi, tollit eiusdem in Eucharistiâ præsentiam.

376. PRæsentia Carnis Christi in Eucharistiâ, debet esse ex vi Verborum Institutionis Christi: Atqui omnipræsentia, non est præsentia ex vi Verborum &c. Ergo Omnipræsentia, nòn est præsentia Carnis Christi in Eucharistia. *Maior per se patet*; & confirmatur insuper ipsorum Adversariorum confessione, qui in Apologiâ Concordæ cap. 7. (testeBusæo th. 117.) palam aiunt, *fundamentum realis præsentiæ Corporis Christi in Cæna Dominica, non in omnipræsentia Humanitatis, sed tantum in verbis Institutionis constitui.*

377. *Minor etiam patet*, quia antequam verba institutionis prolata essent, dabatur in Chtisto unio Hypostatica, proinde & ipsa, quæ unionem sequi dicitur, omnipræsentia. Vnde etiam sequitur, Christum, in pane Cænæ, ante verba institutionis, *& non fuisse præsentem secundum Carnem*, quia verba institutionis nec dum prolata fuerant: *& simul fuisse præsentem*, quia iam tùm fuit omnipræsens.

PROPOSITIO. II.

Omnipræsentia tollit Vsum Corporis Christi in Eucharistiâ.

378. VSus secundum ipsos Vbiquistas, consistit in esu, sive *manducatione*, & quidem (ut contra spiritualem Calvinistarum manducationem pertinacissimè defendunt) non qualicunq;, sed *Orali*, seu, quæ ore fit. Sed posi â Carnis Christi Vbiquitate, tollitur oralis manducatio; quia antequam panis sumatur, &, cum pane, ipsum Christi Corpus in Ore præsens sit, jam ratione Vbiquitatis ubiq; præsens est, proinde etiam in ore manducaturi. Quid igitur opus est usu, & sumptione huius sacramenti?

379. Huc accedit, quòd Christi Corpus, dum in Eucharistiâ sumitur, de manu Sacerdotis, motu locali, in os sumentis transfertur: Ergò non est ubiq;, quia & ante sumptionem, in ore manducantis non erat; & post sumptionem in manu porrigentis non est, eò, quod, ex Adversariorum sententiâ, præsentia Eucharistica sit *In*, *cum*, *vel sub pane*; at ibi panis nullus est, proinde neque Corpus erit. Vel si hoc præsens erit sequetur & *præsens esse*, ratione videlicet Vbiquitatis; & *præsens non esse*, quia panis, ratione cuius præsens esse debet, ipse præsens non est.

PROPOSITIO. III.

Vbiquitas tollit omnem in Christiano populo, erga diviniſſimum Eucharistiæ Sacramentum religionem, & pietatem.

380. NAm, ut benè Bellarm. cap. 13. *Si Caro Christi est ubiq;*

eſt ubiq;, certe non egemus Euchariſtiâ, fruſtra imus ad templa, fruſtra recitamus verba Cænæ, fruſtra paramur ad illam Cænam, cum domi habeamus, in pane, & vino, & aliys omnibus cibis Corpus Chriſti. Atque huc facit, quod vel ipſi Luthero (ut videre eſt, *in libro, quod verba Chriſti firma ſtent*) jam olim vellebat auriculam. *Si Corpus Chriſti eſt omnibus locis, agedum deuorabo, & helluabor ipſum in omnibus hoſpitiys, & in omnibus ſcutellis, poculis, cantharis.*

381. Reſpondit Lutherus, & quidem cedro digna, quia ſuo more locutus. *Audi tu Porce, canis, fanatice, aut quisquis fueris, inſulſe aſine! Etiamſi Corpus Chriſti, ſit in omnibus locis, non tamen tu ſtatim ipſum deuorabis vel helluaberis. Ablego te in haram tuam porcorum, vel in ſterquilinium.*

382. Auditis Vbiquiſtæ! auditis cæteri, à fide Catholica ad Lutheri Evangeliũ converſi! auditis, inquam, Evangelicam Lutheri vocem! Quæ quidem, ſi vera eſt, etiam Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, ac Pruſſiæ Dux qui *in ſua Confeſſione Anno* 1617 (uti Miniſterium Regiomontanum in ſua reſponſione refert) *ex Brentij, Iacobi Andreæ, eorumq; Sodalium* (Vbiquiſtarum vid.) *ſcriptis eiusmodi Humanitatis Chriſti Vbiquitatem colligit, quæ in omnibus lapidibus, cantharis, laqueis, foliys, imo in Diabolis omnibus reperiatur: & multo ante in pane ſit, quam verba inſtitutionis ſuper eo pronuncient*: ipſe, inquam Sereniſſimus Pruſſiæ Dux, ex Lutheri, Vbiquiſtarumq; decreto (cui tamen neq; ego, neq; Catholicorum quiſquam unquam ſubſcripſerit) *ad haras, porcos*, &c. ablegandus erit.

383. Quî verò ſic? aut unde Luthero, magno illi prophetæ, urbanitas tanta? Videtur innuere (quod etiam ſequentibus verbis prodit) *Corpus Chriſti eſſe quidem ubiq; ſed non item ubiq; ſumi*, aut potius, non ubiq; capi perinde uti ſolis radij capi non poſſunt, etiam ubi lucent. Sed contra ſic.

PROPOSITIO. IV.

Si Corpus Christi esset ubiq; , ubiq; sumi, capi, & manducari posset.

384. SIcut enim, quia Deus ratione Immensitatis est ubiq; (*in ipso* secundum Apostolum, Acto: 17. 28 *viuimus, mouemur, & sumus.*) ita si Corpus Christi est ubiq; , de ipso ubiq; vivemus sumendo, & manducando ipsum. Quod eo verius est, quod, si ubiq; est, separari non possit, à pane, & alio cibo qui sumitur, & manducatur, ut impossibile videatur habere panem in mensâ, manu, ore, vel stomacho, & non habere ibidem Corpùs Christi.

385. Dispar porrò ratio de radijs solis est, Tum quia illi non sunt ubiq; . tum quia etiam, ubi lucent, non penetrant corpora adiaphana. Tum deniq; quia (ut adagium fert German) *non cuiuis datum est radios solis colligere, & intra curiam, vel prætorium collectos deportare, sed solis de* Witzdorff *inquilinis*, hoc est, Vbiquistarum fratruelibus ac vicinis, quibus scilicet solis licuit, *solem, manibus gestare*, iuxta vetus verbum.

PROPOSITIO. V.

Vbiquistæ, in re Eucharisticâ ad Zuinglianos, seu Calvinianos, tandem degenerant.

386. SI pervicaciam, partiumq; studia, quæ inter Calvinianos, & Vbiquistas fervent, spectemus, *prius unda cum flammâ, quam ij, redierint in gratiam.* Ne enim id fieret, (qvemadmodum Marpurgensi Colloquiò, & alijs conventibus quærebatur) Lutherani ad Vbiquitatem confugerunt: quæ tamen ipsa illos sive incautos,

cautos, sive furore percitos, cum Brenio primo Vbiquitatis patrono, ad hostium castra inclinavit. Brentius enim Lutherum, ad prædictam obiectionem insulsè admodum respondisse, cum videret, lib. *de duabus naturis*, suo Lutheriq; sui nomine respondet, Corpus Christi esse quidem ubiq; Personaliter, sed in Cæna insuper esse definitivè, ex definitione scilicet, & decreto Dei, per efficaciam; quia videlicet in Eucharistiâ sumitur efficacitèr, alibi non item.

387 At hoc, quid aliud quæso est, quàm cum sacramentarijs dicere, In Eucharistiâ solum ἐνέργειαν, & efficaciam Corporis Christi esse? Et quid aliud volunt Calviniani, quàm Christum in Eucharistiâ solum per virtutem, efficiam, & ἐνέργειαν adesse? Habemus igitur jam, *Gemellos* Calvinianis Sacramentarijsq; *Pollucibus Castoras*, sicut uno quondam prognatos ouo, ita nunc vetus illud mutuum, sibi òccinentes τὸ ἐμὸν, ἢ ἐμοὶ λέγεισ ὄνας. Qua de re infra Disq. 20, prop. 9.

PROPOTITIO VI.

Qui Vsum Maiestatis, & Vbiquitatis ante Resurrectionem Corpori Christi negant, Eucharistiam iuxta, ac Vbiquisticam causam funditùs evertunt.

388. CVM enim, ut sæpe vidimus, ad adstruendam Corporis Christi, in Eucharistiâ, præsentiam, Vbiquitas sit inventa; si Christus, nullum ante mortem Maiestatis suæ Vsum habuit, ne Vbiquitatis quidem habere potuit, proindè neq; ratione Vbiquitatis præsens in Eucharistiâ Corpus esse potuit. Ergo, cum vel ipsis adversarijs fatentibus, eo nunc modo Christus traditur

manducandus fidelibus, quo in ultimâ Cæna traditus est discipulis, si tunc Corpus eius præsens non fuit, quia ob defectum usus, seu declarationis Maiestatis, necdum ubiq; fuit, ne nunc quidem præsens est. Quid igitur tanto conatu moliuntur Vbiquistæ, nisi ut *omnia agendo, nihil deniq; agant*?

DISQVISITIO, XX.

An, & quæ Hæreses, cum nouo, ac monstroso Vbiquitatis partu, renascantur, aut resuscitentur?

389. IAM olim Calvini, apud Batavos, Sectator Vrsinus dixit, *In horto Vbiquitariorum crescere tres herbas pestilentissimas Nestorianismum, Eutychianismum, Arrianismum*; quæ quàm vera sint, jam disquirendum est.

PROPOSITIO. I.

Ipsi *V*biquistæ, vel cæteri Lutherani, *V*biquistarum ὁμόψηφοι, ac penitus gemelli, Varias, plurimasq; Vbiquistis hæreses impingunt

390. QVid hic necesse sit, vel Contzen in Coronide cap. 33. non pauciores vicenis quinis, Vbiquistarum hæreses potius quam Errores, pertexentem adire? vel

re? vel Stanislaum Hosium epist. 201. ad AlbertumFri-dericum Prussiæ Ducem, *e Vitembergensium scripto, Flacianis* (hoc est non infimæ Vbiquistarum familiæ) *Samosatenianismos, Sabellianismos, Arrianismos, Nestorianismos, aliasq; sectas ab Orco in Saxonia euocatas affricantium audire?*

391. Licet enim ipsos Vittembergenses, aliosq;, per universam Saxoniam, Lutheranæ fidiculæ architectos, magno apud Dresdam senatu (quem id temporis planè ἀμφικτιόνικον συνέδριον censuere Saxones) Anno 1571 coactos, & communi decreto in hanc caussam pronunciantes auscultare. *Commentitia ista communicatio physica, quæ nostro primum tempore, cum Vbiquitate Corporis Christi introduci cæpta est, uniuersæ orthodoxæ Ecclesiæ, & toti Orbi Christiano, inde usq; ab initio incognita fuit, atq; etiamnum a Pontificys ipsis reijcitur, & taxatur acerrime.*

392. Et alio loco. *Quod præcipuum fidei nostræ, & Ecclesiæ caput est, videlicet Articulus de duabus in Christo naturis, id commentitia Idiomatum reali, & physica, in ipsis naturis, communicatione deprauari horribiliter, atq; e contrario Hæreses, jam olim damnatas Marcionitarum, Arrianorum, Manichæorum, Samosatensium, Valentinianorum, Sabellianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, & Monothelitarum, reduci, atq; innouari, satis euidenter demonstratum est.* Videamus porro sigillatim, an fuerit apud Patres istos patratos δῖος, ut aiunt, ψῆφος?

393. Par equidem fuit, ut ordinis perspicuitatisq; causa, percenserentur hæreses primum in Personam Christi, tum in eius humanitatem, ac divinitatem, denique in Totam Sanctissimam Trinitatem pugnantes, sed placet catalogo Patrum Saxonicornm inhærere.

PRO-

PROPOSITIO II.

Vbiquistæ Marcionitarum, imò & Ebionitarum ac Photinianorum hęreses, ab Orco sensim revocant.

394. INter multa Marcionis (quem falsè iuxta ac verè *Murem Ponticum* Tertullianus vocavit) deliria, præcipuum illud, Epiphani⁹ hær 42. memorat, quod *negauerit Hominem esse IESV Christi creaturam*, sive quod docuerit, *Iesum Christum non esse verum Creatorem.* Marcioni igitur ὁμόψηφοι sunt Vbiquistæ, qui dum aiunt, Humanitati Christi, Omnipotentiam, aliaq́; attributa divina ita communicari, ut (quemadmodum Disq. 11. prop. 3. audivimus) *diuinitas nihil faciat seorsim sine humanitate* &c. Humanitatem faciant, Hominis Creatricem. Aut igitur humanitas, quæ, post conditum primum hominem, à Verbo est creata & assumpta, fuit prius quàm [redacted]a esset, ut hominem crearet; aut, si sine illa nihil fieri ac creari potest, Christus homiuem non creavit, atq́;ita Homo Christi Creatura non fuit.

395. Huc facit, non tantum quòd Christum non possint dicere Creatorem, qui cum Arrianis (ut prop. sequ. patebit) eundem faciunt nudam creaturam: sed etiam (quod *in lib. Concordiæ & Refut. iud. Bellarm.* scribunt) *Mariam esse Matrem Christi, non tantum ut homo, sed etiam ut DEVS est. Quid verò est B. Mariam* (ut in Apologiâ dicit Bellarminus) *esse Matrem Christi, non solum ut Hominis, sed etiam ut Dei, nisi Christum à B. Maria Diuinitatem habere, quemadmodum ab illa habet humanitatem? Quod si Christus á Matre humanitatem, & Diuinitatem habet, certe antequam ex Virgine nasceretur, Deus non erat, imò neq́; aliquid erat, qui est error Ebionis & Photini*

396. Accedit, quòd (ut supra Disq. 11, 3. vidimus, & Ragu-

& Ragusa disp 118. Sect. 1 notavit) inter Divinitatem & humanitatem, non aliam faciant unionem, *quàm sit inter Principale agens & instrumentum*! aut Carnem Christi, non aliter miracula fuisse operatam, quam fecerit caro aliorum Apostolorum, cum Lamberto Danæo l. c. doceant.

397: Sed pro Marcionitarum hæresi, illud in primis facit, quod (ut Saxonici & Mentzerus Tubingensibus in suâ Apologiâ obijciunt) Christum asserant in statu exinanitionis omnia simulatè & apparenter, *ut Brutus coram Tarquinio, vel David coram Achis Rege Gethæo*, egisse. proinde neq; verè passum ac mortuum esse: quod planè Marcion voluit. Consule Bellum Vbiq. Foreri pag 262, seqq.

PROPOSITIO III.

Vbiquistæ Arrianismi semina non obscurè iaciunt.

398. ARriani *Primò* docuerunt, Christum esse, secundum Divinitatem Patre minorem: idem faciunt Vbiquistæ, dum Art. 3 Form. Concor. asserunt *Christum, ut Deum, & hominem, in sola sua tota, & perfectissima Obedientia, esse nostram Iustitiam.* Item, *Obedientiam Christi, non fuisse vnius duntaxat naturæ, sed totius Personæ.* Quo loco benè monuit in *Iudicio Conord.* Bellarminus, id dogma *plane Arrianum esse*!

399 Responderunt illi in suâ Refutatione *Non opus fuisse, ut Iesuita ex libro Concor. & locis Philippi, eius doctrinæ prolixe se moneret, aut conuinceret; eam enim se constanter profiteri, & summam eam consolationem suam ducere, quod Obedientia, quâ justi & beati reputamur, Christo non solum secundum Humanitatem sed etiam secundum Deitatem adscribatur* Vnde meritò Bellarminus *in Iudicio*, & in *Apolog.* ita subdit: *Qui obedit, minor est illo, cui obedit, nam impe-*

rare superioris, obedire inferioris est. Ergo si Christus, vt Deus Patri obedit, ut Deus minor est Patre. Neq; enim obedientia inter pares esse potest, nisi fortè secundum novam Philosophiam iuxta ac Grammaticam Vbiquistarum.

400. Accedit, quòd illi Christum, ex eo, quod *Ioan.* 3. dicitur, *Filium à Patre missum in mundum*, etiam ante assumptam humanitatem, obedivisse Patri dicant. Hinc enim sequitur, illum tunc, non tantum secundum Diuinitatem, sed etiam secundum solam Divinitatem obedivisse; nisi forte dicant, Filium Dei descendendo de cœlo, ac veniendo in mundum, Deum simul & hominem descendisse, ut fieret homo.

401. *Secundò* Arrianorum dogma fuit, ut refert *S. Augustinus tomo* 6. in sermone Arrianorum, quod *Filius Dei sit minister, & Sacerdos Patris sui.* Idem dogma est Vbiquistarum, asserentium *Christum etiam secundum Diuinitatem esse, ac fuisse Sacerdotem.* Quod cùm Bellarm. lib. 5. c. 5. *apertissimum Arrianismum* esse doceat, *Diuinitatem Filij Dei facere Sacerdotem*; & à nobis supra Disq. 2. reiectum cum sit, satis nunc sit, secundum Cyrillum *lib.* 11. *in Ioan. cap.* 7. Augustinum *lib.* 1. *de Cons. Euang.* aliosq; PP. audire ipsum Apostolum ad Hebr 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus &c.* Plures Arrianorum & Vbiquistarum analogias videre est, in Doctissimâ Francisci Turriani ad Gregorium Valentiam Epistolâ, in quâ directè probat *Vbiquistas esse Arrianos*: qua de re fortassè alias pluribus, in *Arriomania Iudæo-Turco-Vbiquistica.*

PROPOSITIO IV.

Manichæorum furoribus *V*biquistæ proludunt.

402. INter octuaginta quinque errores Manichæorum, à *Iacobo Gaulterio tab. sec.* 3. numeratos, palmarius ferè est, quòd, *teste Augustino hær.* 46 *&. Epi-*

phanio

phanio hæresi 66. duo principia rerum statuebant. Vbiquistæ per realem attributorum divinorum communicationem Humanitati eandem principij rationem, quæ Divinitatis propria est, tribuunt, imò Deùm nihil *nisi in ea, cum ea, & per eam operari* aiunt. Adde Manichæos creaturis, potissimùm verò Soli, & Lunæ, cultum Divinum tribuisse, teste *Epiphanio l. c. Augustino lib. 14. contra Faust. cap. 11.* Vbiquistæ, non modo eiusdem Maiestatis divinæ, gloriæq; communicationem creatæ Christi humanitati tribuunt, verum & cultus latriæ æqualitatem.

PROPOSITIO V.

*V*biquistæ *V*alentinianorum, &, qui istis affines sunt, Svvenckfeldianorum, atq; Anabaptistarum, insaniam suscitant.

403. MEminit, *post Tertullianum lib. contra Valent.* Baronius ad an. 145. n. 1. in Valentini, eiusq; gregalium insanias, præcipuam fuisse, quod *Christus non sumpserit, veram de Virgine carnem, sed per eam, uti per Canalem, transierit.* Valentino, in hisce Orgijs, primum succenturiatus, hoc tempore, cum suis Swenckfeldius, teste *Staphylo lib. de Concordia Discipul. Lutheri:* Tum deinde Anabaptistæ, præsertim Embdenses, quibus (ne scilicet uerum esset illud *multi Thyrsigeri, pauci Bacchi*) socias iungunt manus Vbiquistæ, cum aiunt, Carnem Christi, vi unionis hypostaticæ, & communicationis idiomatum, Maiestatem quoq; semper communicasse, esto eam ante Resurrectionem non declararit.

404. Si enim re ipsa, totâ vitâ fuit ubique, quomodo (ut supra *Disq. 18 prop. 2.*) potuit nasci, moveri ad locum, comprehendi? si immortalis, gloriosa, quomodo sine manifestâ fictione ac simulatione, dolores;

vitæ

vitæ ærumnas, crucem, ac denique ipsam mortem perferre? quomodo descendere ad inferos, ascendere ad Cœlos potuit? nonne omnia simulate & φαντασικῶς geri oportuit? quomodo post Resurrectionem Discipulis phantasma putantibus, verum corpus exhibuit, tangique ac palpari voluit? Sed quid multis? nonne vel in ipsa Ascensione, factum vidimus *Disq.* 15. *pos.* 1. ex istorum Philosophiâ, simulatorem Christum? Eant nunc Vbiquitarij, & Bullingero Calvinistæ, *in Repetit. Conf. pag.* 60. Swenckfeldianismum sibi obiectanti, fidem abrogent.

PROPOSITIO VI.

Sabellianismi & Samosatenianismi, novos Vbiquistæ surculos producunt; & Antitrinitariorum, Servetianorum, ac Socinianorum furijs viam sternunt.

405. Diversæ, multumque inter se dispares, Sabellij ac Pauli Samosateni blasphemiæ erant, illud tamen utrisque commune, quòd (*ut Epiphanius hæresi* 57, 62. *&* 65. *Augustinus hæresi* 36. *&* *Baronius ad an.* 260. *&* 265. *docent.*) Vterque tres in Divinis Personas confunderet, proindeque Sacrosanctum adorandæ Trinitatis mysterium tolleret. Quid aliud moliuntur nostri? Vt enim probent suam illam, quam, *absque re*, *realem vocant*, naturarum communicationem; hoc est, ut primùm Vbiquitati suæ fundamentum struant, *apud Busæum Apolo: cap* 41. *pag.* 45. Ita argumentantur, *Constat, Personam re idem cum natura Divina esse, neque ab ea separari posse*, ut protinus communicatâ Personâ, inferant communicatam etiam naturam. Atqui ex hac ratiocinatione unà inferunt, Naturam à Personâ indivi-

tam esse, proindè communicata in divinis natura, communicari necesse est & personam.

406. Audi enim Behmium memb 2. num. 10. *Inter Personam & naturam τοῦ λόγου, nonnisi formalis intercedit distinctio. Carnem ergo Persona τοῦ λόγου pervadente, pervadat etiam oportet eandem Natura τοῦ λόγου.* Atque hinc pro Vbiquistarum Sabellianismo ac Samosatenianismo ita ratiocinandum est. Natura Patris realitèr communicata est Filio, & Spiritui Sancto; communicata igitur & Persona. Vbi igitur tres Personæ? Vbi adoranda Trinitas?

407. Adde Vbiquistas docere, Humanitatem ex vi communicationis Maiestatis, *non modò Divinitati σύνθρονον factam, sed etiam in ipsius Trinitatis consortium assumptam, esse personam Trinitatis* &c. ut Lutherus, Musculus, Gerlachius, Selneccerus, *apud Busæum Apologet. pag.* 14. *ad th.* 10. loquitur; quos imitatur Behmius uti Disq. 10 prop. 3. vidimus. Aut igitur humanitas Creatura esse desijt, & penitus in Deum mutata est; aut Trinitas non est prorsus increata, imò ne Trinitas quidem; quia accedens creata humanitas rationem Trinitatis variat: aut non est Vnus duntaxat Verus Deus, sed duo, quorum alter increatus sit, alter creatus, & creatura.

PROPOSITIO. VII.

Vbiquistæ, supra omnes alias, potissimum Eutychianorum & Apollinaristarum, Acephalorum, ac Monothelitarum sectas revocant.

408. NIl magis Vbiquistæ amoliri ab se laborant, quèm Eutychianismum; quia nil frequentius ac verius obijci ijs solet, quemadmodum & hîc sæpe fa-

ctum. Quo loco obſervandum in primis eſt, Vbiquiſtas, *Eutychianorum more*, inſaniam ſuam corde fovere, at verò verbis, ne agnoſcatur, tegere. Sed Matth. 10. 26. Luc. 8. 17. οὐδὲν ἐςι κρυπτὸν ὃ οὐ γνωσθήσεται. Patent enim nimium, cùm illorum, tum iſtorum *Eleuſynia ſacra*.

409 Dogma Eutychetis palmarium fuit, *Vnam in Chriſto duntaxat naturam eſſe* (ad hanc enim Charybdim, ut Scyllam Neſtorij, Patriarchæ ſui, *de duabus in Chriſto Perſonis effugeret* infelix Archimandrita Conſtantinopolitanus impegit) ſive cenſuerit humanam, vi unionis hypoſtaticæ abſorptam, vel in divinam mutatam, ut plerique aſſerunt; ſive, *ut Vaſquez Diſp.* 14. *cap.* 1. *de Incarnat.* probat, ex utraque naturâ per ſe manente (ſicut in homine ex animâ & corpore) tertiam compoſitam. Atque hoc ex verbis Gelaſij Pont. *Tomo* 5. *Bibliot. Pat.* colligi poteſt. Sic enim circa medium ſcribit: *Adhuc autem & illud adijciunt, ut ſicut ex duabus rebus conſtat homo, id eſt ex anima & corpore quamvis utriusque rei ſit diverſa natura, ſicut dubium non habetur, plerumque tamen uſus loquendi ſingulariter pronunciet, ſimul utrumque complectens, ut humanam dicat naturam, non humanas naturas: ſic potentiam, in Chriſti myſterio, & unitionem Divinitatis, atque humanitatis: unam dici vel debere, vel poſſe naturam.*

410 Idem colligitur etiam è S. Maximo, *apud Euthym. panopl. parte* 2. *tit.* 15. ubi, *teſte Lugo Diſp.* 10. *Sect.* 1. Docet Eutychetis & Dioſcori ſequaces, conceſſiſſe, poſt unionem manere utramque naturam quoad qualitates, non quoad ſubſtantiam & eſſentiam: ſive quoad nomen, non quoad rem.

411. Ad eundem ſanè modum, noſtri Vbiquiſtæ, multis verbis ac nominibus, naturæ in Chriſto integritatem jactant, cum per illam ſuam naturarum & proprietatum communicationem, utramque ſuſtulerint.

Nam

Nam & Concilium Chalced. *apud Euthym. l. c.* ex eo infert *Asterium, Apollinarium, & Eutychen, unam ex duabus Christi naturis factam docuisse, quia utriusque carnis differentias & proprietates* (quod Vbiquistæ per suam communicationem idiomatum faciunt) *sustulissent.*

412. Eandem ob causam, vid. ob negatas proprietatum differentias, σύγχυσιν, & confusionem naturarum inferebant Patres: ut Damascenus *apud Euthym. panoplia l. c* ita loquens. *In persona Domini, naturam unam dicere non possumus, cum utraque natura etiam post coniunctionem, naturalem proprietatem conservet.* Et in libro cont. Acephalos, *Totus*, inquit, *Deus & totus homo est, naturis inter se unitis inconfuse, inconvertibiliter, ac inseparabiliter. Inconfuse quidem quia quæcunque natura suam propriam differentiam retinet.* Ergo, si ex vi Vbiquisticæ communicationis, proprietates & idiomata communia sunt, jam non retinet propriam differentiam; Ergo jam *non inconfuse.*

413. Cùm vero jam aliâs de ea cum naturarum, tum idiomatum confusione dictum sit, juvat hîc ex Vbiquistarum verbis, eandem, & cum ea Spiritum Eutychianicum intueri. Nicolaus Selneccerus *apud Bellarm cap. 9.* in Epistola ad Vittemb. Anno 1571, *Quod ad potentiam*, inquit, *attinet, cum Paulo loquimur; si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc non novimus. Cessante enim infirmitate carnis, nihil in eo jam novimus, nisi virtutem Divinitatis.* Et infra *Ac per hoc quicquid vel fuerat prius, vel est, vel manet substantiæ duplicis, factum est virtutis unius.*

414. Idem prorsus docent Regiomontani nostri, præeunte Behmio tùm utraque dissertatione de περιχωρήσα, tum potissimum memb. 2. num. 5. 14. 16. ubi naturas duas in Christo ita inter se κατὰ συνδύασιν.

 unibi-

unibiles dicit, *ut non tantum una rationem habeat* ἐντελεχείας, *altera* δυνάμεως; *sed etiam mutuò se permeent, habeantque realem tum sui, tum proprietatum communicationem, quâ nempe subiectum unum alteri se se totaliter largitur; unà cum omnibus proprietatibus suis &c. &c.*

415. Jam verò & Monothelitarum (qui cum Duce Philopono, Grammatico & Philosopho celebri, duas in Christo naturas, non omnino concederent, *Monophysitæ*, ac deinde etiam *Ægyptij*, & *Schematici*, teste Baronio ad annum 535. num. 79 dicti sunt) insaniam, quo pacto Vbiquistæ foveant, etsi patere jam abunde potuit, tamen ex verbis Bellarm. *lib. 5 de Christo cap. 5.* quæ Calvinista Tilenus nonnisi *logis alogis impetit*, amplius patebit. *Si operatio propria Mediatoris*, inquit ille, *convenit Christo ratione utriusque naturæ, sequitur confusio operationum, & consequenter naturarum in Christo, quæ est Hæresis Monothelitarum & Eutychianorum, damnata VI. Synodo act. 17. Nam cum in sexta Synodo reijciatur una operatio in Christo, non reijcitur una operatio, respectu Dei tanquam principalis agentis, & hominis ut instrumenti (talia enim erant omnia miracula, quæ fiebant á Deo Verbo per carnem ut instrumentum) sed reijcitur una operatio, respectu Dei & hominis, tanquam propriæ, & principalis causæ. Illa enim dicitur causa propria & principalis, quæ agit ex virtute sua, quam habet ex propria sua forma, & essentia.* Consule etiam Busæum Thesi 21. Valent. lib. 1. cap. 9.

416. Denique idem censuisse, ac docuisse Acephalos (qui alias quoque cùm nullum Ecclesiæ suæ caput habeant, Vbiquistis omnibusque sectarijs nostris proluserunt) eruditè probat Franciscus Turrianus in Epist. ad Valentiam. Quàm verò ijdem Apollinaristis, sive Dimæritis accinant, vel ex Gaulterij *tab. Secul. 5. cap. 3* patebit.

PROPOSITIO. VIII.

Etiam ad Nestorianos, sive odio veritatis Catholicæ, sive insitæ studio pertinaciæ, inclinant Vbiquistæ.

417. NOn secus inter se hæresiarchæ concordant, quàm, ut dicitur, ἄμπελος καὶ κράμβη, *Vitis & brassica*: & tamen ita opinionum suarum fumis, vaporibusque obsitum habent caput, ut planè, quod Psal. 106, 27, de quibusdam dicitur, *Moveantur sicut ebrius*, ebriorumque instar vacillantes ubique offendant; imò & adversas, contradictoriasque sibi sectas, quasi in scopulos propè inviti, planè verò cæci, vel ebrij impingant Ita Eutychiani, ut Nestorio, duas in Christo Personas pravè comminiscenti, ex adverso starent, non tantum Personam, sed & unam duntaxat in Christo naturam asseruerunt: & tamen vacillando, ac cespitando, in errorem Nestorij impegerunt; dum, ut *Gelasius tomo. 5. Biblioth. testis est, ante adunationem, duas in Christo adhuc in materno utero existente, fuisse naturas docuerunt.* Ex quo bene Gelasius infert. *Ergo fuit aliquod interstitium, quod ante adunationem sui istæ naturæ putarentur fuisse discretæ, & in adunationem postea convenisse.* Tum verò etiam consequenter concludit, *id ipsum prorsus esse Nestorianorum dogma.*

418. Ad eundem sanè modum, Vbiquistæ exorsi sunt cantilenam suam cum Eutychete, ita ut (quemadmodum Myslenta *Disp.* 4 *th.* 17. & 49. Smidelinus apud Valentiam *Lib.* 2. *cap.* 1. Gerlachius, alijque sæpe faciunt) Catholicis Nestorianismum impudentissimè, pertinacissimeque affricarent. At ecce subito, ut est apud Suidam ἀπὸ δωρίου ἐπὶ φρύγιον! & *à Calcaria* (ut cum Tertulliano loquar) Eutychianâ, *ad Carbonariam*

Neſtorianam Neſtorium igitur ſeqvuntur, non tantùm, quòd ut ille (teſte Socrate in Hiſt:) *veterum libros ne legere quidem dignentur*; aut lectos longè infra vacui capitis ſui ſomnia habent. (*Cum enim naturalem quandam habeant eloquentiam, inflati propter eam, veteribus non accuratè incumbunt, ſed ſeipſos potiores omnibus judicant:*) ſed multò etiam magis, *quod duas in Chriſto perſonas ſtatuant*.

419. Primo quidem, quia duce Smidelino *apud Valentiam lib. 2. cap. 1. pag. 262.* dicunt *ſubſtantiam divinam* (videlicet ratione ſubſiſtentiæ divinæ) *non fuiſſe naturæ humanæ, ſed tantum gloriæ & Maieſtatis eiusdem complementum.* Si enim hypoſtaſis Verbi, non eſt complementum naturæ humanæ, profectò hypoſtaſis ſeu perſona Verbi, non eſt hypoſtaſis ſeu perſona naturæ humanæ: proinde natura humana, cum ſine perſona aliqua in rerum natura eſſe nequiverit, aliam à Perſonâ Verbi perſonam habuit; quo pacto duæ in Chriſto perſonæ, Neſtorianiſmum ad Vbiquiſtas invehunt.

420. *Secundo* quia ſicut Neſtoriani, quanquam aliquando concederent; *unam in Chriſto perſonam*, id tamen non admittebant *ex vi unionis hypoſtaticæ, ſed tantum ex vi unionis:* (agnoſce Vbiquiſtarum phraſin) *Maieſtatis, Dignitatis, vel authoritatis*, uti patet ex Concilio Epheſino Can. 3. 5. 6. quatenus videlicet, *ut in V. Synodo Can. 4.* dicitur, *per ſolam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, perſonam unam, & unum Chriſtum confingunt,*

421 Atque hinc, ſicut nec B. Virginem Θεοτόκον, ita nec Chriſtum Deum, ſed (ut teſtis *Damaſcenus lib. 3. cap. 12.* cum Concilio Epheſino, *canone 5*) tantùm Θεοφόρον, ſive *Deum ferentem* appellabant Hinc illæ Neſtorianorum phraſes, *Dei filius eſt in filio Mariæ &c.* Quales Vbiquiſtis prope hereditarias eſſe, Bellarm. *lib. 3. cap. 8.* notavit; præſertim cùm ut vidimus, humanitatem

tatem Chriſti non aliter jungerent Divinitati, quàm principali agenti inſtrumentum.

422. Quàm verò merito, ex modo loquendi hæretico inferri poſſit ſenſus hæreticus, patuit vel ex ipſo Luthero *lib. contra Eraſmum*, Sic enim ſcribit. *Si loquitur Arrianice, judicetur Arrianus: Si loquitur Lucianice, judicetur Lucianus; Si gentiliter, gentilis: &c.* Quid ni addamus, ſi Vbiquiſtæ loqvuntur Neſtorianice, Neſtoriani ſunt? Quid veró illud, quod, idem Lutherus libro de *Concilijs part 2.* Eutychen & Neſtorium in Judicio extremo Aſſeſſores Chriſto faciat qui ſcilicet S. Leonem & S. Cyrillum damnaturi ſint? Satin' hoc Neſtorianicè & Eutychianicè loqui ac ſentire eſt?

PROPOSITIO IX.

Vbiquiſtæ, in re Eucbariſticâ ac Sacramentariâ, tandem ad Calviniſmum devoluuntur.

423. DIviſos ab eodem fonte fluvios atque in tranſverſa decurrentes, vix unquam videas iteratò jungi. Quocirca portenti înſtar habendum, quod Vbiquiſtæ, qui ab unâ, eademque Lutheri Apoſtaſiâ, cum Sacramentarijs orti, contrarium iter tenuerunt, armisque plus quàm civilibus inter ſe hactenus concurrunt (uti vel ex unius Botſacci, Gedanenſis Archiminiſtri, *ſuper* 10 *Conf. Aug. Art. contra Bergium Calviniſtam*, Declaratione nuper editâ patuit) ijsdem tandem Sacramentarijs (*ut Diſq.* 19 *pag.* 5. *notatum*) jungantur. Et mirum ſit, Eutychianos in diverſa prorſus abreptos ἓν κύριον, *unum idemque alueare*, cum Neſtorianis tandem reperiſſe? Sed jam vide, ut Calvinianis Vbiquiſtæ hîc conjurent amice!

424. Sacramentum cænæ, eo inſtitutum, ut præſens corpus Chriſti nobis exhibeat; at ſi Corpus Chriſti eſt Vbi-

est ubique, etiam nobis præsens erit. Quo igitur nobis Sacramentum cænæ? Vt significet corpus Christi præsens esse? hoc enim innuit *Formula Concordiæ pag. 745.* dum ait, *Et sane, in huius rei confirmationem* (videlicet, *quod eum, tanquam os ex ossibus nostris, præsentem habeamus*, uti immediatè præmissum est) *sacram suam cœnam instituit; ut testaretur, se etiam secundum eam naturam, quæ carnem, & sanguinem habet, nobiscum esse, in nobis habitare, & efficaciter operari velle.* Atqui hoc ipsum Calvinistæ intendunt, nimirum sacram Cænam nihil esse aliud, nisi signum quod Christus nobis præsens adsit.

425. Fortè dicent Vbiquistæ, sacram cænam eò facere, ut Corpus Christi, quod ubique præsens est, hic & nunc sumatur fructuose, hoc est, ut hic & non alibi operetur, virtutemque suam, atque efficaciam exhibeat. Sed & hoc ipsum volunt Calvinistæ, ut palam est. Salvete igitur novi Calvinistæ, qui hactenus Domini Vbiquistæ!

PROPOSITIO. X.

*V*biquistæ cum Theopaschitis, & Patripassianis, non tantùm alijs attributis divinis, sed ipsi quoque vitæ Dei insidiantur.

426. HOc nempe deerat, ut cùm Vbiquistæ Ecclesiam in terris militantem, omnesque propè fidei articulos, perturbassent, in cœlum (*nova prorsus inventa sive Gygantomachia, sive potius Theophonia*) arma verterent, ipsumque Regni illius Beatissimi Imperatorem Deum, ad necem deposcerent, ac vitam ei eriperent. Aggressi sunt facinus nullo quidem eventu, sed ausu, plusquam Tragico, cuius ab omni hominum memoriâ (post Homeri, in Martis aliorumque Deûm vulneribus ludentis fabellas) nullius alterius, nisi fullonis exemplum auditum esset.

Petrus

427. Petrus is erat Gnaphæus sive Fullo, impijssimus Antiochenæ Ecclesiæ Præses, ac potius *Fur & latro*, quia, *non per ostium ad illud ovile ingressus*, sed (ad nostrorum quoque sectariorum morem) postico illapsus. Quid igitur tandem novi Fullo? non satis esse ratus, si Christum, cum Ecclesiâ, Mediatorem, ac Redemptorem, crederet passum secundum humanitatem, vel, ut Paulus ait *Crucifixum ex infirmitate* 2. Cor 13. *Factum ex semine David secundum carnem* Rom. 1: vel, ut 1. Petr 3. *mortificatum carne, in carne passum*: contendit, etiam secundum Divinitatem passum, crucifixum, ac mortuum esse: ut ita Theopaschitarum furori exordium, appellationemque daret.

428. Hinc ad receptum in Ecclesia hymnum quem τρισάγιον dicunt (ne scilicet quenquam lateret, quam ille Fullo, juxta Athenæum, verè esset τέτταρας κεφαλὰς ἔχων; ad morem ebriorum, quibus omnia videntur geminata, *quatuor habens capita*) quartum divino illi carmini adiunxit caput, ut non modò cùm Angelis (hi enim, ut testis *Baronius Anno* 446, divinum illum hymnum, cecinerunt, eundemque mortalibus prodiderunt primi) caneretur *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, sed cum Fullone, diviniore scilicet chori magistro, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, Sanctus qui Crucifixus es*.

429. Fullonem, circa annum 519. secuti sunt, *eodem Baronio teste*, quidam de Scythiâ Monachi; qui, ut vel in ipsâ Christianæ veritatis luce, verum esset vetus illud Luciani σκυθῶν ῥῆσις, *Scytharum oratio*, pro Scythicâ ingenij acie philosophabantur, ac docebant *unam Sanctissimæ Trinitatis personam crucifixam esse*. Quæ dictio, quanquam sano sensu admitti potuisset, quia tamen illi barbarum, juxta ac hæreticum dogma, contra ipsius Divinitatis impatibilitatem, eâ voce promotum

ibant, reiecti sunt prophani καινώσεως τὲ καὶ κενώσεως, *novitatis*, & *vanitatis* authores; non modo ab Hormisdæ Pontificis legatis Constantinopoli, verum & ab ipso Hormisda Romæ, & à Fulgentio, cæterisque orthodoxis in Africâ Episcopis, ad quos, ut furori aliquod emendicarent subsidium, cursitabant.

430 Hanc Fullonis, Scytharum, uti & hisce paullò antiquiorum *Noetianorum* sive *Patripassianorum*, (qui de Sabellij Scholâ prodierunt infelices θεόμαχοι) imitati Vbiquistæ nostri, audi quæ axiomata orbi pronuncient! Form. Concor. a 3. *Obedientia Christi non est unius duntaxat naturæ, sed totius personæ*. Item *Tota Christi Persona*, id est, non modò quoad humanitatem, verum & quoad Divinitatem sumpta, *pro nobis passa, crucifixa mortua*. Et aliàs sæpe cum Luthero lib. de Concilijs. *Ipsa Christi Divinitas passa &c.* Brentius contra Bulling. *negari non potest, quin divina natura in Christo passionis, & mortis, suo modo, particeps facta sit.* Daniel Michael, *Synops. Puncto* 1. *pag.* 23. ex sermone Lutheri de Cæna, *Si credam solam Christi humanitatem pro me passam esse, Christus mihi exiguus, ac inutilis Salvator est*.

431. *Quis infernus* (ut jam cum S. Athanasio *ep. ad Epictetum*, aliquid reponamus) *ista eructavit? quis ita impius fuit, ut vel verbis diceret, vel animo cogitaret, ipsam Deitatem circumcisam*, vel quod amplius, crucifixam, & mortuam, *fuisse*? Quid huic furori, plusquàm Orestæo, quem omnes generis humani sensus publico damnant odio, & execratione, necesse est opponere vel Concilia, (ut Ephesinum, Chalcedonense, Hispalense. 2. cap. 13.) vel Patres; Cyrillum *in Epist. Synod. ad Nestor.* Epiphanium *hæresi* 76. Theodoretum *dial.* 3. Fulgentium *lib.* 3. *ad Thrasimundum cap.* 9. & 18. Damascenum. *lib.* 3. *cap.* 6. 11. 26. Augustinum *hær.* 73?

432. Si Deicidæ isti, responso insuper aliquo digni

sunt,

ſunt, habeant tam verbo, quàm reipſa, atque exemplo illo, quod Princeps quidam Orientis (ut refert Zonaras tomo 3.) maioribus eorum, Epiſcopis duobus, ab impijſſimo Imp. Athanaſio miſſis dedit. Venerant illi, ut peſtilentem auram Chriſtianiſſimo pectori, totique aulæ Principis, atque inde ſubiectis totâ Provinciâ populis afflarent. Ille homines comiter acceptos & jam auditos, jubet in poſterum diem expectare reſponſum. Interim ſubornat famulum, qui ſibi, cum Epiſcopis collocuturo, tacitus in aurem, neſcio quid, inſuſurret. Facit is: cùm ſubitò Princeps frontem adducere, & ſuſpirare, intimumque animi dolorem teſtari. Epiſcopi tam ſubiti doloris cauſam percontari; cùm Princeps, *Nunciatum*, inquit, *mihi eſt Gabrielem Archangelum mortem obijſſe.*

433 Hic illi, rei inſolentiam non tam mirari, quàm ridere. cùm ἀδύνατον prorſus eſſet, S. Michaelem, qui Spiritus eſſet, mori, aut vulnerari! At Imperator, *Vos verò*, inquit, *fatuos*, &, *ut aiunt* λευκὰς φρένας, *alba prorſus præcordia! Angelus quia Spiritus eſt, neque mori, neque vulnerari poteſt! & Deus, qui non modo Spiritus, ſed omni Spiritu creato immenſum in ſe purior, ſimplicior, atque ab omni penitus concretione mortali ſeiunctior eſt, pati, vulnerari, mori denique potuit!* Eo reſponſo Theopaſchitæ, & in Theopaſchitis Vbiquiſtæ noſtri, jam diu jugulati ſunto.

DIS-

DISQVISITIO, XXI.

An Vbiquistæ, sub Augustanæ Confessionis umbrâ, in Sacro Imperio Romano nidulari, & tolerari possint?

434 QVi Codicem, qui reliqua Juris civilis volumina lustrant, animadvertunt, gravissima, ac sæpe etiam capitalia, sigillatim in memoratarum hæreseon capita, non à divinis Sacrorum præsidibus duntaxat, verùm & ab ipsis Imperatoribus, reique civilis administris, lata edicta. Quid igitur? omnes illæ tot, ac tantæ in unum *Pantachusiasmi* seu Vbiquitatis, sinum congestæ, à civili animadversione immunes erunt? Minimè verò gentium. Nam & in ipsis S. Romani Imperij provincijs, in quibus omnes propè huius temporis sectæ natæ, educatæque sunt, ipsa per se Vbiquitas, uti jam patebit, consistere jure nequit.

PROPOSITIO. I.

Apud Regiomontanam Academiam falsò, & iniquè docetur, in Sacro Imperio Romano Reservationem Ecclesiasticorum non admissam, & sublatam in Apostatas, & Sectarum Novatores animadvertendi potestatem.

445. ANno 1637. *Christianus Ohm I.V.D.* & in Academiâ Regiomontanâ *publicus Iuris Professor*, atque, ut ipse se vocat, *pro tempore Magnificus Rector*, Decadas

Decadas quinque illustrium Iuris Controversiarum, in lucem Typis publicis emisit. Non satis erat homini, Pontificem juxta, ac Imperatorem; Episcopos, omnesque Pontificios, &, ut ipse palàm scribit, *Pontificiorum Doctores Iesuitas*, utraque ferè paginâ incessere, vellicare, & planè quod aiunt εἰς σωσίας καὶ τυβίους ἀποδιδόναι, *inter Sosias & Tybios referre*: vel Sacrosanctum Concilium Tridentium, *Controversia* 10 vocare *non tam Concilium, quàm Conciliabulum illegitimum, & adulterinum, tantùm abest ut fuerit Christianum, vel universale*, (quem æquis passibus tomo 1 in A. C. nuper consecutus Calovius, pag 910. & sequent. Tridentinum Concilium *neque Oecumenicum, neque liberum, neque Christianum*, pro suâ scilicet modestiâ, dicit) neque insuper satis habuit *Controver*. 11. Nobilissimum Cretensem agere, ac splendidè imponere; *Calendarium novum*, à Gregorio XIII Pont Max. *non requisito Imperatoris Consilio, Protestantibus æque ac Catholicis invitis obtrusum*; *adeoque Pontificios hîc, sub studio juvandæ ordinationis Ecclesiasticæ, novam Iurisdictionem, novum Ius imperandi, Imperatori & Imperio quærere, & per hæc minora, maiora superinducere affectare &c &c.* Non deniq; verebatur *Controversia* 16. quæcunque de Sacri Imperij Romani, á Græcis ad Germanos, per Romanum Pontificem Translatione Catholici, imo, & Sectariorum non pauci docent, *Paparum, & Papalium Parasitorum Tradita*, appellare; nisi ipsas quoque in S. R. I. Juris Tabulas convelleret.

437. Est inter cæteros Juris illius articulos, quem, *De Reservato Ecclesiastico* vocant. Eo decernitur, ut, *Si Archiepiscopus, Episcopus, vel Prælatus, à Catholica Religione, ad Sectarios transeat, jure, ac facto ipso, omni officio, ac dignitate excidat.* Quid ad hunc textum magnus iste Julis interpres? *Controversia septima*, vocat articulum illum *Invalidum, & iniquum.* Atqui, ô Magne Cato, Decretum

cretum illud à Cæsare confirmatum, & constitutioni, pro more, legitimè insertum!

438. Audite, quid noster ad hæc Tribonianus, vel etiam Papinianus. *Vtut Cæsar articulum hunc sua authoritate confirmaverit, jure non potuit confirmare, & utut hic articulus, Religionis constitutioni sit insertus, legitime eum esse insertum negamus.* Satin' *Magnificus iste magnifice*, ac pro imperio? Mihi quidem videtur, non tam, cum illo, apud Heliodorum in Æthyop. *Achillæum spirare*; quàm cum Plautino illo milite πρὸ τῆς νίκης τὸ ἐγκώμιον ᾄδειν, & oppidò *ante victoriam triumphum canere!*

439. Nescio, quàm ille novus Juris dicendi Antistes, apud Proceres & Cives, Amplissimi, Catholicissimique Poloniarum Regni, gratiam initurus sit; eos certè, qui Patriam recognoscunt Germaniam, & Germaniæ Imperijq; jura voluunt, Patrij Juris, ac libertatis vindices esse decet. Ego hoc loco tantùm de sectariorum tribu testes citabo, qui imperitissimum istum Jurisperitum, falsitatis pseudologiæq; arguant, dum fatentur, ipsos Confessionistas, in dictam *Ecclesiasticorum Reservationem*, Anno 1555. consensisse. Ita enim palàm Sleidanus *lib.* 26. & ex eo Osiander *Cent.* 16. *lib.* 3. *cap.* 17. Quibus jungi potest Thuanus *lib.* 12 *pag.* 259. & alij, quos Dilingani citant *quæst.* 51. & 52.

PROPOSITIO. II.

Confessio Augustana neq; est, neq; appellari potest, Symbolicus Fidei Liber.

440. PRæterquam enim, quod liber ille, & à suis, & à supremo Magistratu, ut jam videbimus, damnatus sit, atque eo ipso authoritatem Symboli amiserit; illud insuper huc facit, quod ille vel humanam tantum autho-

authoritatem, vel & divinam habere dicendus sit. Si humanâ tantum, quomodo pro fidei normâ, (quæ non nisi divina esse debet) proponi Ecclesiis potest? Si divinam, Ergo scriptor eius Philippus, juxta 2. Pet. 2. 21. in eo scribendo, θεόπνευστος divinitus à *Spiritu Sancto inspiratus locutus est*: Ergo, juxta omnium Canonicorum scriptorum privilegium, deficere à veritate neque debuit, neque potuit.

441. Atqui constat non tantum *ex historia Vigandi pag.* 12. verum etiam *ex Responsione Ministerij Regiomontani Anno* 1617. edita, *Philippum ab obitu Lutheri, quod etiam Epistolæ ipsius sine rubore testantur, ad Sacramentarios*, sive Calvinistas, *declinasse*. Constat proinde Philippum vel condendo illud Symbolum, vel ab eo declinando erravisse; & consequenter neque θεόπνευστον, neque Canonicum scriptorem, imò ne Symboli quidem conditorem esse potuisse: quia *Symbolum* (juxta S. Aug. definitionem *Ser.* 225. *de temp.* quam etiam Calovius tom. 1. Comment. pag. 12. admittit) est *Regula fidei, brevis & grandis: brevis numero verborum, grandis sacramento, & pondere sententiarum.*

442. Si enim Regula fidei est, & Fides, (ut Calovius cæterique Prædicantes contendunt omnes) solâ authoritate divinâ, & quidem nonnisi scripturis divinis suffultâ, niti debet; ita ut & Ecclesiæ, & Conciliorum, & Traditionum omnium authoritatem, à Fidei adminiculis submotam, ijdem Prædicantes omnes velint: quo tandem pacto Fides divina, authoritate Conf. Augustanæ tanquam *Tesserâ & Symbolo*, niti potest, nisi Symbolum illud ab authore, vel (quod Catholici, de Athanasiano & Nicæno alijsq; id genus, docemus) à Concilijs vel Ecclesiâ, divinam authoritatem habeat?

443. Facit huc, quod ipse Calovius pag. 13 contra se suosque scribit; *Symbola oportere infallibilia, & invariabilia*

riabilia esse. Sed, si *infallibilia non sunt, ob suffragia Ecclesiæ*, ut ibidem subdit: neque item (quod ille quidem more Prædicantum, fidiculam suam, ad scripturæ sonum magis, quàm sensum temperantium nequidquam contendit) *ob dogmata, quæ proponunt Scripturæ*; præsertim cùm fateatur, in suo illo symbolo, *dogmata esse talia* (id est scripturæ agnata) *non formaliter, sed materialiter, quia non sunt* θεόπνευστα, *sed é scriptura, quæ* θεόπνευστος *desumpta*: illud unicum reliqvum est, ut ab authore habeant authoritatem. Quam cum hic, uti patet, non habeant, nullam prorsus habent.

444 Quod si nemo sanæ mentis infallibilia dicit, quantò minus dicet *Invariabilia*? Quàm enim sæpe, & quàm multis mirisque modis, Confessio Aug. eiusque dogmata, non tam δευτέρας φροντίδας, neque tam *secundas*, quàm adversas & pugnantes *curas* experta? Ipse Philippus, quoties pro suo palato, Calvinistarumq; gustu Cramben illam recoxit? Audi Vigandum hist. Conf. Au. p. 5. *Mutationes Aug. Confessionis, ab unâ personâ* (Philippo Mel.) *sine approbatione publicâ & conueniente, effecerunt, ut Vittembergenses, geminam confessionem, recenter post obitum Lutheri, Ecclesiæ offerrent; vnam vetustiorem, alteram recentiorem, atq; in pluribus mutatam & variatam &c.*

445. Possem de dogmatis Aug. Conf variatis producere testes, non tantum Dilinganos *in Compos. Pacis* Quæst. 13. verum & nostros Regiomontanos, *in Resp. Anno* 1617. *cap.* 4. *pag.* C. 1, Sed quia Calovius uti tempore, ita eruditione docendiq; authoritate, posterior (quanquam scripturiendi studio videri velit primus) de Aug. Confes. mutatione vel variatione *integram Iliada pag.* 99. *& seqq.* item pag. 174. & seqq: deq; Philippi erroribus, apostasiâ, atq; vulpinationibus 148. & seq.

gran-

grandem *Odyssæam* conscripserit, nolo actum agere: præsertim cum P. Joannes Gansz demonstrarit modernos Saxonicos, circa Aug. Conf. apertè veteribus contradicere; uti videre est in Augenwehe / Saxonicorum modernorum Augapffel opposito.

446 Quocirca, possem ego Calovium verbo expedire, quæque ille Variatæ à Philippo & Calvinianis, (ut doceat eam Symboli loco recipi non posse) Conf. Augustanæ pag 160. & seqq. objicit, eadem omnia ex asse Calovio, eiusdemque Symbolo (quod ille comendo & poliendo *Æthiopem lavat*, vel, ut Aristophanes quasi ad rem præsentem intuitus aiebat, *Canina victitans Cynocephalum oppugnat*) adnumerare: tamen, ne quâ euntem videar non assecutus, κατὰ πόδα, ut aiunt, vestigijs, aliquot passus, inhærebo. Quis enim tam ferreus sit, ut illum, qui pro Conf Aug à *Calumnijs*, ut ait, *Iesuitarum vindicanda*, à pag 50. non aliâ sanè, quàm *Desultoria levitate* fertur, ubique consequatur? Vt taceam, quòd ipsa *Crambe* toties eo tomo, & tam insulsè & inconditè *recocta*, valentissimo quoque stomacho nauseam movere possit. Vnum tamen illud Calovium moneo, ne Lutherum minus, quàm Philippum velit esse *Vertumnum*. Proinde ne tantoperè pag 183. & seqq. contendat. Philippum, Luthero, ceterisque Protestantium Ordinibus inscijs atque invitis, Aug. Conf. mutasse & variasse. Qua de re alias pluribus.

PROPOSITIO III.

Confessio Augustana nunquam in Imperio Romano approbata fuit.

447. SOlent adversarij mirificè gloriari Augustanâ ista Confessione suâ, tanquam publicis Imperij Comitijs Augustæ approbata, authoritatem Symbolici

libri,.publicæque in religione Amussis, authoritatem obtinuerit. Sed insigniter sibi cæterisque omnibus imponunt, tanquam meri de *Plautina Astutiarum regione* κέρκωπες. Illis enim Anni 1530 Comitijs, per Senos illos Principes. Joannem *Saxoniæ Electorem*, Georgium *Marchionem Brandenburgicum*, & Franciscum *Ducem Luneburgicum*, *Philippum Landgravium Hassiæ*, & Wolffgangum *Principem Anhaltinum*. duarumque insuper civitatum, Nurembergensis videlicet, & Reutlingensis senatum (neque enim tunc plures tam celebri Confessioni subscripserunt, ut testis est Chytræus in hist. Confess. Aug. pag. 110. quanquam Joannes Vigandus in historia pag. 27. septimum Principem Joannem Fridericum Ducem Saxoniæ addit) nihil aliud actum, nisi ut exhibitâ illa, per Philippum Melanthonem de Lutheri centonibus, ut testis est Ægidius Hunnius tomo 5. disp. 3. n. 6. compilata Confessione, ratio fidei non omnino à Christiana abeuntis, redderetur.

448. Tantum abest, ut vel illi, vel ipse Lutherus (qui, Augustam venire non ausus, Coburgæ latitabat, & quasi de vicino Æoli antro ventos navigaturis afflabat, consilijs per literas, & internuncios identidem subministratis) probandam sperarent! nisi fortè accusatorum reorum, eo ipso, quòd pro legitimo tribunali expendenda vocatur causa, probata etiam justaque censeatur! Quid si verò, etiam damnatam Comitijs ijsdèm Confessionem illam probemus?

PROPOSITIO. IV.

Augustana Confessio, in ipso sui ortu à Cæsare omnibusque S. R. I. statibus damnata est.

449. NAm cum 24. Junij, ipso die S. Joanni Baptistæ sacro (ut scribit Vigandus in historia pag. 23.) Cæ-

23.) Cæsari, Latina, juxta ac Germanicâ linguâ; esset præsentata, ac postridie qui dies in Sabbathum inciderat, lecta à Theologis Catholicis, quorum examini à Cæsare, & statibus subiecta fuit; non modò damnata, verùm & 3. Augusti scripto confutata est; decretumq; à Cæsare, & Statibus, (aderant autem Comitijs illis Electores quinque, Principes quinquaginta tres, Abbates viginti duo, Comites & Barones triginta duo, præter alios Vrbium Provinciarumque delegatos) ut Catholica fides integra servaretur

450. Quibus de rebus non modo Chytræus, ac Vigandus in histor: verúm & ipse Confessionis illius πλάστης Philippus, literis ad Lutherum 6. Augusti Coburgam datis, ita scribit. *Tandem audivimus Confutationem tertiâ Augusti, & Sententiam Cæsaris, quæ satis aspera est Nam priusquam legeretur Confutatio, Cæsar inquit, se in ea sententia, quam sibi perscribi curasset, mansurum esse, & petere, ut idem faciant Principes nostri, Quod, si nolint facere, se, cum sit Defensor Ecclesiæ, non Schisma in Germania tolerare.*

PROPOSITIO. V.

Confessio Augustana à Philippo, & suis parentibus, in ipso ortu, damnata ijsdem Comitijs fuit.

451. SEd vide quo pacto à suis, præsertim verò à Philippo Melanthone, parente suo turpissimè prodita, æquissimeque damnata sit, illa Confessionistica *Helena*, ut hîc quoque verum esset illud ἰχθὺς ἐκ τῆς κεφαλῆς ὄζειν ἄρχεται. *Piscis à capite primum putere occipit.* Damnatis enim ad eum modum Confessionistis, nihil aliud occurrebat, nisi ut Confutationi re-

sponsum opponerent, hoc est, more Sectariorum omnium, è limpidâ, redderent aquam turbidam; & sic quod dicitur ἐγχέλεις θηρᾶν *Anguillas venari*, possent.

452. Negatum id quoq; est, neq; aliud, Principibus quibusdam apud Cæsarem intercedentibus, impetratum, quàm ut *ab utraq; parte* (id quod Chytræus in hist. pag. 231 scribit) *æquali, & exiguo numero, certæ quædam personæ, pacis ac concordiæ amantes, ordinentur, qui de controversis articulis in charitate, lenitate, & mansuetudine invicem agerent.* Die 16 Aug. Septenis vtrinque delectis, annuente tandem Cæsare, Colloquium institutum in quo, (uti ex Epistola Melanthonis ad Lutherum 22. Aug. datâ patet) Henrico Brunsvicensi, Augustano Episcopo Christophoro à Stadion, alijsque arbitris, in quintum diem protracto, Melanthon Catholicorum argumentis ad incitas adactus, pleraque retractando, partum suum, *Confessionem* inquam, *Augustanam*, ipse primus jugulavit.

453. Audiatur hâc super re Vigandus. *Testantur* inquit ille pag. 26. *Historiæ, Philippum hîc imbecillitate quadam, nimium cessisse ac largitum esse, de Iurisdictione Episcoporum, de Ceremonijs, & de Pœnitentia. Nam, ut Acta testantur, concessit tres esse partes Pœnitentiæ &c: Item concessum est* (& forte ab omnibus illis Confessionistarum VII-viris) *non dicendum, nos sola fide Iustificari, sed fide nos justificari. &c.* Sed & ipsius Melanchthonis Epistolæ pag. 23. 26. abundè id loquuntur.

454. Accedit, quod Aug. Conf (ut bene probat *Thomas Henrici in Anatom.*) Carolo V. exhibita, non sit Confessionistis reddita, sed in Archivis Imperij servata; latina quidem Bruxellis, Germanica vero Moguntiæ; atque ita, dum in cunis adhuc vagiret, quodamodo sepulta. Quo etiam facit, *quod* (ut scribit Vigandus in hist. pag. 36.) *cum Anno 1551. ad visitandum Concilium Tri-*

um Tridentinum, mandatis Cæsaris urgerentur Protestantes, & Cæsar non posset mentionem Confessionis Aug. tolerare, nova Confessio adornata est, quæ postea Confessionis Saxonicarum Ecclesiarum titulum præ se tulit.

456. Denique *Anno* 1561. *Naumburgi, & Anno* 1569. *Aldenburgi* (ut idem pag. 37. & 42. testatur) inter Principes, & Ordines, ac Prædicantes Protestantium, de vero & Originali Conf. Aug. exemplari, multa & planè inextricabilis fiebat inquisitio: quod fieri necesse non erat, nisi Protestantes, qui à viâ & doctrinâ Patrum recesserant, cogerentur vel inviti, quod vulgò dicitur, *Teucrum Pacuvij ediscere* Atque hæc quoque contra Calovium *pag.* 60. *& seqq. Thomæ Henrici argumenta nequidquam declinantem*, plurimùm faciunt, præsertim cùm etiam deinceps, circa Annum 1577. quo *Aug. Confessio, unà cum Formula Concordiæ*, de Principum Ordinumque Protestantium consilio, recudenda fuit, Moguntiam ad ipsum Imperij Archivum ijs appellandum, & inde γνήσιον exemplar mendicandum fuit; ut ipsi *in Præfat. lib. Concord. apud Calovium pag.* 82. fatentur. Quo loco illud velim Prædicantes expendant; Si ad id tempus Genuinam Conf. Aug. habebant, quid necesse fuit ad Archivum Imp. appellare? Si non habebant, quid aliud, quam quod sibi suisque imponerent, agebant? Quid verò, *quod* (quemadmodum in causis Conversionis Marchionis Badensis Joannes Pistorius scribit) *germanica editio Conf. Aug. usque ad annum* 1580. *nunquam invariata fuerit edita*? Nam quod Calovius pag. 93. contra Pistorium assurgere velit, γυζγαθον φυσαν *gyrgathum spirare* videtur. Recolat, *quæ pag.* 204. *de Vindicatione & Confirmatione Aug. Conf. per Formulam Concordiæ* factâ, vel quæ *pag.* 172. *de Philippi* μικροψυχία, ὑποκρίσει, καὶ διψυχία affert, & desinet *contra stimulum calcitrare*.

457. Quod si virum constantem retractare sua, aut

ſuis implicari contradictionibus piget, jam id ego, gratiæ Calovij dabo, ne ad eas à me incitas redigi neceſſe habeat, dumodò & ille invidiam ab ſe in maiores ſuos amoliendo, fateatur tandem, mutationem, variationem, & miram illam Aug. Conf. Transformationem, tum alijs plerisque, tum Luthero ipſo ſatis conſcio, ac fortaſſe etiam volente, (quod pag. 185. & ſeq. nequidquam inficiatur) factam eſſe. Scio modernos apud Wittembergam magiſtros, pari id contentione inficiari, uti refert Joan. Ganß in Augenwehe; ſed plus mereri debent fidei, veteres, & Lutheri temporibus viciniores, adeoque non pauci Luthero συγχρονοι apud Wittembergam Doctores, qui, eodem cap. 2. & 4. referente, in Colloquio Altemburgen. mutationem illam, tum alijs, tum ſaltem Luthero conſcio factam ita evincunt.

458 *Vt demus, à Philippo Conf. Aug. inſcio atque invito Luthero, prima vice emendatam & typis fuiſſe mandatam (quod tamen, minimè concedimus) quid dicemus, quod eadem correctio editioque toties repetita? Ergo Lutherus interim, dum res tanti momenti aguntur, in Eccleſia officioque ſuo dormitabat? aut de eo propoſito nihil ſciebat, ſcirevè poterat? aut quo tandem argumento oſtenditur, id ei minus placitum fuiſſe? Itane Lutherus in ſenectute ſua remiſſus ac negligens fuit, ut rem tantam nihil ad ſe pertinere voluerit? Itane authoritate ſua exciderat, ut vel edita jam exemplaria ſupprimere, vel edenda impedire non poſſet? eo præſertim tempore, quo plerique Principes adhuc ſuperſtites erant, qui Aug. Conf. primi ſubſcripſerant, & Luthero haud gravate auxiliares manus ferre poterant? &c.*

459. Atque *hîc Rhodus, hîc ſaltus*, Calovio erat, ſi, quemadmodum pag. 183. præ ſe fert, Lutherum ſuâ illâ πληροφορίᾳ ornare, vel eximere eâ culpâ homini animus erat: hæc, inquam, expendenda refellendaque erant; & non tanto ſudandum opere, *Bullatis ut ſibi nugis Pa*

gis Pa

gis Pagina turgescat. Sed neque illud erat negligendum, quod iidem Saxonici dicto colloquio subiungunt. *Qui enim veri simile esse potest, Luthero, integros decem annos etiam tum superstite, remque Ecclesiæ, pari animi corporisq. contentione, accurrante, hominem repertum non fuisse, qui D. Philippum, sicubi à veritate deflexisset, aut fidem suam desiderari passus esset, arguere vel commonefacere ausus fuerit?*

460. Deniq; & illud sicco pede prætereundem Calovio non fuit, quod ibidem, de Luthero Variatam Confessionem epistolâ suâ probante, adijcitur. *Certò enim constat, etiam Lutherum, in suis ad Ioannem Fridericum Electorem Saxoniæ, super Ratisbonensi colloquio datis, meminisse, & quidem honorifice, eius Confessionis quæ id temporis in disputatione & colloquio, non utique alia quam Recognita, seu Variata, adversarijs nostris Papistis, omnium Protestantium nomine opposita fuit, uti hoc ipsum septimus Tomus operum Ienensium Lutheri testatur.*

461. Ad eum prorsus modum cap. 8 Vilhelmus Hassiæ Landgravius, apud Hutterum pag 142. testatur, *Mutatam Conf. Aug. in colloquiis publico nomine Imperij habitis, propositam & usurpatam, imò à Principibus Anno 1561. Naumburgi, appensis sigillis, non minus quàm priorem confirmatam, & Imp. Ferdinando Francofurti propositam oblatamque fuisse. Quin primam illam patrocinari Papisticæ & Idololatricæ transsubstantioni.* Hæc, & plura alia, quæ in Augenweh / haud sine amento, intenduntur, repellanda Calovio erant: at ille, cùm rem ageret, videtur magis ad aureos montes (quos apud Regiomontum, nescio quo merito, certè ausu immani postulabat, & apud Gedanum; designatus Gymnasij Rector, expectat) quàm ad hostium tela respexisse.

PROPOSITIO. VI.

Damnationem Confessionis Augustanæ à suis factam,

ctam; Melanthon, ac Lutherus, frustrà dolis, ac mendacio tegere laborant.

462. LVtherus suæ, suorumque causæ diffisus, datis ad Melancthonem, & ad Spalatinum literis, quæ etiam apud Chytræum pag 271. habentur, *Colloquium, tractatumque de Concordia Doctrinæ*, penitus dissuadebat. Sed cum, ut est apud Comicum, *reperire rimam nullam* posset; more suo, *fæcundum concussit pectus*, & præsentes sæpius corrigendi, hoc est per dolos, ac mendacia, (in antecessum meditato concepta) elabendi, suis viam monstrabat. Sic enim ad Melancthonem die 30 Aug ex Eremo sua scribit, uti citant Juris consulti Dilingani, in Compositione Pacis quæst: 12 n. 12. *Quanquam nolim contingere; tamen sic loquor, si quædam contingerent non esse desperandum. Nam si vim evaserimus, pace obtenta, dolos, mendacia, ac lapsus nostros facile emendabimus, quando regnat super nos misericordia eius &c.* Similia fere ad Spalatinum scribit *apud Chytræum* hist. pag. 296 & Vlembergium *Vita Melant. c. 6 p* 64.

463. Quod consilium Melancthon (semper enim iste ad Lutherum ȣ̓ παῖς ἀχιλλέως, ἀλλ' ἀχιλλεύς αὐτὸς ἦ, *Non tam filius Achillis, quàm Achilles ipsius erat*, initio præsertim scenæ illius (nam deinceps mutavit) jam ante domi suæ natum, die 22. Aug. ad Lutherum scribens, opere ipso executum se dicit pag. 22. *non repugnavi* (videlicet Eccio, contendenti, hominem non sola fide justificari) *sed ille stultus, non intelligit vocabulum Gratia &c.* Ita sibi egregè blanditur, quod oculatissimo quoq; Eccio verba sibi visus sit dedisse! *Sed frustrà ponitur rete ante oculos pennatorum*: neq; enim aut Eccius aut Cæsar cum Catholicis falli potuerunt, qui, ut jam videbimus, nullis fraudibus, quò minus *Græcam illam Confessionisticæ Helenæ fidem* damnarent, capi potuerunt, ut jam patebit.

PRO-

PROPOSITIO. VII.

Cæsar, & omnes S. R. I. status, publico Imperij totius edicto Confessionem Augustanam & Confessionistas condemnarunt.

464 SEmper quidem Prædicantes *artem pelasgam* ore manuque promptam habent, sed hoc loco videntur se ipsos quoque vicisse mentiendo. Quid enim apud istos pro Sacris prophanisque rostris, protritum magis, quàm Augustanam Confessionem Cæsaris Caroli & Comitiorum Imperialium Sententiâ probatam, vel minimùm, toleratam esse? Atqui meridiano etiam sole clarius est, vix ullo istos loco, tristiore Sententiâ damnatos esse. Nunquid extat Recessus Comitiorum Anni 1530 *ab Alberto Archiepiscopo Moguntino, Ioachimo Electore Brandenburgico, Georgio Duce Saxoniæ, Henrico Duce Brunsuicensi, & Salisburgensi, Argentinensi, Spirensique Episcopis*, ut author est Chytræus pag. 325. *conceptis verbis scriptus!*

465. Nunquid istius Recessûs ac Decreti vim & metum Elector Saxo, alijque Protestantum Principes, ita persenserunt, ut, quod Chytræus pag. 396. & pag. 293. memorat, prius quàm Augustæ promulgaretur, vasa conclamarent, & se Augustâ properent? Nunquid Recessûs atque edicti illius, apud Chytræum pag. 395. & seq. manifesta extant vestigia? nunquid denique Lutherus illo Recessus atque edicti fulmine sideratus, atque in rabiem actus, gemino scripto, *tanquam ictus lapide canis*, visus est πυῤῥίχην βλέπειν?

466. Audi, quid scribat ille in suâ, super Comitijs Augustanis, ad Germanos suos Admonitione Anno 1531 editâ, & apud Chytræum pag. 505. citatâ! *O Comitia Imperij abominanda, qualia nunquam habita, vel audita fue-*

dita fuerunt, nec in posterùm audientur, propter acta eorum nefanda &c. Quis hominum sub cœlo, in posterum nos Germanos timebit, vel quidpiam egregium de nobis opinabitur, quando audiet, quód à maledicto Papa, Laruis eius, ita illudi nobis, atque ad stultitiam, & infantiam adigi, imò truncos ac stipites effici nos patimur! Et in alio libro contra *Putatitium*, ut ait, *Cæsaris edictum*, apud eundem Chytræum pag 586. *Bene*, inquit, *est! hîc habemus supremum huius Edicti authorem, Spiritum Papæ, patrem omnis mendacij &c. Nihil itaque boni, in toto Edicto, ab istis Diaboli ministris & hominibus mendacibus statui potuisse, facile colligitur.*

467. Denique si adversarij hoc loco credere alijs nolint, credant suis; credant ijs, qui Comitijs Aug interfuerunt; credant ipsi, qui & Confessionis architectus, & absente Luthero Evangelij reique Prædicanticæ cardo videbatur, Philippo. Exstant Philippi Epistolæ Anno 1565 Vittemb. editæ à Casp Peucero. Non paucæ inter eas, quæ ex illis Comitijs ad Lutherum summa fiducia scriptæ. Estne in omnibus verbum de approbata Confessione? An non ubique metus, lachrimæ, & desperatio? Circa Jd. Iulij pag. 10. ita Luthero scribit. *Adhuc is status fuit nostrarum rerum, ut magnam partem temporis in lachrimis hic consumpserimus.*

408. Circa 20 *Aug.* ita literas ad Lutherum orditur pag 21. *Versamur hic in miserrimis curis, & plane perpetuis lacrymis &c.* Postridie Bartholomæi ita ad eundem Lutherum pag. 24. *Non potest dici, quos agant triumphos hîc adversarij. Si meo nomine, non Principis, versarer in his negotijs, nullo modo ferrem hanc superbiam.* Neque solus in ijs angustijs erat Philippus. Nam & de suis eodem loco ita subdit *Voluntates nostrorum, mirabiliter aut imbecillæ sunt, aut parum in loco fortes.* At vero 4. Sept scribit suos, (metu utique & desperatione adactos) ad castra adversariorum, id est, qui apud *Helvetios* dominabantur,

Sacra-

Sacramentarios, transitum meditari, ut, vel ea causâ, Pax cum Catholicis sancienda videretur. *Nostri Socij*, inquit, *plane videntur* ἐλεετίζειν: *hoc magis puto nobis pacem faciendam &c.*

PROPOSITIO. VIII.

Articuli à Catholicâ Fide discrepantes, etiam qui Augustanâ Confessione expressè positi non sunt, omnes Imperiali edicto damnati sunt.

469. Constat enim *Edictum Augustanum Anni* 1530. *conforme esse Vormatiensi*, ab eodem Carolo V. & omnibus Imperij Ordinibus, Anno 1521. in Lutherum lato: atqui in edicto Vormatiæ lato, omnes Lutheri hæreses, á Leone X. Pontifice jam ante damnatæ, damnantur: Ergo & in hoc errores, etiam qui in Augustanâ Confessione expressè positi non sunt, damnantur.

470. Qua de re consuli potest ipsum decretum, *tomo* 2. *operum Lutheri Vittemb.* Vbi inter alia *pag.* 449. Cæsar ita pronunciat. *Præterea mandamus vobis omnibus, & unicuique privatim, sub ante scriptis pœnis; ne quisquam sæpe nominati Martini Lutheri libros, à Sancto Patre nostro Papa damnatos, eiusdemque alia scripta, quæ seu Vernaculâ seu Latina Lingua componit hactenùs, tanquam impia, fæda, suspecta, diluta, & à notorio, pertinacique hæretico, edita amplius emere, vendere, servare, describere, imprimere, describi vel imprimi facere, nec ipsius opinioni suffragari, adhærere, aut prædicare, defendere, asserere ullis modis præsumat.*

471. Accedit, quod Cæsar pro suâ ordinumque Imperij authoritate, ipso Comitiorum tempore, *per Fridericum Comitem Palatinum, & quosdam Comites*, ut testatur Chytræus pag. 122. *Ex Ioanne Electore Saxoniæ, & coniunctis Principibus quæri jusserit, An acquiescere articulis antea*

antea exhibitis, *an verò plures articulos proponere velint?* Cui Quæstioni, Confessionistæ reposuerunt; *omnes articulos propositos*, & *non nisi abusus quosdam preteritos*, uti, præter Chytræum, ipsius quoque Augustanæ Confessionis Epilogus in hæc verba testatur *Hi sunt præcipui articuli, qui videntur habere controversiam. Quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus.*

472. Hinc bene infert *Thomas Henrici in Anatomia* (teste etiam Calovio tom. 1. pag 61.) *Lutheranos defecisse ab Aug Conf. ita ut nullus fuerit, neque adhuc sit verus Confessionista*: ac proinde non magis in S. R. I. tolerandos videri, quàm Calvinistas 1. *quia transactio Passavien. de qua prop.* 15 *tantū Aug. Conf. concernit.* 2. *Quia Calviniani ab ea excluduntur saltem ideo, quod ea dogmata foveant quæ non sunt in Aug. Conf.* 3. *Quia Liber Concordiæ protestatur, Lutheranos non amplecti ulla nova dogmata præter primam Aug. Conf.* 4. *Quia nulla alia de causa reijcitur Confessio Variata, quàm quod alia, præter Originalem Conf. proponat dogmata.* Quæ rationum momenta tam firma sunt, ut ea convellere Calovius l. c. vix quidem ausus sit. Vnde ijs fere præteritis, tantum probat, licuisse & licere Lutheranis nova extra Conf. Aug. Dogmata profiteri. Quod cum unicè Calviniani, præsertim in Prussia laborent, ut Disq. 24 &c. videre est, ingentes Calovio gratias habebunt. Ille interim videat, quid prop. seq. Principes Aug. Conf. Cæsari promiserint, &, si quam frontem habet, erubescat.

PROPOSITIO IX.

Articuli à Catholicâ fide discrepantes, quotquot in Augustanâ Confessione expresse positi sunt, ad tempus (*videlicet ad futuri concilij definitionem*) permissi fuerunt,

fuerunt, cæteri verò omnes damnati, & nunquam in Imperio Romano ullo jure tolerati.

473 QVidquid libertatis, in causa Religionis, Protestantes ab initio habuerunt, aut habere (usque ad Compositionem Pacis Anno 1555. factam, de qua prop: 15) jure potuerunt, non nisi vi, & vigore permissæ, & ad tempus toleratæ Augustanæ Confessionis habuerunt: Ergò qui Articuli in Confessione Augustanâ non sunt, damnati sunt, & fuerunt; neque unquam potuerunt, aut debuerunt, jure tolerari Quod vel ex ipsorum Confessionistarum, qui Cæsari, & omnibus Imperij Ordinibus, nihil se in causa religionis deinceps mutaturos, aut novatutos spoponderunt, confessione patebit. Sic enim suo, Principumque suorum nomine apud Chytræum pag 283. loquuntur.

474. *Pollicentur ijdem nostri Clementissimi Domini, & ipsorum Socij, Deo iuuante, intra metas exhibitæ Confessionis Suæ, sine vlla mutatione noua, ita se gesturos, vt & Deo omnipotenti, & Cæsareæ Maiestati, omnium Consiliorum suorum, & actionum rationem subiectissime reddere possint.*

475, Quid, quod (Vigando pag. 29. testante) Cæsar Saxonem ab hæresi, nequidquam publicis cohortationibus revocatum, privato tandem Recessu, cùm 22. Septemb. Augustâ pararet abitum, adstringit, *ne ad 15. usque Aprilis, quidquam innovaret, aut quenquam cogeret &c*? Quid, quòd insuper 29. *Novemb.* ut idem pag 32. testatur, *Generalis Recessus contra omnes Protestantes & Confessionistas promulgatus*? Quem contra, etsi Lutherus caninam suam eloquentiam atque calamum stringeret, quid aliud promovit, quàm solent canes, qui lapidem, quo icti sunt, per rabiem admordent?

PROPOSITIO. X.

Arti-

Articulos in Confessione Augustanâ non expressos, neque Sacræ Scripturę authoritate, neque vi ac vigore bonæ conscientiæ, docere, ac defendere Prædicantes in S. I. R. possunt, aut debent.

476. HÆc nimirum, Cretensibus istis, duo solent κρησφύγετα esse, cùm præter alios *fidiculæ impietatisque suæ* articulos, blasphemè juxta, ac impudentissimè adstruunt. v. g. *Papam esse Antichristum, Sanctos non esse invocandos, Purgatorium nullum esse, Sacramenta non nisi duo esse &c.* Aiunt enim (id quod etiam Calovius l. c. pag. 62. & seq nequidquam agit) *Sociis Aug. Conf. licere è Scriptura S. proponere dogmata, etiam quæ diserte non continentur in Aug. Conf.*

477. Sed isti, non modò cum Luthero suo *Luterem*, verùm & cum pseudo historico Chytræo χύτρας ποικίλας, *& ollas*, ut dicitur, *exornant*. Esto enim dicti, atque illiusmodi articuli alij, Scripturæ utcumque consonarent (quod ipsum Novatores non ante exhibebunt, quàm *locusta*, ut Varro ait, *lucam pariat*) quia tamen neque in Augustanâ Confessione proprositi sunt, neque in Ecclesiâ, *ante nepotulos prætextatos istos*, unquam auditi, non modò non permissi, sed palam etiam damnati sunt. Quantò igitur minus subsisterent, si, non nisi per bonam Consequentiam, ex alijs Augustanæ Confessionis articulis deducerentur?

478. Quid verò illud est, quòd supra totius orthodoxæ antiquitatis judicia, ac decreta, etiam Comitiorum Augustanorum, ut vidimus, fulmine in ipso sui ortu icti, prostatique sunt. Si alias, ex Jureconsultorum placito, *ad probationem disceptationemque causæ admittendi non sunt, quibus obstat exceptio rei judicatæ*; isti, ut contra publicas, & receptas Imperij leges disputent, admittendi erunt?

di erunt? At ſcripturas pro ſe ſtare vociferantur. Illi nimirum qui neq; Scripturas ullas, neq; γνήσιον Scripturarum ſenſum (niſi ab Eccleſiâ Catholica) habent, ante de Scriptura pronunciabunt, quam eius vim, geniumq; cognoverint! Fortè Scripturam, pro *Regula Lesbia*, aut judices ἐλιτομάμμας, hoc eſt ſui perſimiles, atque, ut apud Suidam eſt, pro *Coſæ conſilio* ſedentes, reputant!

PROPOSITIO XI.

Articuli Confeſſionis Auguſtanæ, & Confeſſioniſtarum heterodoxi, neque Apologiâ Philippi dilui, neque Conventu Smalcaldico confirmari potuerunt.

479. QVid enim unquam privatorum, & quidem reorum, imò & damnatorum ſcripta, voces, conventicula, molitiones, apologiæ, & id genus ſexcenta, contra legitimi magiſtratus aut Judicis ſententiam, contra *miſſam à Prætore mappam*, contra plagam omninò decretoriam? Quid, quòd ipſa Philippi, Sociorumque Apologia, cum Auguſtæ, Confutationi Auguſtanæ Confeſſionis à Catholicis Scriptæ, ac publicè Confeſſioniſtis prælectæ opponeretur, neque audita, neque lecta, neque ullo pacta admiſſa, ſed prorſus *ut abortivum, quod proijcitur de vulva matris ſuæ* Num. 12 12. rèiecta ſit? & *ſicut abortivum abſconditum non ſubſtiterit*, Job 3. 16? Veriſſimè, enim Apologia illa ὥσπερ ἔκτρωμα ἐκπορευόμενον ἐκ μήτρας μητρός, ἢ ὥσπερ νήπιοι, οἳ οὐκ εἶδον φῶς, *Sicut abortivum exiens de matrice matris, aut ſicut infantes, qui non viderunt lucem* ibid. Niſi enim Chytræus Anno 1578, abſconditum illud, atque integros quadraginta annos ſepultum ἔκ-

τρωμα;

τρωμα, protulisset in lucem, ne quidem vestigium primæ illius Apologiæ relictum, relinquumque fuisset.

480. Quanquam benè habet, quòd & illa à Chytræo in lucem prpducta sit; inde enim alterius Apologiæ, (à Philippo solo deinceps scriptæ, ac post Augustana Comitia editæ, quæque vulgò intelligitur, cum Apologiæ Conf. Aug. mentio fieri solet) imò & ipsius *Libri Concordiæ*, omniumque *Concordiæ Architectorum* fraudes, mendacia, & antilogiæ, quæ *in Compositione Pacis*, Dilingani cap. 2. q. 13. n. 38. & seqq. adnotarunt, liquidò patescunt.

481. Illud interim prætereundum hoc loco non est, in ipsis Comitijs Aug. Anno 1530 simul atque Protestantum Confessio Cæsari exhibita fuit, ab Eccio, alijsque Theologis confutatam fuisse; quæ tamen Confutatio edita in lucem non fuit, sed cum Aug. Conf. in Archivum Imperij servata; quoad tandem Anno 1573. Andreas Fabritius Leodius ex Archivo erutam publicavit in sua Harmonia. Qua publicatione, inconstantia atque incredibilis Confessionis Aug. Varietas, & harmonia ἀνάρμοςος, vel, ut Hospinianus Calvinista nuncupat, *Concordia Discors* ita patuit, ut ubique de prima ac primigenia Aug. Conf. inquisitio fieret; & tandem ex Archivo Imp. exemplar peteretur, ad quod reliqua refingerentur. Denique & in Prussia Vigandus, Fabritij conatu perculsus, novam editionem, & contra eundem Fabritium historiam Conf. Aug. Anno 1574 maturaret.

482. Neque maior Authoritas conventus & Articulorum Smalcaldicorum; nisi fortè à vi, & molitionibus in apertam rebellionem desinentibus, ipsi Imperatoris, Imperijque Romani, ac totius Reipublicæ Christianæ perduelles, authoritatem, & Jus novum sibi præsumant arrogare. Accipe statum causæ prop. seq. & non modò jus præsumptum, sed conatus Protestantum, justo cum horrore detestabere.

PROPOSITIO. XII.

Ob iniquissimum fœdus Protestantum, & impendentem Romano Imperio à Turcâ ruinam, damnatos cum Augustanâ Confessione articulos, permittere coactus est Cæsar.

482. DOgmati, publicis privatisque Imperij, Imperatorisque judicijs Protestantes, Vnicâ Provocationis viâ consulendum sibi censuerunt. Appellarunt igitur ad Concilium Generale, primo quoque tempore curandum ac cogendum. Indicitur in Annum 1536. à Paulo III. Pont. Max. apud urbem Mantuam Concilium; quod deinceps varijs, justisque de causis Vincentiam primum, ac dein Tridentum fuit translatum. Protestantes qui & Principum, nobiliumque virorum, & magno urbium, populorumque accessu (quidni enim serperet, tot tantarumque provinciarum incendium, cum Lutherus, quasi Æolus quidam, Fraterculos suos, qui coriaceum Hippotadæ carcerem, naturâ quidem suâ flaccentem, partim numero, partim Spirituum ingentium flatibus distenderant, quaquaversùm emitteret, ut flammam liberè grassantem, per omnium Ordinum, studiorumque municipes, ac mancipes, alerent, auctioremque in dies facerent?) ad rebellionem spectabant

483. Et ecce satagentibus, ac propè navigaturis, ἐνδόσιμον! Solimanus Turcarum Imperator Orientem victorijs pervagatus, ut Occidentis Imperium tentaret, ipsis Christianorum, in Religionis causa, discordijs invitabatur. Supra quingenta hominum millia, *Si Surio ad annum* 1532 *credimus*, ad excidium Germaniæ, vastitatemque Christianorum ductabat

484 Protestantes, *ut testis est Sleidanus ipse ad annum*

num 1531. de Rebellione, sua Theologorumque suorum consilia agitant, & Norimbergæ, *ut idem lib* 8. *ad annum* 1532. scribit, *Conventum alterum indicunt ad tertium Iunij diem Ibi tandem, licet summa rei* (in causa scilicet Religionis) *conciliari non posset, tamen quod irruente in Austriam Turca necesse erat omnes undequaque vires contrahere, Cæsar pacem publicam totius Germaniæ sancit, & ne Religionis causa cuiquam ulla molestia creetur, edicit usque ad Concilij tempus: aut, si nullum fiat tantisper, donec per Ordines Imperij, alia fuerit inventa ratio dissidium hoc sanandi.*

485. En quo isti pacto *turbida aqua piscari*, ac summo Magistratui vim inferre edocti sunt! Sed & hic verum fuit ἁλιεὺς πληγείς, *piscator ictus*; *uti seq. prop.* patebit. Interim quanquam Augustana Confessio permissa sit, nunquam tamen probata est. Duo enim sunt, quæ in Maximiliani I. & Caroli V. Imperatorum Edictis contra Sectarios, continentur: videlicet, *Damnatio seu Improbatio doctrinæ*; *& Pœna seu proscriptio*. Primum illud retractari ab Imperatoribus non potuit, quia est Iuris Canonici, & ad Summi Pontificis Tribunal (quod ipsi quoque Imperatores, præsertim Carolus V. *in instructione Anni* 1554. pro futuris comitijs data, *apud Dilinganos q.* 67. *n.* 25. fatentur) pertinet: Alterum, quoad Augustanam Confessionem, habitâ certorum locorum ac personarum ratione, abolitum fuit, quia ab Jmperatoribus aboleri potuit.

PROPOSITIO. XIII.

Bello Smalcaldico, Confessio Augustana, una cum suis Articulis omnibus, non jam humano duntaxat, sed Divino quoq; Judicio damnata fuit.

Prote-

486. PRoteſtantes cùm alibi, tùm potiſſimum Smalcaldiæ (quæ civitas eſt in finibus Thuringiæ ſita) fœdere icto, & Concilio Generali, ad quod damnati, (*etiam Sleidano teſte lib. 8. ad annum* 1531.) provocarant, primum per Scriptos à Luthero anno 1538. Smalcaldicos Articulos, contempto Sycophanticeque reiecto, nil aliud quàm bellum integro decennio moliebantur. Nam & Lutherus, qui (ſi Sleidano ad annum 1531. credimus) *Semper docuerat, non eſſe magiſtratui reſiſtendum*; à ſuis Jureconſultis oppoſitum edoctus, eodem Sleidano teſte, primum *ingenue profeſſus eſt, ſe neſciuiſſe id licere*; ſi tamen id tantum Doctorem, ac propheten latere potuit) tùm deinde veluti legitimus κελευσὴς, carmen nauticum planeque ἐνδόσιμον præcinere ſuis remigibus occæpit, ut minimè dubius vates, prædiceret, *Victoriam pro veritate ſtaturam*, quemadmodum ex illa ad Germanos ſuos admonitione colligunt *Dilingani cap. 3. q. 17. n. 15.*

487. Coacto igitur octuaginta millium peditum, ac circiter quindecim millium equitum exercitu (*quod, præter Surium, etiam* N*atalis Comes lib.* 1. *ad an.* 1546. *notavit*) bellum Cæſari per epiſtolam, teli amento alligatam, perque adoleſcentem cum tubicine miſſum, indicunt Proteſtantes, neque ſegnius indictum promovent.

488. *Stetit à Veritate victoria*, vt Lutherus vaticinatus erat. Nam Cæſar (quantumvis & apparatu belli, & copijs dimidiâ parte minoribus) hoſtes, qui ante minabantur, ſe Cæſarem brevi Germaniâ exacturos, quater caſtris excedere ac fugere coegit; tum Saxonem, tribus trans Albim milliaribus, conſecutus, deleto exercitu vivum cepit, ductumque Vittembergam (ut quo loco hæreſis orta erat, divinitus plecteretur) capitis damnavit. Sed, deprecante Electore Brandenburgico, vitâ donatum, Electoratu æternùm exuit. Haſſum verò ad

deditionem adactum, supplicem ijs conditionibus admisit, quæ & victorem, & Carolum, hoc est Christianam lenitatem, decerent. Vide Sleidanum *lib.* 19. *ad annum* 1541. Ita damnatis non jam censoriâ, sed *martiâ* planeque *ferreâ virgulâ* Protestantibus, Confessio quoque Augustana divinitùs fuit damnata.

PROPOSITIO. XIV.

Libello INTERIM, siue Religione Interimisticâ, neq; Confessionem Augustanam, neq; Articulos &c. olim damnatos, Cæsar, aut Imperij Ordines approbarunt.

489. POterat Carolus Victor à bello Smalcaldico, jure, ac vi ad Catholicam fidem etiam invitos reducere; sed quia ad Concilium Generale (quod quidem Tridentum iteratò revocatum, ob varias belli pestisque clades, & potissimum ob Protestantum pervicaciam lentius procedebat) jam ante causam remiserat, ne, si promissis non stetisset, Sectarij calumniandi, atque insaniendi maiorem ansam sumerent; ad Concilij definitionem, libellum titulo INTERIM conscriptum, & authoritate Comitiorum Augustanorum Anni 1548 probatum, Protestantibus tradit: ut scilicet INTERIM, quoad causa Religionis, à Concilio Tridentino statueretur, ad eius libelli normam, Imperij status viverent, quemadmodum ex Decreto dictorum Comitiorum patet.

490. Etsi verò dicto libello, tum Communio sub utraque specie, tum Coniugium Sacerdotum, in gratiam Protestantum, à Cæsare Interim permitteretur, cæteri tamen omnes articuli Catholici, contra Augustanam Confessionem, & Protestantes, ita asserti sunt, ut, (quan-

(quanquam libellus ille quibusdam locis receptus non fuerit) plerisque tamen locis plurimi cum uxoribus, & liberis Prædicantes exacti fuerint; & Catholica Religio in integrum restituta.

491. Atque *hinc illæ* Flaccij & Flaccianorum *lacrymæ*! Cum isti Lutheranismum ac Lutheri placita rigide servari vellent, (ideo Rigidi Lutherani dicti) & Melanthon alijque, *Molles Lutherani, vel Melanthonici dicti*, pacis causa, librum Interim admitterent, acre bellum, & ἄσπονδος, Flaccium inter ac Melanchtonem, πόλεμος, vel potius, ut ipse Melanthon in Ep. ad Camerarium apud Vlemberg. pag. 337. vocat, κροτοθόρυβοι, seu *Plausibiles Flaccianorum tumultus*: quibus vulgò invidiam in Melancthonem accendebant, dum, (ut Flaccius apud Vlemb. pag. 341.) è quatuor Regulis libro Interim comprehensis concludunt, *Papatum, quantus quantus est receptum & comprobatum, ideoque Melancthonem & alios, apostatas factos, deserto Evangelio, ad Papistarum castra transfugisse.*

492. Hinc & Calovius noster (verum est enim illud Homericum de Hectore ab Achille interempto, *Mortuo leoni & lepores insultant.*) tomo I. Comment. cum multa de Philippi Apostasiâ à pag. 148 disputasset, tandem pag. 173. ex literis Philippi ad Christoph. Carolovitium scriptis, concludit, eum non modò *Librum Augustanum* σφυγγώδη, *vulgo Interim dictum, à Michaele Sidonio acerrimo Papistâ, Iulio Pflugio neutralistâ* (neutralitatem Episcopo Naumburgensi ac Viro catholicissimo inique hîc obiectam discere quivis potest ex Vlemberg. c. 15. pag. 203.) *& Ioanne Islebio Agricolâ concinnatum probasse, verum & ab ipso Papismo haud longe abfuisse.* Confirmat id ex literis Calvini ad Melanth. Anno 1551. datis.

PROPOSITIO XV.

Transactione Passaviensi, & secutâ deinceps, in Comitijs Augustanis Pacificatione Religionis Confessio Augustana, & articuli olim damnati, nunquam fuerunt approbati.

493. Mauritius, quem Carolus Imperator, in locum Joannis exauctorati, Saxoniæ Electoratu liberalissime donarat, pro Protestantica scilicet gratitudine beneficiorum memor, cum Rege Galliæ clam in Carolum conspirauit, adscitoq; in societatem belli Alberto Brandenburgico (quem ob clades, toto illo bello illatas meritó *Incendiarium Germaniæ* vocant) securum omni parte Cæsarem, & ab homine, quem tantis recentissimè beneficijs obruerat, nihil hostile metuentem, cum exercitu insperato propè obruit,

494. Cæsar cum Ferdinando Fratre ac Rege Oenipontè vix fugâ elapsus, ut Germaniæ, & sanguini Christiano parceret, præsertim cum ab exercitu interim minus esset instructus, per Ferdinandum Regem Passauij cum Mauritio de pace transegit, ijs potissimum conditionibus, ut *Protestantibus*, non quidem omnibus, sed Confessionistis duntaxat, *non obstante dissensione, & discessu eorum à fide Catholicâ, Pax & unio cum reliquis Imperij membris esset, quæ deinceps publicis Imperij Comitijs quamprimum stabiliretur*: Ea *Pacificatio in Causa Religionis*, cum Anno 1553 Vlmæ, ob turbatissimas Germaniæ res Comitia non possent cogi, Augustæ 1554 anno tentata, ac demum 1555 perfecta ita est, ut, *si per Concilium Generale dissidia Religionis non tollerentur, Pacificatio nihilominus semel constituta vim & robur obtineret.*

495. Quæ quidem Pacificatio, cum opus merè politicum esset, neq; Confessionem Augustanam, neque arti-

articulos cum eâ damnatos probavit; sed pacem duntaxat in Germaniâ, quamuis inter dissidentes in Causa Religionis Ordines, stabiliuit. Quod, quam verum sit, è *Theodoro Thummio*, non postremo inter Prædicantes Confessionistieos capite, *circa 4 præcept. de Pace Religionis Q 17. n* 11 patebit *decretum istud*, inquit ille, *de pace utriusq; Religionis seruanda, politicum est quandoquidem in eo nihil asseritur de veritate aut falsitate doctrinæ. sed reseruatur id cognoscendum in Concilio generali, aut nationali.* Idipsum quoq; patet, ex ipso Comitiorum super ea pacificatione Decreto, à Dilinganis in Appendice postremo loco recitato.

PROPOSITIO XVI.

Etiamsi Confessio Augustana, vel anno 1530, vel in dictâ Anni 1555 Pacificatione, probata fuisset, tamen dogma de Vbiquitate aliaque Pantachusianorum somnia nunquam probata sunt.

496. IAm Prop: 5. & 6. vidimus damnatam Confessionem Augustanam, imò & articulos omnes heterodoxos in eâ non expressos Cui igitur dubium esse potest de damnato una Pantachusiasmo? Sed ne Vbiquistæ ex vetere formulâ suâ agant, & λόγους ἀυτ' ἀλφίτων *Verbaque pro farinis*, inclament, compendio rem sic habe.

Ea duntaxat dogmata in S. I. R. permissa tolerandaq; sunt, quæ in Confessione Augustana, eaq; prima illa, ac primigenia Anni 1530. expresse continentur.

Vbiquistarum somnia in Confessione Augustana prima, ac primigenia expresse non continentur.

Ergo neque permissa, neque toleranda sunt.

497. *Maior propositio* ex supra dictis patet; patebitque insuper ex prop. seq. *Assumptio probatur.* Totâ Confessione Augustanâ de Vbiquitate nequidem γξυ. Nam & vox ipsa inaudita; & res voce significata prorsum ignota. Articulos Confessio Augustana habet universim 28. Quo tandem eorũ non tantum vox Vbiquitatis, sed res quoq; prodita? Facile patior, ut isti cum Tereo, *rostro juxta ac* gladio armati ubiq; suum πȣ̃ πȣ̃ inclament.

498. Ecce autem adversarios! ut dexterrimè *Volsellis pugnant!* Aiunt, *Dogma de omnipræsentia Carnis Christi, Tertio Confessionis Augustanæ articulo esse comprehensum.* Alij quoq; in quinto Symboli articulo, de *Ascensione ad Cœlos, & Sessione ad Dexteram Patris* contineri, aiunt. Sed isti ad Galeni mentem, *Pituitam à naribus, allio & sæpe detergunt.*

499. Nam, ut ea ne repetamus, quæ de Ascensione *Disq.* 15. & de Sessione *Disq.* 16. dicta sunt; Tertius Augustanæ Confessionis Articulus, Catholico sensu ac censu, *Augustæ* propositus, intellectus, probatusque est, ita ut non modò Carolus Imperator, omnesque Catholici (quod vel ipse Melancthon, *in sua ad Art. 3. Apologia* testatur) eum articulum tanquam orthodoxum approbarint, verùm & ipsi Zuingilani, qui eundem recipiunt, inanem *Lutheranorum* operam rideant; Vbiquitatis suæ fundamenta, quæ nusquam sunt, in eo articulo collocantium. Vide Admonitionem Neustadiensem Anno 1586. cap. 5. eiusdemque Defensionem contra Erfurt. Apol. Anno 1586.

500. Interim Joannes Cochlæus, qui omnibus Augustæ tractatibus adfuit, & omnes Confessionis articulos, ad Catholicæ fidei consensum, inter alios deputatos expendit, rem proloquatur. *Cum sint 28. Articuli Confessionis Augustanæ* (sic enim ille in 5 viâ præparat) *In eo tractatu Concordiæ; super sedecim articulis plenè, in multis verò alijs semiplenè, ut sic loquamur, concordatum est.*

Loquan-

Loquantur insuper omnes, uno quasi ore, Catholici, qui illo tempore ad Examen Confessionis, restituendamque Concordiam delecti erant; & loquantur ad eum plane modum, quo apud Chytræum pag 242. hist. inducuntur. *Prima pars Confessionis complectitur articulos 21. in quibus concordant nobiscum, in quindecim quidem per omnia, in alijs aliqua ex parte.*

501. Si in 21. vel minimùm in 15. articulis, Confessionistas inter Catholicosque, concordiâ stetit, *ubi tunc Vbiquitas fuit?* An Catholici id temporis, ante natos Vbiquistas Vbiquistæ? Id veró ne ipse quidem Georgius Cassander, quem Vbiquistæ, alijque sectarij maximum erga se *Mitionem* experti semper sunt, concesserit. Nam ad 3. art. Confessionis Augustanæ, Vbiquistarum somnia expendens, *Quæ sane sententia*, inquit, *hactenus in Ecclesia Christi inaudita fuit, omnibus tam veteribus Ecclesiasticis, quam recentioribus Scholasticis, uno ore profitentibus, Christum esse Vbique, secundum quod Deus est; in certo autem loco, & modo, in cœlo secundum quod Homo est, ut diffuse disputatur ab Augustino in Epistola ad Dardanum.*

502. Denique loquantur omnes Palatini Theologi qui à Joanne Principe evocati, unius Pantaleonis Candidi ore, contra machinationes Jac: Heilbronneri, apud Forerum Bell. Vbiquist. pag 65. ita respondent. *Hoc eodem libro* (Concordiæ vid.) *Pax Religionis perforatur & frangitur, cum de Vbiquitate, ne unicum quidem verbum, in Conf. Aug. quæ sola in S. Rom. Imperio secundum Papisticam fidem habetur permissa, inveniatur.*

PROPOSITIO XVII.

Vbiquistæ in Sacro Romano Imperio tolerari jure neque possunt, neque debent.

503. NOn alio telo, ex omnibus Imperij Romani

provincijs, Vbiquistæ exterminandi, quam quo ipsi Zuinglianos, Calvinistas aliosque *eiusdem furfuris* exterminatos volunt. Sic enim illi pugnare solent.

Illis duntaxat solis in S. R. Imperio locus est, quorum Confessio, in Comitijs Anni 1530. probata vel permissa est.
Calvinianorum Confessio neque probata neque permissa est:
Calvinianis igitur in S. R. Imperio locus nullus est.

Hanc pugnandi rationem servant, non ij duntaxat, qui in Germania Calvinianis ex adverso stant, verum & nostri in Prussia Vbiquetij. Nam universus Borussicorum Ministellorum Senatus, *in Responsione*, quam Confessioni Serenissimi Electoris, ac Ducis sui Anno 1617. oppositam, *Reverendum Ministerium Regiomontanum* germanicâ, latinâque linguâ edidit cap. 4. *Antiqua*, inquit, *Cantilena illa est, quam Calviniani multis retro annis in Imperio Romano & alibi cantilarunt, sed arte prorsus Pelasgâ, ut scilicet sese cum suo Calvinismo in Pacificationem Religionis S. R. Imperij insinuent &c.*

504. Qua verò de causa Calvinistæ à Pacificatione illa excluduntur? Quia Pacificatio inter solos Catholicos, & Confessionis Augustanæ Sociennos consistit. Quod quidem non modò JJ. CC. Dilingani quæst. 44 num. 123. & quæst. 51 ac 69. ex ipsis Comitiorum Actis & decreto, formulaque Pacificationis pluribus deducunt, verùm & ipsi Lutherani, & nostri imprimis *Everrendi* (Reverendos dicere animus nullo jure potuit) *Borussici PP.* sæpius inculcant. Vide Osiandrum *cent.* 15. *lib.* 2. *cap.* 14. Ægidium Hunnium *tomo* 5. *disp.* 5. *thesi* 8. Crânium *de Pace Relig. pag.* 1. *probl.* 13.

505. Sufficiat hic Kemnitium & Mindanum paucis audisse. Ille Epistolâ ad *Ioannem Georgium* Electorem Brandenburgicum Anno 1584 scripta: *A pace*, inquit, *publica Religionis, Sacramentarij, quam diu in sua iniqua opinione permanent, omni tempore excluduntur.* Hic verò *lib.* 1. *de Processu.* c. 28. de Constitutione Pacificatoriâ loquens,

quens, *comprehendit*, inquit, *constitutio expresse tantum eos, qui vel Catholicam Pontificiam vel Augustanam, Augustæ Cæsari ex Verbo Dei exhibitam Confessionem profitentur: cæteros excludit.*

506. Jam verò Patres nostri Borussici, dictâ Responsione suâ, ita in Calvinianos arietant, ut vel ipsum Serenissimum Electorem, Principem, Dominumque suum, publicæ illius pacis fœdere arceant. Cùm enim Calvinistas, Anno 1530 nomine quatuor Imperialium civitatum, videlicet Argentinæ, Memmingæ, Constantiæ, & Lindavij, separatam Cæsari Confessionem offerentes, à Cæsare & Imperij Ordinibus reiectos dixissent; consequenter *cap. 5. pag. c. 6* inferunt, ab ijsdem Calvinistis, Calvinianam in Prussia Confessionem nomine Serenissimi Electoris edentibus, *Suam Celsitudinem à Pacificatione Religionis in Romano Imperio inita, ipso facto eliminari, cùm ea* (Pacificatione) *non mutata, sed invariata Confessio Augustana comprehendatur.*

507. Accipio, si forte non satis in Principem suum civilem ac urbanam, ingenuam tamen Vbiquistarum Borussicorum Confessionem, adeoque arma in Calvinianos directa, in Vbiquistas paucis, ita retorqueo.

Illis duntaxat solis in S. R. I. locus est, quorum, Confessio Comitijs Anno 1530. *probata, vel permissa est.*

Sed Vbiquistarum Confessio neque probata, neque permissa est.

Vbiquistis proinde in S. R. Imperio locus nullus relictus est. *Maior Propositio* unicum, ac solum Confessionistarum, & omnium Lutheri posterorum, contra validissimam Calvini aciem, præsidium, & arx, uti vidimus, est. *Assumptio è prop* 16. sole meridiano clarior est.

508. Quid igitur superest, nisi ut Vbiquistis in S. R. Imperio vetus illud ubique occinatur, *Veteres migrate coloni*? Quod ut prompto, vel, ut minimùm, non prorsus ini-

ſus iniquo animo faciant, neque κόνιν ἀποψησάμενοι ἀγωνίζωνται, *puluereque extrito decertent*; non gravabor in eorum gratiam referre, quæ Principes, & ſtatus Imperij, ſub Auguſtanæ Confeſſionis umbrâ tuti, in Comitijs Auguſtanis Anni 1559. ſcripto ſuo propoſuerunt. *Illis, qui ſupradictis erroribus, & Sectis Anabaptiſtarum, & Sacramentariorum* (quid ni & Vbiquiſtarum, eadem cum cæteris cauſa a Pacificatione, uti vidimus, excluſorum?) *adhærent, ut deſiſtant, imperari debet. Inſuper ex Pace amoti, pœnis ſubijciendi ſunt, quæ hoc caſu S. R. Imperij legibus conſtitutæ ſunt, eæq; ſerio executioni mandandæ.* Quocirca, ut Venuſinus non invenuſtè hoc etiam loco accinat vates.

Habeant, licebit, alterum pedem Ladæ;
Ne fruſtra inepti crure ligneo currant.

PROPOSITIO. XVIII.

Non tantùm ipſi Vbiquiſtæ, ſed eorum quoque libri in S. R. I. nullo prorſus jure tolerantur.

509. INdignum mihi, atque in Sacram Cæſaream, uti & in Vniverſi Imperij Romani Maieſtatem, ſummè iniurium, & audax juxta ac temerarium facinus, necnon in nobiliſſimam Germanicam nationem ignominioſum ſemper viſum eſt, quòd ij, qui ad Francofurden., aliasque Imperalium civitatum nundinas, librorum venalium Catalogos imprimunt, principiò quidem Cæſareæ Maieſtatis inſignia, cum adiecta eiusdem *Cæſareæ Maieſtatis privilegij & gratiæ* Præfatione, præfigant.

510. Tum deinde, quòd Prædicantes, illa Sectarum, Sectariorumque καθάσματα, Theologorum nomine, *Mandrabuli prorſus in morem*, inſigniant. Ad hæc quòd

quòd eosdem illos, quibus, ne inter viros quidem bonos, si ea vera sint, quibus Movium in publicâ Regiomonti Disputatione primulùm, deindè verò etiam in scripto publico, cui titulus *Movius hæreticus*, Cælestinus Myslenta dignatus est) locus esset, Catholicis Theologis ordine iniquissimè præponant,

511. Accedit quòd non Catholicos, sed *Pontificios*, (quanquam & hoc gratum, ac gloriosum nomen Catholicis, quos à Spurijs Sectariorum partubus ritè discernit) contra omne non modò antiquitatis jus, verùm & contra Tribunal Cæsareum; ipsius, inquam, *Spirensis Cameræ usum*, & ritum (de quo Justus Springer Lutheranus de Pace Relig. cap. 14) appellitent. Sed ego hæc missa facio, vel temporis causâ; illud unum quæro, quo isti jure damnatissimos hæreticorum libros in Catholicissimi Imperatoris ditione, in præcipuis Sacri Imperij Romani urbibus, imprimere, habere, ac palàm retinere ausint? & quidem *Privilegio*, *Gratia*, *& auctoritate Cæsarea*, cum insignibus, ut dictum, iniquissimè præfixa?

512. Num isti ignorant publico S. R. Imperij jure, damnatis auctoribus, damnari una eorundem libros? Atqui sciunt non modo è *cap. Fraternitatis* 4. *de hæreticis*: aut è Socrate *lib.* 1. *cap.* 6. verùm & è Codice *de SS. Trinitate lib* 3. & Cod. Theod. *lib ult. de hæret*: à Constantino Magno, à Theodosio, & Valentiniano Imperatoribus; cùm Porphyrio & Arrio, utriusque libros; cum Nestorio, & Pelagio impijssimos eorumdem fætus unà damnatos. Neque ignorant, à Carolo V. *Vormatiæ Anno* 1521. cum Luthero, *& Anno* 1530. *Augustæ* cum Sacramentarijs, Lutheri, Sacramentariorumque opera esse proscripta.

513. Vnum ego in istorum, & Vbiquistarum nostrorum gratiam adiungo, quod tum ex Actis Confessionistarum, contra Fridericum Palatinum; tum è De-

creto

creto Maximiliani II. Cæsaris, in causa Episcopi Vormatiensis, contra eundem Palatinum sumo. Quid verò illud? Nimirum quòd Elector Palatinus ob introductum, intra R. Imperij fines Calvinismum, damnatus, expresso S. Cæsareæ Maiestatis decreto jubetur, *Etiam Catechismos, tractatus, & libros, in quibus Calvinianus error docetur, ac prædicatur, una cum dicto errori adhærentibus Prædicantibus, & Ludimagistris; penitus amandare, & in posterum typo non tradere.* Vide Dilinganos Compos. Pac.

514. Placetnè id decretum Lutheri asseclis Vbiquistis? & quid ni placeat, quibus, plus quam Vatinianum, in Calvinistas est odium? Placeat igitur id ipsum quoq; in se suosque pari jurê latum, quia & ipsi, non minus quam Calviniani, à Confessionis Augustanæ umbrâ exclusi. Quod etsi jam abundè probatum sit, seq quoque prop. non sine illa Lysandri ad Bæotios præfatione ὀρθοῖς τοῖς δόρασιν, ἢ κεκλιμένοις; *rectis, an inclinatis hastis?* probabitur.

PROPOSITIO. XIX.

Qui à primâ, hoc est, ab eâ quæ Carolo V. in Comitijs Augustanis, Anno 1530. exhibita fuit, Confessione Augustana recesserunt, tolerari in Sacro Romano Imperio non possunt.

515. PRæterquam enim, quod id tum ipsa Comitiorum illorum acta, & Pacificatoria Anni 1555. Constitutio, atque ante hanc, Transactio Passavica; tum Vbiquistarum aliorumque Lutheranorum, cusa unâ propè incude, in Calvinianos arma manifesto doceant; clarissima insuper sunt ipsorum hac in causa Vbiquistarum testimonia. Audi quid Patres Concordiæ in præfatione palàm edisserant. Post immotam Verbi Dei veritatem, *Solam primam illam Augustanam Confessionem,*

Impe-

Imperatori Carolo V. Anno 1530 *in celebribus illis Comitijs Augustanis exhibitam; solam, dicimus, nec ullam aliam amplecti nos velle luculenter testamur &c.* Quàm vero hæc *protestatio facto*, ut dicitur, *contraria sit.* prop. seq patebit.

516. Nunc audiendi etiam sunt nostri PP. Regiomontani, qui in *Responsione suprà citata*, hoc prope unicum, Calvinianis in Prussiam irrumpentibus opponunt quod ut cap. 4 dicitur, *Calvinicolæ, genuinæ atq; invariatæ Confessionis Augustanæ, eiusdemque Apologiæ Socij, de Iure nunquam fuerint, sint, aut futuri sint* Quod deinceps multis probant, ut inde, quemadmodum jure vellent, mortalibus omnibus γράφειν ἐν φρέσιν, *inscribere. insculpereque animis* possent, notorium esse, *Zuinglianos & Calvinianos*, ut ibidem subdunt, *genuinos Confessionis Augustanæ Socios non esse*, proindè æquè ex Sacro Romano Imperio, atque ex Prussiâ, Amplissimi Poloniarum Regni Provinciâ, eo magis eliminandos, quo illi magis, vulpinando, de Augustanâ Confessione gloriari volunt Neque aliud molitur Calovius qui tomo 1. tam multis de Variatione Conf. Aug disputat: non alio fine, nisi ut demonstrata verâ & genuinâ Conf. Aug demonstret una veros & genuinos eiusdem cultores, cæteris omnibus ab eius umbra, & ab omnibus Imp. Rom. provinciis longe exclusis.

PROPOSITIO. XX.

Vbiquistæ à prima, & genuina Confessione Augustana recesserunt.

517. VT sciant Vbiquistæ, eadèm *se in navi* cum Calvinianis *navigare*, satis erit nosse, eos à Confessione Augustanâ recessisse. Quod tam facilè est, quàm *vulpes pirum comest*, demonstrare. Quàm enim palàm est, non

est, non aliam, in S. Romano Imperio, permissam Confessionem, quàm quæ Anno 1530. Augustæ exhibita est; iam liquidò quoque constat ab eâ recessisse omnes quotquot *libro Concordiæ*, *vel Articulis Smalcaldicis* post Augustanam Confessionem dedêre nomina. Atqui Vbiquistæ omnes, non minus Confessionem Augustanam, quàm Articulos Smalcaldicos, & Librum Concordiæ adorare, vel è nostris de Prussiâ vicinis patet.

518. Hi enim, *in Respon. sup cit* sæpius aiunt, *Corpus doctrinæ Prutenicæ* (quod ut librum Symbolicum Calvinianis obtrudere per vim moliuntur) *non minus Confessione Augustana, eiusdemque Apologia, quàm Articulis Smalcaldicis; & libro Concordiæ confici*

519. Quæ verò aut libro Concordiæ, aut Articulis Smalcaldicis, cum Augustanâ Confessione esse potest Concordia? In Confessione Augustana art. 18. *De libero arbitrio docetur quòd humana voluntas, habeat aliquam libertatem, ad efficiendam justitiam civilem, & deligendas res rationi subiectas.* Hinc Carolus Imperator, & Ordines Catholici responderunt, quod Confessionistæ, in art. 18. *Confiteantur liberi arbitrij virtutem &c.* At in Articulis Smalcaldicis 3 prop art. 1. Damnatur Sententia Catholicorum docentium, *hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum, & omittendi malum &c*

520. In Confessione Augustanâ retenta est, & approbata Missa; dicitur enim art. 24. *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: Retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur.* At in Articulis Smalcaldicis p. 2. art. 2. scriptum est. *Quod Missa in Papatu sit maxima, & horrenda abominatio, simpliciter, & hostiliter è diametro contra articulum primum pugnans* (de Redemptione Christi) *quæ tamen præ omnibus alijs idololatrijs summa, & Speciosissima fuit.*

521. In Augustanâ Confessione art. 10. Transubstantiatio admittitur & probatur; quod præter alios fa-

rentur

tentur ipsi Serenissimi Electores Brandenburgici, ac Prussiæ Duces In Confessione, quæ Anno 1617 nomine Serenissimi Joannis Sigismundi, Regiomonti edita fuit, inter alias causas, quibus ille Princeps à prima Confessione Aug. ad mutatam, & ab ipso Philippo correctam transierit, illa quoque est (uti scribunt in *sua Responsione* Regiomontani Ministri) quod *illa invariata Confessione Aug. Papistica Transsubstantiatio approbetur.*

522. Iidem in *Declaratione quæstionis* (quid de Calviniano Prædicante in Prussia sentiendum) *Anno* 1641. *edita*, citato insuper Joan Himmelio de *Calviniana Ovium pelle*, aiunt Serenissimum Electorem in suâ ad Ordines Marchiæ Resolutione, Naumburgo Anno 1614. die 28. Martij data, ita expresse locutum. *Mirum nobis admodum est, quod Invariatam Conf. Aug. tantopere urgeatis, ut putemus eam à vobis nunquam esse lectam. Id enim si actum à vobis esset, invenissetis utique in ea Papisticam Transsubstantiationem approbatam &c.* Vt vel ex hoc Serenissimi Prussiæ Ducis testimonio pateat, quàm falsum illud sit, quod Calovius, in eadem Prussia Prædicans Com, pag. 197. pro confidentia scil. Prædicanticâ scribit, *In Aug. Conf. jam eliminatum erat Transsubstantiationis* βδέλυγμα. Nisi forte plus fidei mereri debeat Prædicans, quàm Dux Prussiæ, idemque S. R. I. Elector.

523. In Confessione Augustanâ, nihil derogatum fuit Ecclesiæ Catholicæ, vel Summo Pontifici, partim quia Confessionistæ omnes in præfat. ad Carolum, *appellant à Pontifice Romano ad Concilium*; & in fine Articulorum Fidei, subiungunt, *in sua Confessione nihil inesse quod discrepet à scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scripturis nota est*: partim quia art. 7. de abusibus, *Tantùm petunt ut Episcopi iniusta onera remittant, quæ nova sunt, & præter Ecclesiæ*

consuetudinem recepta &c Vnde & subiungunt. *Quare Pontificiæ clementiæ esset, illos nunc mitigare; quia talis mutatio non labefacit Ecclesiæ unitatem.*

524. At in Articulis Smalcaldicis pag. 2. cap. 4. Pontifex Romanus dicitur, *Papa esse ipse verus Antichristus, qui supra Christum sese extulit, & evexit.* Quæ impiissima vox, ita tandem à Sectarijs propè omnibus recepta est, ut pro primo, ac summo fidei articulo habeatur, *Papam esse Antichristum* Quod tamen in S. Imperio Romano, crimen læsæ maiestatis esse, prop. seq. declarabitur.

525. Denique in Confessione Augustanâ, imo & in Articulis Smalcaldicis articulus *de Persona Christi*, & Vnione hypostatica, & τῶν ἰδιωμάτων κοινωνία, planè Catholicus est, ut alibi vidimus; at in libro Concordiæ Vbiquitas; & alia Vbiquistarum monstra producta sunt. Quæ igitur potest istius Concordiæ cum Augustana Confessione esse concordia? aut quo pacto Vbiquistæ, alijque, sub Lutheri disciplinâ, vel potius nomine Sectarij, possunt affirmare se à Confessione Augustanâ non recessisse?

PROPOSITIO. XXI.

Vbiquistæ, Calvinistæ, alijque Sectarij, qui in Provincijs S. R. Imperij, verbo aut scripto aiunt, Pontificem Romanum esse Antichristum, crimen læsæ Maiestatis committunt.

526. DVbium non est singularem esse contumeliam, ingens convitium, blasphemam iniuriam, & crimen læsæ Maiestatis Divinæ, dicere Pontificem Romanum esse Antichristum Sed quia Sectarij nostri crimina læsæ Maiestatis Divinæ, tanti faciunt quanti ἀετὸς

θρῖπας

ϖρεῖπας ὁρῶν (fidem enim illam, & fiduciam de Prædicantum cerebro, quasi Pallada cum ægide natam, *Illi robur, & æs triplex circum pectus habent*) videndum est, an ad crimen læsæ Maiestatis humanæ commoveri, aut flecti aliquantum possint.

Qui dicunt, Cæsarem Romanum, non esse Christianum, crimen læsæ Maiestatis committunt.

Sed qui in Sacro Imperio Romano dicunt Pontificem Romanum esse Antichristum, dicunt una Cæsarem Romanum non esse Christianum.

Ergo ÿdem crimen læsæ Maiestatis committunt.

527. *Maior propositio* per se patet, *Assumptio* probatur.

Qui dicit Cæsarem Romanum, esse Antichristi defensorem, dicit eundem non esse Christianum.

Sed qui dicit Pontificem Romanum esse Antichristum, dicit una Cæsarem Romanum esse Antichristi defensorem.

Ergo idem &c.

Quis enim nescit, aut quis etiam Sectariorum non fatetur Sacram Cæsaream Maiestatem, esse supremum Apostolicæ sedis Defensorem, & Advocatum, singulari juramento eidem sedi Apostolicæ obstrictum?

528. Nonne ipse *Theodorus Thummius* Sectariorum apud Tubingenses antesignanus, circa 4. Decalogi præceptū q. 17. n. 3. tum à Dilinganis, tum in Augenweh p. 114. citatus fatetur, *Imperatorem Romanum obligari, ad servandum utrumque juramentum*, videlicet tam ad id, quod in sui Electione, *de servanda Pacificatoria Religionis constitutione*, quàm quod deinceps *Apostolicæ Sedi, ac Romano Pontifici præstitit*? Jamne igitur Prædicantes, & Prædicantum filÿ, tam immani crimine commoventur? An & hîc locus adhuc erit illi Aristotelico, ὄνῳ πεινῶν ῥοπάλε ἀμελοῖ?

PROPOSITIO. XXII.

Scripta Prædicantum, quibus docent Romanum Pontificem esse Antichristum, pro libellis famosis, in omnibus S. R. Imperij Provincijs, censenda, habendaque sunt; qui verò ea imprimunt, edunt, vendunt, retinent, inventa non lacerant, aut igne comburunt, capitali pœnæ obnoxij sunt.

529. POsterius hoc, sicut è *lib. 5. §. Si quis. π. de Iniurijs: & lib. 1. cap de famosis libellis*, per se patet, ita necessariò sequitur é primo. *Primum* itaque illud hunc in modum demonstratur.

Scripta in supremas potestates & in omnes nominis, Reique Catholicæ Reges, & Principes, status, ordines, iniuriæ contumeliorumque plena, libellorum famosorum loco censenda, habendaq; sunt.

Sed scripta Prædicantum, quibus docent Pontificem Romanum esse Antichristum sunt talia. videlicet &c.

Ergo &c.

Maior propositio plana est, & constat ex citatis Juris textibus. *Assumptio* etiam planior est. Neque enim scripta illa, in duas duntaxat illas supremas potestates, Pontificem videlicet, & Imperatorem Romanum, maledica, & ad crimen usque læsæ Maiestatis, *juxta prop. præced.* sævientia, sed in omnes Rei, nominisque Christiani Reges, Principes, Ordines, Status, Iniuriarum contumeliarumque plena sunt.

530 An non Serenissimus Bavariæ Dux, cùm in *Colloquio Ratisbonensi*, Ægidius Hunnius Prædicans Pontificem Romanum Antichristum vocaret, de eâ iniuriâ, sibi, omnibusque Principibus & Statibus Catholicis irrogatâ, palàm questus, publiceque, ac solenniter contra protestatus est? An

531. An non maiore etiam curà, *Anno* 1559. *in Comitijs Augustanis*, eadem contumelia repulsa est? Joannis Friderici Saxoniæ Ducis Legati, gemino scripto gravamina contra Episcopum Mersburgensem, Cameræ Spirensis præsidem, ijs Comitijs produxerant, adiectis hisce formalibus. *Quod Papa Romanus, & ipsius asseclæ, atrocissimi sint inimici Electorum, Principum, & statuum Augustanæ Confessionis: & quod omnes Cardinales, Episcopi, & Clerici, Papæ Romano summis, terribilibus, & abominandis iuramentis strictissime obligati, & devincti sint.* Ad hascè Saxonicorum Legatorum iniurias, contumelias &c. Electores, Principes, alijque Status Catholici, Cæsareæ Maiestati supplicarunt, *ut sua Maiestas Saxonicos Legatos, a quibus famosi libelli provenissent, citari*, & ex ipso Duce Saxoniæ inquiri curaret, *an constantem Pacis observationem profiteri, & dicta duo scripta asserere velit? Quod si reperiretur, Legatos nullum ea super re mandatum expressum habuisse, tunc contra eos, secundum pœnas pacis Religionis, ac publicæ, sicuti ex officio pro re nāta convenit, serio procederetur.*

532. Quocirca quod Stan. Orichovius Quincunce 2. pag. k, de Regno Poloniæ dixit, de quovis Regno Christiano ac potissimum de S. R. I. dici potest. *Si Nuncij & Regni Ordines, Regis sui causa Deo gratias agunt, agant & Sacerdotis causa, per quem Deus Polonis Regem dedit. Si vero Sacerdotem non Sacerdotis, sed Antichristi loco habent, Regem quoque suum Christianum vocare non debent, cum Regem Poloniæ Romanus, ut vocant, Antichristus coronarit. Denique neque Tu Palatine, aut Castellane, aut Marscalce &c. id nominis tibi vendica, quia & hæc à Romano Antichristo per Regem Poloniæ habentur: neque enim hisce vos titulis Rex donare potuit priusquàm ipse à Rom Pont. Regis Poloniæ titulo per Archiepiscopum Gnesnensem donatus est. Reddite quocirca suos Antichristo Rom. titulos, adeoque in Polonia estote vel Holofetæ Valachici, vel Vlani Tartarici, vel Bassæ Turcici.*

PROPOSITIO XXIII.

Prædicantes, citra Principum, ac præsertim Electorum suorum voluntatem, Summum Pontificem vocant Antichristum.

533. QVis enim credat, tantos Imperij Romani Principes, præsertim Electores, *ad istas* Prædicantum *clitellas ita natos*, ut, dum pro sua auctoritate Pontificem Romanum velint Antichristum esse, seipsos una (sunt enim illi Imperatoris Romani, quem Ecclesiæ Romanæ protectorem, defensorem, & advocatum supremum sciunt, adiutores, & primi, præcipuique παραστάται) eiusdem Antichristi sociennos faciant, ac combennones? Quis item credat Serenissimos, ac longè potentissimos Imperij VII-Viros, Saxonem, & Brandenburgicum, quorum alter Sacræ Cæsareæ Maiestatis Armiger, alter Sceptriger est, *Antichristi defensori, & Advocato*, hoc est Romano Imperatori, Ensem, vel Sceptrum, pro ... ac ratione officij, summæque dignitatis suæ posse, ac velle præferre?

534. Quapropter summam necesse est Prædicantum impudentiam juxta, atque improbitatem, aut potius secundum Apostolum Eph. 4. 14 κυβείαν καὶ πανουργίαν πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, *nequitiam* (non qualemcunque sed planè Aleatoriam, inhiantem scilicet pecunijs collusorum, ac malitiosè non rarò intervertentem) *& astutiam ad circumventionem erroris*: qui famosis in Pontificem Romanum, Catholicosque omnes chartis, Principum suorum, *auctoritatem, gratiam, privilegium* sunt soliti præfigere.

535. Et, ut fortè aliqui inter Principes id ultro patiantur (quod ego tamen ut credam, nunquam adducar) certè Serenissimus Saxoniæ Elector, pro suâ non modò

æquita-

æquitate, verùm & prudentiâ, & in Electores alios, dignitate sibi pares, Principes item, ordines, statusque Catholicos, benevolentiâ, nec non pro summâ erga Catholicam Cæsaream Maiestatem observantiâ, scripta huiusmodi *in suis Regionibus*, quemadmodum testantur Jureconsulti Dilingani q. 72. n. 14. *minime tolerat, sed jam dudum prohibuisse fertur.*

PROPOSITIO. XXIV.

Vbiquistæ non alio, quàm Calviniani, Sacramentarij, alijque proscripti Sectarij, in Sacro Romano Imperio, gaudere jure, aut gloriari libertate possunt.

536 PAucis hoc Vbiquistarum ulcus tango, quia jam ante libatum, apertumque ita scio, ut non minimum inde profluxerit saniei ac puris. Claudo igitur *vomicam hiantem*, & sequens κατάπλασμα addo.

Vbiquistæ perinde uti Calvinistæ, alijque Sectarij, à Confessione Augustana, quæ sola in Sacro Romano Imperio permissa est, recesserunt.

Ergo tolerari in Sacro Romano Imperio non possunt, Ergo pari jure cum Calvinistis, alijsq; Sectarijs gaudent.

Antecedens patet ex prop. 19. *Consequentia prima* ex prop. 18. *secundam Consequentiam* ipsi Calviniani Vbiquistis intonabant hic prop. 17.

537. Illud ergo duntaxat superesse videtur unum, ut Calvinistæ juxta ac Vbiquistæ, ad veterum Comœdorum, aut potius Tragicorum morem, alternis choris, & carmine prorsus amœbæo mutuùm sibi occinant,

Valete, & Plaudite.

DISQVISITIO. XXII.

An Vbiquistæ Regiomonti, & in Ducatu Prussiæ tolerari jure possint?

538. SI Prædicantes nostros ad Germanicæ, uti linguæ, ita & felicitatis societatem, clam, palamque adspirantes, illa (ut à Dionysio Areopagita vocatur) cœlestis hierarch. cap. 1, ἀρχικῆ καὶ ὑπεράρχων, τοῦ θεαρχικοῦ πατρὸς φωτοδοσία, *Principalis, & Superprincipalis Patris qui Deitatis Principium est, effusio donatioque luminis*, voti sui reos esse aliquando sineret, jam ex præmissa Disq. non unus, ad morem S. Thomæ Aquinatis exclamaret, *Conclusum est contra Manichæos*. Quia verò secus res habet, videndum hic erit, quid in Prussiâ, & (si tempus ac ratio patiatur) quid in adiunctis Regno Poloniæ provincijs Vbiquistæ juris habeant?

PROPOSITIO. I.

Prædicantes, alijque Prussiæ Ducatus incolæ, singulari, hoc est, tum à communi, civili, & Cæsareo, tum ab eo, quod in cæteris Amplissimi Poloniarum Regni Provincijs in usu est, longè distincto, in causa Religionis, jure fruuntur.

539. QVanquam hoc loco, nullus est *Archimedeo*, ut loquitur Cicero, *problemati* locus, cum & Pa-

ctorum

ctorum Conventorum, Privilegiorumque Prutenicorum liber & aliud insuper Juris Provincialis volumen, haud sanè exiguum, rem loquatur, in ipso tamen aditu præcludendus fuit. tum ijs aditus, qui cùm servi sint suarum cupiditatum, *libertatem tamen Conscientiarum*, nescio quam, pro omnibus rostris proclamant; tum verò deinde etiam ijs, qui cum juribus Provinciæ è Prussiâ excludantur, juris Cæsarei, aut Poloni beneficio penetrare, aut potiùs irrumpere satagunt. Nam & Joannes Bergius, *in Apostolica*, ut vocat, *Fidei Regula* Anno 1641. editâ (in qua se ad Aulam Brandenburgicam in Prussia annos 24 Ecclesiasten egisse memorat) id omni contentione urget, ut quemadmodum in Sacro Romano Imperio, & in Amplissimis Poloniarum Regni Provincijs, ita possit & in Prussiâ figere cum suis pedem.

540 Nobiles quoque, magni in Prussiâ nominis, sed (quod dolendum) in Religione ad Calvini amussim *Reformati*, in publico Anni 1641 conventu, Protestatione suâ Publicis Actis insertâ, id contendebant; ut *quoniam Augustana Confessio* (sic enim loquuntur) *inchoative in Prussiam è Germania venit, Coordines Evangelici* (id est Lutherani, vel potius Vbiquistæ in Prussiâ) *receptæ potius observantiæ universorum Electoralium, & Germaniæ statuum, quàm dispari contentiosorum quorundam Theologorum judicio insistant*; id est, ut non jam leges Patrias, sed Imperiales aut potius, ne has quidem (quantum enim istos leges Imperij juvent, patuit Disq. præced.) sed pravum, & à rebellibus (uti ibidem prop. 13 & 15. ostensum) alijsque id genus Sectarijs, vi, & proterviâ introductum in Romano Imperio morem, sequantur.

541. Adducunt insuper & *Sendomiriensem*, inter Calvinistas, ac Lutheranos, Anno 1572. in Regno Poloniæ, & M. D. Litvaniæ, *Consensum*; qualis scilicet, lupos inter ac oves, aliquando in fabulis constitit. Vnde &

de & subdunt nullum esse dubium, *Reformatos Regni Poloniæ*. (sic enim Calvinistas suos vocare ex usu maluerunt) *sub quorum Protectione* (notate verba, signate mysteria) *hucusque Lutherani tutò manserunt, cordi magnopere sumpturos, ubi* (protectores scilicet illi) *tantam indiscretionem, & noviter quæsitas contra nos* (vid. Reformatos, hoc est ad Calviniani Evangelij sive modulum, sive modellum, quamvis contra Patriæ leges, in Prussiâ cothurnatos) *ceu fidei suæ consortes, pressuras* (ab immani Lutheranorum Tyrannide provenientes!) *compererint: Prout Evangelici Poloni, & Litvanici status*, (quæso qui isti in Litvaniâ, ac Poloniâ quo tempore, & à quo erecti status? num & Calvinistæ, novos Reipublicæ status in Amplissimis Poloniæ Litvaniæque Provincijs moliuntur?) *præcipuè anno 1622. dum recessus quidam contra eos, qui de Calvinismo suspecti erant* (in Prussiâ) *conficeretur, Solemnissimè protestati sunt: cuius* (Protestationis) *adhuc extant instrumenta*.

542. Sed hem, ô boni! ipse vos Prussiæ Dux fortasse ab isto, quod extra Provinciam meditamini, fædere, auxiliaribusq; copijs, aliò vocabit: & ut vocet, ipsi Lutheranorum Ordines in Prussiâ acrius instabunt. *Quomodo Lutherani* (sic enim in dictâ Protestatione expressé Reformati loquuntur) *nostrum, & ipsorum Principem, sub falsa ullorum gravaminum specie* (ita leges Patriæ *falsa gravamina* jam tactæ?) *necessitabunt, ut is suæ ipsius fidei consortes, contra ipsorum conscientiam ita persequatur, & premat*? Sic Principem, quem æquè legum, ac Provinciæ, quam Feudo tenet, custodem esse oportet; quemque (juxta vetus illud Philemonis δοῦλοι βασιλέων εἰσί, ὁ βασιλεὺς θεῶν, *ut servi Principis, ita quoq; & Princeps Dei est*, vel Agapeti Diaconi in Parænesi ad Justinianum Imp.) non tantùm Regis, sed Dei quoque servum, in administrando subditis jure, esse

dece-

decebat, Reformati voluntatum ac cupiditatum suarum esse servum volunt?

Atqui, ut sapientissimè idem Comicus κύριος
τούτων δὲ, καὶ σοῦ, μυρίων τ᾽ ἄλλων, νόμος.
Dominus.

Horum, tuique, pluriumq́, est ipsa Lex

Leges, inquam, ô boni, & quidem Patriæ leges vos arcent.

543. At vide, quid boni isti, ac planè Reformati, ad hæc, eodem illo loco, reponant! *Super hæc* (quæ dicta erant) *habent specialiter considerandum* (videlicet Lutherani adversarij) *quod nobis leges, & privilegia nulla possunt adimere libertatem, quàm nos cum nostris, & illi cum suis prædecessoribus carò comparavimus, & ad Regnum Poloniæ attulimus.*

544. Itanè verò ad αὐτονομίαν, (quam consultissimus Juris Burchardus, Colonienſis Cancellarius, in Imperio Romano, doctissimis olim voluminibus confixit) imo fortasse & ad ipsam ἀνομίαν, res in Prussia spectabunt? Itanè leges Prussiæ, quas maiores tantis impendijs compararunt, juxta Philosophi vocem, *telæ aranearum fient*, quæ ab afflictissimis in Ducatu Catholicis, & à Lutheranis quoque, tanquam *à culicibus & muscis* ultrò implicatis, serventur integræ; at verò ab istis, ad Calvini Evangeliũ reformatis, *Passeribus*, aut (ne corvorum appellatione offendam) ab *Architæ*, quanquam volaticis, fictis tamen, & ad veri speciem reformatis *Columbis*, *Præfiscini* (juvat enim boni ominis voce in loco uti) perrumpantur!

545. Eo enim videtur, ipse Reformatorum istorum Archisynagogus Bergius, in præfatione libri citati spectare, partim cùm pag D. 2. *Religionis causam nullis civilibus legibus, humanæve doctrinæ libris, ac ne juramen-*

ramento quidem, Deo, Principi, Patriæque facto adstringi vult: partim cùm *Theologos, ne in Religionis quidem causa, civilium Prussiæ legum, interpretes, esse contendit.* Quam porrò hæc, aliaque Reformatorum axiomata vero congruant seq. prop demonstrandum est.

PROPOSITIO II.

Neque in Principis, neque in Ordinum Prussiæ potestate, situm est, in causa Religionis quidquam immutare.

546. VTrisque enim, *in ipsa Ducatus Prussiæ Erectione*, lex in causa Religionis posita fuit, à qua utique, quàm nefas sit recedere, patuit ex *Responso* Sigismundi III. ad literas Joannis Sigismundi Ducis Prussiæ Anno 1615 datis, & à Joanne Behmio in *Prodromo ad Prutenicum Aulico-Politicum* recitatis. Inter cætera, sic Rex Vasallo Principi scribit.

547. *De Religionis negotio, quid Recessu Commissoriali præscriptum sit, non ignorat Illustritas vestra: Neque tamen ea res nova est, sed anterioribus Illustrissimorum Prussiæ Ducum, Serenissimorumq; Regum Poloniæ Rescriptis & diplomatibus statuta, & hactenus servata. Hoc idem placuit Illustritati Vestræ, Provincialibusq; omnibus; cum de ijs pactis, de quibus novissime inter nos convenit, statuendis ageretur, diserteque cautum, Romana Catholica, & ea, cuius forma Divæ memoriæ Carolo Quinto Augustæ in Comitijs Imperialibus oblata est, cum sua Apologia exceptis, religionibus cæteris, in Prussia ne locus esset: atque ij qui novas (quibuscunque nominibus censeantur) opiniones amplecti vellent, authoritate Magistratuum, præmissa legitima inquisitione coercerentur, & à muneribus publicis arcerentur. Nobis hac in re nihil aliud propositum esse, nisi ut pacem & tranquillitatem illius Provinciæ tueamur, certò sibi persuadeat Illustri-*

Illustritas Vestra Ea quæ publico utrinque placito & consensu statuta sunt, ne immutentur, nobis curę est, isque plane fuit sensus literarum nostrarum, quas in hoc negotio ad Regentes Consiliarios dedimus.

548. Et intra *Vt autem ne in quenquam, quid de Religione sentiat, inquiratur statuamus, in nostra potestate situm non est, nisi pacta conventa rescindere velimus.* Et deinceps *Quæ decreta sunt, ut firmissimè serventur, tam subditorum, quàm utriusque nostrûm maximè interest. In eam igitur curam incumbat Illustritas tua, ut omnes rerum novarum occasiones amoveantur. Id autem facilè consequetur, si, ut in omnibus punctis, Pacta Recessusque Commissoriales observentur, magistratibus suis demandaverit.*

549. Neque aliud Prædicantes, totumque Ministerium, in sua ad eiusdem Principis Confessionem Anno 1616. editam, *Responsione*, ut legenti patebit, moliuntur, quàm ut demonstrent neque per Leges Patriæ, neque per Pacta Provinciæ, licuisse Principi quidquam in causa Religionis in Prussiâ innovare

550. Quid quod ijdem, tum in *Declaratione Quæstionis, quid de Calviniano Prædicante in Prussia sentiendum* 1641. editâ, tum verò fortasse etiam in *Refutatione novæ de familia subditisque Ordinationis* Anno 1640. Elbingæ cusa, *non modò pactis conventis, legibusque patriæ potissimùm in causa Religionis standum esse* contendunt, verum & omnes qui à permissa Religione divertunt, præsertim vero Calvinistas, non alio *quàm politicæ pacis Turbatorum*, nomine & loco habeant? quod vel Bergius ipse Calvinista *in sua ad Regulam Apostolicam præfatione*, quanquàm gravissimè deploret, nihilo tamen magis, dum suis in Prussiâ stationem fidam, statuit, quàm, ut vulgò aiunt ὥσπερ ὄνος βαλανέως, proficit. Quâ de re quemadmodum & de nostra hac Propositione, ubeRius agetur Disq. 25. prop. 1.

PRO-

PROPOSITIO. III.

Sola Religio Catholica, & secundùm eam Augustana Confessio in Prussiâ locum habet.

551. VEl unicum Lublinense privilegium, (ad quod veluti, cum Luciano, ἱερὰν ἄγκυραν χαλάσοντες, *Sacram achoram soluturi* & Lutherani, & Calvinistæ appellare unicè solent, ac possunt; quodque, ob causam Religionis & pacem Provinciæ, ipso Principe, omnibusque Ordinibus Prussiæ flagitantibus, datum est) hoc loco, quod dicunt χρησμοὺς λέξει, *oracula pronunciabit.* Cùm enim superstite etiamnum primo Duce Prussiæ *Alberto Seniore*, Ducatus Prussiæ, ob Sectariorum furores, sæpè multumque imis à sedibus concuteretur, Prædicantibus, ceu *Æolijs fratribus*, ab omni parte, vel auras, more suo, tempestati motæ adspirantibus, vel oleum flammæ affundentibus; coactus est *Albertus Fridericus*, in ipsa sui *ad Feudum Prussiæ Investiturâ*, quæ generalibus Regni Comitijs Anno 1569. Lublini peracta fuit, Regis ac Republicæ opem implorare. Supplicanti igitur datum est Priuilegium, in eam, quæ sequitur, formulam.

552. *Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, & Masoviæ, Samogitiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præsentium, quorum interest, universis & singulis; quòd cum ab Illustri Principe, ac Domino Alberto Friderico Marchione Brandenburgensi, & in Borussia Duce &c, Nepote nostro charissimo, & à suæ Illustritatis Consiliarijs intellexißemus, universos Ordines Ducatûs Borussiæ, in eam doctrinam Religionis, quæ communi consensu Senioris Ducis, piæ memoriæ, omniumque Illustritatis suæ subditorum, juxta formulam Augustanæ Confessionis, & eiusdem Apologiæ, recepta, & publi-*

publicata est, consensisse; ob eam rem multis, & gravibus causis adducti, Illustrem Dominum, in Borussia Ducem, omnesque Illustritatis suæ subditos, & universam Ditionem, in hac ipsa Doctrina Religionis conservare clementer statuimus, &c.

553 *Sicut & præsentibus literis nostris, nos conservaturos in posterum pro nobis, ac Serenissimis nostris Successoribus Poloniæ Regibus, in Verbo Regio promittimus, & pollicemur: Ea tamen conditione, ut Augustanæ Confessionis doctrina incorruptè servata, omnia alia peregrina dogmata & hæresium genera, quæ post Augustanam Confessionem exorta sunt, quæque ab ea sint aliena, non modò non ferantur, sed penitùs prohibeantur, & aboleantur.*

PROPOSITIO. IV.

Sola Religio Catholica primas, etiam Regiomonti, & in toto Prussiæ Ducatu, partes habet, Augustana verò Confessio non tam probata, quàm permissa tantùm est.

554. QVanquàm hoc *non vulgari*, ut est apud Aristotelem, *anchora nitatur*, & vel ex ipso Lublinensi Privilegio sole clarius pateat; quia tamen multæ frequentesque Prædicantum intemperiæ cogebant non paucos πρὸς κέντρα λακτίζειν, *contra stimulum calcitrare.* Acto. 9. 5. debuit, Regis Regiorumque Commissariorum authoritate, veritas sæpè explicari. Igitur Acta Commissionis Anni 1609. citata ex parte tum à Calvinista Bergio *in Præfat. ad Reg. Apost.* tum à Lutherano Behmio *in Prodromo*, & in *Instructione de Corpore Pruthenico*; Et in *Admonitione Anni* 1614 *super Calvinistarum technis*; tum à Myslenta *in Manuali & fusa illa dissert. Proœmiali Corporis Pruthenici*; In ipso Privilegiorum

giorum Pruthenicorum libro pag 101. ita ad verbum habent.

555. *Læsum deinde est Ius Sacræ Regiæ Maiestatis, & Regni, ob violentam Catholicæ Romanæ Religionis exclusionem; Ecclesiarumque Catholicarum, in hoc ipso Ducatu antiquitus fundatarum, privilegiatarumque, occupationem; & bonorum Ecclesiasticorum ademptionem, & in usus privatos, profanosque conversionem.*

556. *Dubium enim nemini est, Religionem ipsam Catholicam in ijs oris primitùs institutam, propagatamque fuisse, ipsoque tempore Regiminis Ordinis Cruciferorum, nec non sub Erectione, & institutione Feudi viguisse, bonaque, & possessiones ad usum earum Ecclesiarum habuisse; nec alio jure, & conditione, ipsam primævam Investituram, ratione Feudi concessam fuisse quàm ijs, quibus Magister Ordinis Cruciferique has terras ante tenuerunt, quos integris Episcopatibus bonisque Ecclesiasticis, maximè autem Religione Catholica florente, Provinciam hanc possedisse, verius est, quàm demonstrari sit necessum Hæc verò omnia, post assecutionem Feudi, & receptum beneficium convulsa occupataque sunt.*

557. *Et quamvis permissum fuerit Religionis Augustanæ exercitium non tamen Religionem Catholicam eo summotam; sed salvâ potioreque Catholica reservata, penes illam quoque Augustanæ permissus usus: sed permissus potius, quàm approbatus. vel confirmatus est Ita verò permissus ipsius usus, Privilegio Lublinensi de Anno 1569 uti juxta Formulam Augustanæ Confessionis, & eiusdem Apologiæ tantùm, non autem secundùm Articulos Smalcaldicos (sicut Repetitio Corporis doctrinæ Ecclesiasticæ de Anno 1570. continet) à subditis Ducatus Prussiæ vivatur. Illud enim quod suis fundationibus, & privilegijs constabat, violare nequaquam licuit*

558. *Præterea Nobilibus ac incolis Catholicis Ducatûs huius, in villis, oppidisve suis hæreditarijs, Exercitium Religio-*

ligionis Catholicæ non permittitur, Ecclesiæ & Sacerdotes Ritus Romani prohibentur Quo maxime jus Serenissimi Regis, & Regni opprimitur Qua in re, intercesserunt publico nomine transactiones inter S. R. M. Regnumque, & Illustrissimos Dominos Marchiones Brandenburgenses; posterius verò cum Illustrissimo Domino Ioachimo Friderico Electore nuper Defuncto, eiusque Celsitudinis legatis in Comitijs Cracoviensibus, pactum, conventumque fuit, ut Religionis Catholicæ exercitium, unicuique profiteri eam volenti, liberum in eo Ducatu sit; neque Sacella, & Oratoria ubivis prohibeantur, neque Professionis Catholicæ causa, quisquam ulla vi, iniuria, aut contumelia afficiatur. Ac insuper eiusdem Religionis Catholicæ exercitio, unum, atque alterum templum hic Regiomonti cum proventibus assignentur.

559. Iura item Patronatus Catholicis omnibus firma, & integra conserventur &c. Cautum insuper erat ea ipsa transactione, ut Catholici omnes ad munera, & honores admitterentur, sine quavis exclusione, atque iniuria &c. Exposcit denique Sacra Regia Maiestas, ut in usus Catholicorum Episcoporum, Sambiensis & Pomesaniensis certi aliqui reditus, proventusve assignentur, cum ad functionem illam administratoriam sustinendam, illique annexa munia obeunda, non pauci sumptus requirantur Item ut fugitivi Apostatæ, atque subditi extradantur, Sacra Regia Maiestas requirit.

560. Neque sanè tunc primum, sed (quod Acta Commissionis Anni 1609. hic n. 554 testantur) & in Comitijs Cracoviensibus Anno 1603. cum ab obitu Georgij Friderici Prussiæ Ducis, Joachimus Fridericus, Marchio Brandenburgicus de Feudo Prussiæ per suos Legatos supplicaret, eadem Declaratio, in Responso Regio, *in dicta Behmij Admonitione puncto* 20. *pag* 74. citato, jam ante tradita fuit, in hæc verba. *Quòd, Borussiaco Ducatui, præter Augustanam Confessionem, Serenissimus Divus Sigismundus Augustus, non aliam permisisse*

dicatur; non eo id pertinere, ut excluderetur Catholicæ fidei professio, sed ne aliæ quoque Religiones, quæ plurimùm à Catholica primæva dissident, in eam Provinciam irreperent; cuiusmodi sunt, qui Arrium, qui Calvinum, qui Zuinglium, qui Anabaptistas Magistros sequuntur &c.

561. Quæ quidem ab omnibus Prussiæ Ordinibus in Conventu Regiomonti Anno 1612 acto, per literas, ut vocant, Reversales, & per Regiorum, ac Reipublicæ Commissariorum Recessum, ibidem confirmata stabilitaque sunt Nam & Legati Ordinum cum omnia alia vetera, novaque pacta, libèro consensu suo; tum verò etiam ea juramento literisque suis roborarunt. Sic enim apud Behmium *in Admonitione puncto* 24 *pag* 94. loquuntur. *Quæ per Regios Commissarios ante triennium* (1609. Anno) *in Conventu Regiomontano constituta sunt, in omnibus eorundem punctis, clausulis, capitibusque, quemadmodum jam ante corporali juramento confirmavimus, ita nunc Reversalibus etiam literis nostris ratificamus, approbamus, roboramusque, eaque semper, pro nobis, posterisque nostris, grata, rataque habituros; neque quidquam vel ipsos nos, posterosque nostros, in ijs immutaturos, vel à quoquam mutari passuros, promittimus, spondemus.* Quod juramentum, quam, quantamque vim habere debeat, vel ipsius Behmij *arietinum*, ut aiunt, *oraculum*, loco citato demonstrat. Jam verò Regiorum Commissariorum Recessus Prop. Seq. producetur.

PROPOSITIO V.

Non modo Calvinistarum, Arrianorum, Anabaptistarum Sectæ, verùm, & aliæ omnes, quæ post Augustanam Confessionem, eamque primigeniam, hoc est illam ipsam, quæ Anno 1530. Ca-

tolo V. Augustæ exhibita est, Regiomonto, & toto Prussiæ Ducatu excluduntur.

562. SOlent hoc Lutherani contra Calvinistas, sub umbrâ Confessionis Augustanæ, non jam primigeniâ illâ, sed à Philippo Melanthone Anno 1540. & deinceps sequentibus (Philippus enim, quòd Ministerium Regiomontanum, *in sua Responsione cap. 2. & 5.* vix sine lacrhymis memorat, factus est, secundùm Aristidem, κορυφαῖος ἰὼν κατόπιν τοῦ χοροῦ *Coryphæus chorum sequens*; sive, ut alij ferunt, *Bubulcus ante, tandem Caprarius*, à Luthero scilicet, ad Calvinum transgressus) nec non & ab alijs Ministellis, *Peliæ instar recocta*, in Prutenicarum splendore dignitatum, munerumque apricari satagentes pluribus urgere; nobis satis erit, Commissarios Regios, Regis, Reipublicæque nomine Anno 1612 29. Maii, ut refert Behmius, *in Admonit. puncto 23. pag. 84. & in Prodromo puncto 10.* pronunciantes hîc audire.

563. *Ad Sectas peregrinasque Religiones, quod attinet; si quis posthac ad Magistratum, & ad officium adscitus, promotusque repertus fuerit, qui diversam Religioni Catholicæ Romanæ; vel Augustanæ Confessioni Anno Domini* 1530. *publicè Augustæ propositæ & Apologiæ eius, tanquam publico ordinum Ducatus huius consensu, receptæ, & approbatæ, indultoque Serenissimorum Regum Poloniæ. in Ducatu hoc permissæ, quamcunque vel Zuinglianorum. Calvinianorum, Anabaptistarum, Arrianorum, vel quibuscunque nominibus vocentur, Sectam foveat, profiteaturque; à Consiliarijs terrestribus, vel ijs negligentibus à conventu universo Nobilitatis, aut quocunque in ordine sibi pari; In civitatibus à Magistratu civili, aut quocunque de populo, primò ad Iudicium Illustrissimi Principis Aulicum vocari poterit, & debebit &c.* Huius, uti & superiorum decre-

torum, vi ac robore constricti ita Calvinistæ sunt, ut in sæpe citatâ nobilissimorum virorum Protestatione, Anno 1641. unicum desperatæ causæ asylum videantur quærere, illud nimirum, *Nec mihi, nec Tibi.* Qua de re prop. seq.

PROPOSITIO. VI.

Etiam Vbiquistæ, & alij Lutherani, qui à prima & primigeniâ, & verè γνησία Confessione Augustanâ, vel minimum recesserunt, tolerari in Prussiâ neq; debent, neq; possunt.

564. BRevitatis, lucisque maioris gratiâ seriem omnem istius causæ, ac vim, unius Syllogismi, ex ipsorum adversariorum ore, calamoque excepti, cancellis includamus.

Quicunque à prima, hoc est, Anno 1530. Augustæ Cæsari exhibita Confessione Augustana recesserunt, tolerari in Prussia neque possunt, neque debent.

Sed Vbiquistæ, & fere etiam alij in Prussia Prædicantes, à prima &c: Confessione Augustana recesserunt.

Vbiquistæ proinde ac fere etiam alij in Prußia Prędicantes, tolerari neque possunt, neque debent.

Propositio Maior præterquàm quòd ex propositionibus præcedentibus luce videatur clarior, est insuper ipsorum Vbiquistarum, aliorumque in Prussiâ Lutheranorum propria. In citatâ enim *contra Confeßionem Calvinistarum Responsione*, Ministerium totum, toto cap. 4. id unum contendit, ut ostendat Calvinistas, imò fortè, & Principem suum (contra hunc enim Responsio illa tendit) *neque in Sacri Romani Imperij Provincijs, neque in Prussia locum habere, quantumcumque sub Augustanę Confeßionis pallio, tanquam sub armatura Achillea, tutò requies-*

requiescere velint; nisi cum tota Provincia, post Dei Verbum, super incorrupta Augustana Confessione, & eius Apologia privilegio munita nixi, extra teli jactum constituantur.

565. Idipsum egerunt ijdem Prædicantes, in sua *illa Declaratione* quæst. supra prop. 1. citata. Bergius enim, (*quanquam illi* eodem teste, *ea super re requisiti id pernegent*) Ministros Regiomontanos eius Declarationis authores facit. Omni igitur contentione probant, Calvinistas quod ad veram Confessionem Augustanam admitti non possint, eo ipso, tanquam *pacis omnis Turbatores*, (quippè qui & Conscientiarum, & Religionis, & Reipublicæ pacem in Prussiâ pessundent, ac tranquillitatem) tolerari in Prussiâ neq; posse, neq; debere.

566. *Assumptio* quoque ex Disq. præce prop: 19. 20. 21. & 23. clara est. Quæ enim de Vbiquistis in genere dicta sunt, de Regiomontanis ex asse dici debent, uti etiam Disq. 29. totâ, dicentur. Nunc satis est Calvinistas non modò *minorum* (cum Duce Bergio *in præfat. & aliâs in Regul. Apost.*) *gentium*, verùm & viros nobilissimos, & ipsos Serenissimos Electores, ac Duces Prussiæ, Prædicantibus ad Vbiquitatem in Prussiâ devolutis, animosissimè, verissimeque in frontem obiectare, quod à Confessione Augustanâ longissimè in transversum declinarint.

567. In Protestetione suâ Anno 1641 publicis Comitijs præsentatâ, viri nobiles, In *Formulâ Concordiæ* & *Corpore Prutenico* (quæ duo pro Symbolicis libris Vbiquistæ nostri, præter, imò & contra Augustanam Confessionem recipiunt ut Disq. 23. 25. & 26. patet) ab Augustanâ Confessione alienissima contineri, ita testantur, *Nec videmus, quo jure à nobis* (Calvino addictis) *ceu secularibus statibus, subscriptionem, acceptationemque eiusdem libri* (Corporis doctrinæ) *affectare possint, in quo tot difficiles, subtiles, & scholasticæ quæstiones, & loquendi mirabiles modi continentur: nominatim in Doctrina de*

Communicatione Idiomatum, & S. Cęna; uti & de Osiandrinis, Synergisticis, Maioristicis, & alijs huiusmodi concertationibus, quas bona ex parte non intelligere, nec in Confeßione Augustanâ invenire (an non hoc ipsum est à Confessione Augustanâ recedere) *tantùm abest, pro veris fidei articulis agnoscere possumus.* Mox suam de alijs Regiomontanorum Prædicantum sectis censuram, ita subiungunt. *Imò apparet etiam hodiernorum Theologorum Regiomontanorum doctrinam, non undequaque in lite Synergisticâ concordare, & Pelagianę heręseos, uti verba folio 16. sonant, insimulantur.*

568. Quid, quod ipse Serenissimus Elector, ac Prussiæ Dux, in suâ quam Anno 1617. edidit Confessione, (uti Reuerendum *in sua Responsione* Ministerium *cap. 4. pag.* C. 3. ultro fatetur,) palàm scribit, *á fabris libri Concordię, sive à Theologis nonnullis phrases, novosque loquendi modos introductos esse, qui antea in Propheticis scriptis nunquam lecti sunt, quorum etiam in Augustana Confeßione, eiusdemque Apologiâ, nulla prorsus mentio sit?*

569. Si igitur Regiomontani alijque in Prussiâ Prædicantes, non tantùm in causa Vbiquitatis, verùm & in alijs Articulis, à Confessione Augustanâ recedunt, & inter alias sectas, etiam ad Pelagianismum ruunt; quid superest nisi, ut qui alios exilij damnant, exilij in seipsos tulisse sententiam censeantur?

570. *Consequentiam* hanc inter alios Bergius *in Reg. Apost.* urget, tum multis locis alijs, tum verò potissimum sub finem præfationis, & cap 6. pag. 66. & 67. ubi Æquè *Formulam Concordię*, atque ipsum *Corpus Prutenicum*, in Prussiâ jure Provinciali vetitum esse demonstrat, ut proindè non minus pro Turbatoribus Religionis, ac Pacis, habendi sint Vbiquistæ, qui supra permissam Augustanam Confessionem, eiusdemque Apologiam, tum Articulos Smalcaldicos, tùm Corpus Prute-

Prutenicum, tùm omnibus poſteriorem Formulam Concordiæ (quorum quædam expreſsè vetita, alia vel nunquam, vel nonniſi cum reſtrictione, quatenus videlicet Verbo Dei, & Confeſſioni Auguſtanæ concordant permiſſa eſſe alibi oſtendemus) contra jura Provincialia, in Pruſſiam introducant, & Calvinianis ſub pœna exilij, privationisque omnium Dignitatum ac bonorum, pro libris Symbolicis per vim obtrudant.

571. Summa! nihil propè aliud deeſt, quàm ut Bergius, cæterique in Pruſſiâ Calviniani, (quos Lutherani in Pruſſiâ alijsque locis, ex vetere formula ἀττικοὺς παροίκους *Atticos advenas* meritò vocent) id, quod re, opereque ipſo dudum moliuntur, verbis quoque, fraterculis ſuis Lutheranis, ac potiſſimum Vbiquiſtis, octavo ſcilicet vel ſeptimo tono iterum accinant

Veteres migrate Coloni.

Vbiquiſtæ verò ſeorſim, ad Mixtum tonum, ſuo choro, oris juxta ac pedum ſono, inchoent, ſacrum illud, *In Exitu Iſrael de Ægypto &c.*

572. Dudum hoc Joan Behmius (ut eſt emunctæ naris) odoratus, *in Inſtructione ſuper Corp. Pruten.* p. G. 1. *Vulgo*, inquit, *fertur Canes principiò lora admordere, inde coria ligurire. Ita quidam (de Calviniſtis) cæperunt Corpus Doctrinæ Prutenicæ admordere, ut totum deinde vorent, & eius loco doctrinam ſuam ſenſibus conformem, introducant; & facta confuſione, patremfamilias domo eijciant: hoc eſt Puram putamque Lutheranam religionem, eiusq; conſtantes confeſſores, trans mare è provincia eijciant. Huic periculo ut occurratur, neceſſe eſt principijs obſtare.*

573. Et pag. G 3. cum dixiſſet veros, hoc eſt in Lutheri verba juratos Miniſtellos paſſim vexari, *ut offuſo quaſi fumo, inſtar apum, alveolos ſuos deſerant*, ſubiungit. *Id nunc agitur, ut Calviniani Prædicantes Lutheranorum, itidem Prædicantium, capitibus imponantur, eosdemq; ad inci-*

ad incitas redigant. Iam enim manifestò patet, Calvinianos amari, honorari, & in cœlum tolli, ut Lutheranis vel inde ægrè sit.

DISQVISITIO XXIII.

An, & quo Iure Vbiquistæ suarum monstra Sectarum, sub Libri, seu Fromulæ Concordiæ umbrâ fovere in Prussiâ possint?

574. POsteaquam Regiomontani Vbiquistæ, commenta, aut potius monstra sua, neque Scripturis (ad quas tamen solas in causis fidei appellare, more, voto, institutoque suo debuerunt) neque alijs armis, etiam contra *fraternas* Calvinianorum *acies*, tueri possunt; Primùm ad *Corpus Pruthenicum*, & unà ad *Articulos Smalcaldicos*, illic contentos, tum deinceps ad *Formulam Concordiæ* præsidij causâ convolant. Videamus hîc, quid in Libro Concordiæ præsidij habeant?

PROPOSITIO. I.

Liber, sive Formula Concordiæ, nunquam in Prussiæ Ducatu Symbolici libri authoritarem habuit, vel habere potuit.

575. CErtum est, non aliâ magis, quàm istâ Concordiæ sive formulâ, sive potius lernâ, hydram illam Vbiquisticam conceptam, natam, educatamvè esse; ut proindè, si cunæ ipsæ monstri istius eversæ fuerint,

rint, monstrum ipsum everti in Prussiâ atque interire necesse sit. Quid verò multis opus est, ut *Formulæ Concordiæ* aditum in Prussiâ semper clausum fuisse demonstremus? nonnè, si quæ fundamenta Sectis in Prussia unquam jacta sunt, in uno, ac solo Lublinensi privilegio subsistunt? Hic enim, ipsi inter se cum Calvinianis Vbiquitæ, fontem suarum in Prussiâ Sectarum, vel potius sentinarum quærunt, dum, ut in omnibus eorum scriptis hactenus citatis, & infra citandis passim legitur, ad dictum utrique privilegium pari contentione provocant.

576 At cui dubium est Formulam Concordiæ Anno 1580. in Saxoniâ natam, cùm Privilegium illud longè ante, 1569. anno, hoc est integris propè undecim annis Lublini scriptum, datumque sit? Quo igitur pacto *Formula Concordiæ* privilegio Lublinensi probari, confirmari, vel, ut minimùm, permitti potuit, cùm lucem necdum vidisset? Nisi fortè oraculi vim de Prædicantibus obtineat vetus hexameter.

ἄιξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματα παίζει,

Capra haud dum peperit, jam ludit in ædibus hædus.

Quo verò pacto Symbolici libri, vim, robur, authoritatemque habere potest, cum privilegio dicto, ut disq. præced. vidimus, omnes Sectæ post Augustanam Confessionem exortæ, palam sint damnatæ, & è Prussia proscriptæ?

577. Forte consequentium deinceps annorum, Privilegijs, Rescriptis, aut Recessibus probatam, permissamvè dicent? At, ne quidem eius mentio, tot Commissariorum Recessibus, aut Regijs Responsis, ulla unquam facta est. Quocirca non immerito Bergius Calvinista, *in sua ad Reg. Apost. præfatione, pag. D. 1.* hac super causa disputans, ad *eandem secum navem* Vbi-

quiſtas in Pruſſiâ vocat. *Cùm omnis Religionis libertas, fundamentali illo Lublinenſi, Anni 1569. privilegio, quod Confeſſionem Auguſtanam, eiusque Apologiam duntaxat reſpicit, in hiſcè regionibus ita nitatur, ut omnes ab ea diverſæ vel poſt eam natæ doctrinæ interdictæ ſint, non utique minus accuſatores noſtros* (Vbiquiſtas ſeu Lutheranos) *periculum tanget: quandoquidem manifeſtum eſt, non modo Corpus Prutenicum* (de quo Diſq. 25. & 26.) *verum inſuper etiam memoratam Formulam Saxonicam, quæ prorſum integris quinquaginta annis, poſt Auguſtanam Confeſſionem, & poſt memoratum Privilegium, annis undecim nata, & nullo, quantum ſciam, legitimo Provinciæ huius Privilegio, aut pactis conventis confirmata eſt, Symbolici libri loco ab ijs proponi.*

578. *In quo ſanè Concordiæ libro, quemadmodum à P. Forero, aliŷsque Ieſuitis deducitur, in pluribus punctis ab Auguſtana Confeſſione, eiusque Apologia diſceſſum eſt. Quin & manu palpari poteſt, multas in ea Deciſiones novas, ac Declarationes contineri, quarum in Auguſtana Confeſſione eiusdemque Apologia, ne quidem mentio facta fuit.* Vide etiam Diſq. 26. prop. 4.

PROPOSITIO II.

Prædicantes Boruſſici, Librum Concordiæ ſuâ ſubſcriptione Confirmantes, fatuitatem ſuam orbi ſpectandam exhibuerunt.

579. RIdebat olim, Eminentiſſimus Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Bellarminus, in ſuo *de libro Concordiæ judicio*, eos, qui *diſcordiſſimam illam Concordiam* (ſic enim Hoſpinianus Calviniſta, Leonardo Huttero pro *Concordia Concorde* nequidquam laborante, eam appellavit) manuum ſuarum ὑπογραφῇ confirmandam duxerunt. *Quorſum enim attinebat*, inquit

quit ille, *ut omnes Ministri, Concionatores, Ludimagistri, hypodidascali subscriberent? certè non potest exemplum ullum eiusmodi subscriptionum, in negotio fidei, ab antiquitate peti &c.*

580. Vanitatem illam cæterorum omnium, potuit Bellarminus Prutenicorum Prædicantum insaniam dicere, vel fatuitatem. Quid enim, ut cùm Diogeniano loquar ποταμὸς τὰ πόῤῥω ποτίζων, τὰ δ᾽ ἐγγὺς καταλείπει? *quid*, inquam, *fluvius, ea quæ longè dissita sunt irrigat, & , quæ proxima sunt, præterit?* Quo isti jure, vel beneficentiæ vel authoritatis suæ rivos, in Saxoniam usque derivarunt, qui domi suæ, qui in suâ etiam Prussiâ Ducali, ne quidem tantillum, in Religione, fontem libertatis habent?

581 An non omnis, ut proxima propositione, ex Bergij quoque ore accepimus, de Religione in Ducatu libertas, ab uno, & propè solo Lublinensi Privilegio pendet? An non eó omnes, non modo à Confessione Augustanâ alienæ, verùm & post eam natæ Sectæ, proscribuntur é Prussia? Quid igitur isti alibi jura scribunt, aut potiùs (cùm vix ullus eorum, dum Formula conderetur, in Saxoniâ fuisse credatur) Juribus ac legibus alibi nascentibus subscribunt, qui domo quoque, ac Patriâ suâ, supremo jure proscribuntur?

582. Et tamen inter grandia illa, plurimaque Saxonici illius Concilij nomina (quamvis non primo, neque medio sanè loco) recensentur etiam *Theologorum, Ministrorum, & Didascalorum in Prussiæ Ducatu &c. nomina!* recensentur, inquam, singulorum non modo oppidorum, verùm & ministellorum, & ministellis infimis inferiorum, omnium nomen *ad tribum Levi pertinentium* nomina; quæ cum 315 numerum propè attingant, postremo *Pauli Lupi* nomine clauduntur, ne & eos, qui præcesserant, lupos fuisse; & unumquemque

eorum

eorum, Circa illam Concordiam, id ipſum, quod, juxta vetus dictum, λύκος περὶ τὸ φρέας χορεύων, *Lupus circa puteum*, vaniſſimè ſtultiſſimeque *choreas ducens*, egiſſe ignoraremus.

PROPOSITIO. III.

Boruſſici Prædicantes, Confeſſionem Auguſtanam ad Formulæ Concordiæ trutinam expendentes, ſibi, & alijs vaniſſime imponunt.

583. SI enim non vanitas duntaxat Boruſſicorum Prædicantum, ſed & fatuitas ingens fuit, quod cum ipſi nullum, in cauſa Religionis, jus Domi ſuæ poſſideant, jus ſibi & alijs, uti prop. præcedente vidimus, foris præſcribant; quid ni inſuper præſtigiæ, atque impoſturæ ingentes eorundem erunt, quòd ad Libri Concordiæ Articulos, ſuam, imò & aliorum, adeoque Principis ſui fidem, ac Religionem, tanquam ad certam amuſſim in Pruſſiâ, exigant?

584. Audi quæſo illos, in *ſua illa Anni* 1617. *Reſponſione*, uno ore omnes Sereniſſimo Electori ac Principi ſuo imperantes, ut ſi, quemadmodum cum ſuis vult, ad Confeſſionem Auguſtanam admitti jure debeat, Confeſſionem Auguſtanam *eo ſenſu intelligat, acceptet, atque interpretetur* (hoc enim pluribus verbis cap 4. pag. C. 1. dicunt) *quo Ordines Evangelici, Anno* 1561 *in Conventu Naumburgico, ac deindè in Libro Concordiæ, claris atque dilucidis verbis expreſſerunt.* Et pag. C. 2. jubent *eundem Illuſtriſſimum Electorem* (neque enim Sereniſſimi, titulo illum, uti Catholici facimus, dignantur) *confiteri, Auguſtanæ Confeſſionis explicationem, poſt Sacras literas, ad normam ſcriptorum Lutheri, ut & Libri Concordiæ, eſſe exigendam.*

585. Itanè verò, ô boni, is Confeſſioni Auguſtanæ ſenſus

sensus tribuendus in Prussia est, qui in libris Lutheri, vino, libidinibusque incestis æstuantis, qui in Conventu Naumburgi, qui in Saxonia, ad ipsum libri Concordiæ partum afflatus viguit? At non is Lublinensi Privilegio fuit attributus! Nostis enim, *ad solius illius Confessionis quæ anno* 1530 *Augustæ exhibita fuit, & eiusdem Apologiæ, eodem anno scriptæ, sensum respexisse, atque etiamnum respicere Privilegium illud, cùm omnes Sectas, & Doctrinas post illam Confessionem, & Apologiam natas, è Prussia proscribat.* Nunquid vos Prussiam, imò & Poloniam ipsam, Saxoniæ, vel Thuringiæ vectigales facitis, ut Naumburgo in Thuringiâ, vel Dresdâ in Saxoniâ, explicationem, interpretationem, sensumque juris accipiant?

586. Ego veró hic moneo, ut illud vetus ante oculos vobis sit, ἀντέπεσσε τὴν ἐπ' ἄγκυραν θεός: *antevertit jactum anchoræ Deus.* Quod si verò illud non agitis, si, inquam, Prussiam, Poloniamque Saxoniæ, Thuringiæque, vectigales esse non vultis, quid populo, quid caudicibus, vestri similibus, imponitis, dum è Saxoniâ, Thuringiaque petendam juris provincialis, in Prussiâ, explicationem scribitis? *nunquid hoc est* (lubet enim hic verbis ijs uti, quæ vos in *Responsione vestra ad Confessionem Principis*, in Calvinianos magis, an in Principem vestrum? exarastis cap. 4. pag. B. 6.) *abiecto omni pudore, Confessionem Augustanam publicè invadere, & nihilominus Augustanæ se Confessionis consortes esse jactare? nunquid hoc non est* συκοφαντεῖν? *nunquid non Augustanam Confessionem pro deridiculo habere?*

PROPOSITIO. IV.

Liber Concordiæ ipsius Serenissimi Prussiæ Ducis judicio, Sententiaque damnatus est.

587. SCio Vbiquistas (quanquam gravissimo, Sapientissimoque Bellarmini, super *Formula Concordiæ*, *Iudicio*,) non magnopere delectari, quòd supra errores, hæresesque numero senas, easque non minus graves, quam impias, mendacia insuper propè septuaginta in ea Formula adnotarit, orbique spectanda proposuerit: videamus quid, quantùmque Serenissimi, Potentissimique Principis sui, in eandem causa, judicio tribuendum censeant? Et ne suspectum habeant sui Principis Decretum, non alijs illud verbis, quàm quibus ipsi in *sua* Anni 1617. *Responsione cap* 5. *pag. c. ult.* referunt, referendum hic duxi

588. *Allegata Resolutio* (à Serenissimo Principe Ordinibus Marchiæ Berlini congregatis, Anno 1614. Naumburgo data) *sic rursus habet. Magis autem manifestum, & notorium est, quomodo negotium Formulæ Concordiæ sit promotum, quâ ratione ambitiosus hierophanta, Iacobus Andreæ, primatum quendam, & Lutheranum Papatum, in Templa, & Ecclesias Dei hoc medio invehere, non verò gloriam Dei propagare, modis omnibus, atque unicè annixus sit.*

589 *Quemadmodum Augustus Saxoniæ septemvir ipse se, per Confirmationem Formulæ Concordiæ, malè deceptum esse, conqueritur; quomodò ab amicis & inimicis nihili pendatur atque exauctoretur, Concordiaq; ipsa Discors esse abundè sit ostensa; quâ ratione eius conscriptores, authores, & asseclæ, de hac dilecta Helena, Formula Concordiæ (quæ benè opimas probendas, copiosam multitudinem deauratorum poculorum, holoserica Sandalia honorem, & divitias huius mundi largiri queat (cùm interim Christus dicat, Vos autem non sic) non secùs, atque Cadmæi fratres, depugnaverint, digladiatique, atque rixati fuerint, hodieque rixentur.*

PROPOSITIO. V.

Prædicantes Borussici, in Serenissimum Electorem Brandeburgicum, Principem suum, ob damnatas, cum Formulâ Concordiæ, Vbiquisticas næ- nias, aliasque sectas suas, contumeliâ & maledictis agunt.

590 PRoximâ propositione Serenissimi Ducis Prussiæ Decretum, contra Formulam Concordiæ, & quasdam Prædicantum affanias recitatum est. Quid interim Prædicantes nostri? Ingentes, scilicet, Principi suo gratias agunt! quia suam illi Vrbanitatem, Sycophantiasque ex asse Prædicanticas, ferreâ juxtâ ac meretriciâ fronte, audacissimê impudentissimeque affricant. Sic enim in suâ illâ Responsione διαῤῥήδην subjungunt. *An non hæc egregia gentis Calvinianæ modestia est! O Sycophanticam confidentiam!*

591. Forsitan existimabis istos, citra Principis sui dignitatem, in alios duntaxat Calvinistas incursare? Id ego sanè optem, ut ingenuê, & non eo, quo Χαζωνῖται Roman. more, neq; illâ Eccl. 1. 28 δισσῇ γλώττῃ, *Duplici lingua*, utantur? At negare non possunt, Decretum illud ac sententiam Principis sui esse, qui paullò ante, Principem suum in eadem Resolutione loquentem inducunt, ideoq; palàm ita scribunt *Hæc sunt Celsitudinis eius verba, in Resolutione ad Ordines Provinciales Berolini congregatos, Naumburgi 28. Martij Anni 1614 data.*

592. Si igitur eo loci Princeps ipse, ut testantur, loquebatur, utique ipse quoque deinceps loquitur: Si autem ipse loquitur, cui alij, *Calviniana*, scilicet, *modestia*, *& Sycophantica confidentia*, nisi ipsi objicitur?

Hanc

Hanc ſcilicet gratiam, apud ſuos Prædicantes inire Principes, quanquam Sereniſſimi, Potentiſſimique ſolent, hanc expectare deinceps debent: neq; enim Prædicantes aliter ἀντιπελαργεῖν didicêre.

DISQVISITIO XXIV.

An Vbiquitati, alijsq́; Vbiquiſtarum erroribus, & Prædicantum, Pruſſiæq́; paci, ac tranquillitati, è Corpore Doctrinæ Prutenicæ præſidium aliquod eſſe poſſit?

593. EXtremum Vbiquitati præſidium, à Libro, quem *Corpus Doctrinæ Prutenicæ* vulgo appellant, vel potius *ab Articulis Smalcaldicis* eo libro comprehenſis peti ſolet. Quod quale, quantique momenti ſit, & quantùm Prædicantibus noſtris tum ab Auguſt. Confeſſionis, eiusdemque Apologiæ, tum à Formulæ Concordiæ umbrâ, uti vidimus, excluſis, auxilio ſolatioq; eſſe poſſit, diſquirendum deinceps erit.

PROPOSITIO. I.

Corpus Doctrinæ Prutenicæ, eſt Prædicantum mutuis ſeſe vulneribus in Pruſſiâ, adinſtar fratrum Cadmæorum, conficientium, perenne monumentum.

594. NE forte Prædicantes, qui reapſe ac facto non ſolent, voce ac nomine offendantur; meminerint

nerint quæso eorum quæ hic Disq 23 n. 583. & seqq. recitata sunt; ac sciant velim, sese hîc à me, non tam meis quàm Serenissimi Principis Electoris Brandenburgici verbis, & quidem, *in illa sua Anni* 1617. *ad Confessionem Electoralem Responsione*, palàm citatis, *Cadmæos fratres* appellari. Postquam enim Sermus Princeps contra Librum Formulæ Concordiæ, eiusque Architectos, præsertim verò, ut ibi dicitur, *contra ambitiosum illum Hierophantam, Iacobum Smidelinum, primatum quendam, & Lutheranum Papatum*, in Lutheranas Ecclesias inducere molientem disseruit, dissertationi illi suæ ab Avaritia. & singulari Prædicantum, quasi fratrum Cadmæorum Discordia, colophonem imponit.

595. Ne verò extra Prussiam duntaxat, *Cadmæi isti fratres*, in se & in alios depugnavisse olim, atque etiamnum depugnare videantur, jam nobis ipsi Prussiæ Annales, & quidem ab ipsis Prædicantibus scripti adeundi, & res praeclarè à Prædicantibus in Prussiâ gestæ, veluti quidam ad Corpus Doctrinæ apparatus, diligenter evolvendæ sunt.

596. Interim nobis Mislenta calculo suo accedat, & Corpus Doctrinæ, Belli Prædicantici fateatur in Prussia monumentum. Pag. Q. 3. Manualis, de fine Corporis Pruten. disputans, *subordinatorum*, inquit, *vel intermediorum finium. Prior est Conservatio & Propagatio purioris Doctrinæ: Posterior verò Dissensionum ac Schismatum ex Ecclesiarum harum* (vid Prutenicarum) *proscenio totalis extirpatio; necnon stabilimentum Concordiæ, quà Doctrinam, quà ritus in universis huius Ducatus Ecclesijs.* Fateri proinde Mislenta debet, Prædicantes in Prussia, Cadmæorum fratrum more, mutuis in sese vulneribus defessos, sub Corporis Prutenici umbrâ quieti locum quæsivisse. An porro invenerint, è seqq. prop. constabit.

597. Ad quas nos accedere vix decet, nisi ipsum Principem Albertum Seniorem de hac causa differentem prius audiamus. Ille enim ad initium *Præfationis, quæ Corpori Doctrinæ præfixa est*, cum docuisset, *non ignotum esse, qua ratione elapsis aliquot annis, Dissensiones in Ecclesijs Ducatus Prussiæ ortæ sint, quæ inter Docentes & Discentes varia commoverint dissidia*; tandem subiungit, *Vulnera Ecclesiarum suarum*, Ordinatione Anni 1558. quamvis in hunc finem intentâ, *non prorsus potuisse sanari.*

598. Deinde pacem diu quæsitam, tum coactâ Synodo, atque Synodi illius Decretis, tum Augustanæ Conf. Symbolo atque contesseratione, non modo non esse restitutam, sed bella quoque magis accensa, ideoque Corpore Prutenico obruenda fuisse, ita docet *Quia verò præter spem & opinionem nostram, varij errores & corruptelæ, quæ cum Aug. Confessione pugnant, & tamen sub prætextu eius sparguntur, in Ducatum hunc nostrum, & vicinos regiones irrepserunt; utile ac necessarium in Synodo judicatum fuit, brevi aliquo scripto, quod in usum nostrorum subditorum, unà cum Aug. Confessione publicaretur, præcipuas corruptelas monstrare, & eas ex solidis scripturæ fundamentis refutare, sicut scriptum* (Corpus Prutenicum) *quod sequitur, manifeste ostendit.*

PROPOSITIO II.

Initium Evangelij secundùm Prædicantes, & prima Corporis Doctrinæ, ipsiusque Vbiquitatis fermentis, à seditione, turbis, rixis, & cædibus in Prussiâ facta.

599. QVod Vlricus Zuinglius, ille Calvinistarum Patriarcha, vel Calvini Anteambulo, de suo quondam aiebat, dici de omnium Prædicantium Evangelio commodè potest, ac jure debet; nimirum *Evangelium Prædi-*

Prædicantum sanguinem sitire. Anno 1590. *D. Vrbanus Pierius Wittembergæ* (ut testatur palam Joan Bocsaccus Gedanensium Proto - Popa , in Declaratione art X. Conf. Aug pag. 92) *pro Concione è Rostris Prædicanticis dixit, satis diu nigro atramento scriptum esse, jam superesse, ut etiam rubro deinceps scribatur.* Idem videtur Calvinus innuisse, qui libris, quibus Evangelium suum Orbi exhibebat, Gladium in ipsa fronte appingere solitus est, adiecto hoc lemmate, *non veni pacem mittere, sed gladium.*

600. Eundem Evangelij Prædicantici textum, in Polonia pro rostris Prædicanticis tractatum expositūq; palàm fuisse, testis est Stan. Orichovius, qui Dial. 5. pag. M. 3 ita scribit. *Cùm nuper pro funere Michaelis Podphilipski, affinis mei Cracoviæ adessem, Gregorius quidam Apostata in horto Domini Ioan. Bonari, pro Concione ita edixit: fieri non potest, Fratres, quin tandem aliquando, ignobili isto Papistarum sanguine, in Polonia adspergamur.*

601. Neque longè abeunt cæteri Prædicantes, dum apud vulgus *de Lumine & Luce*, nescio quâ, Evangelij sui gloriari, ac sese jactare solent. Est enim hominum istorum Evangelium fax quædam, lumine atque igne, non aliunde quàm ab aliquâ furiarum Erebi sumpto, affatim instructa, haud dissimilis ijs, quibus olim bella apud Romanos, aliosque populos indicebantur. Simul enim atque ista Prædicantici Evangelij fax uspiam refulsit, discordiæ, turbæ, cædes & bella etiam civilia ilico consequuntur.

602. Accenderat hanc facem apud Helvetios Zuinglius, & continuò Tigurini in Lucernates, aliosque Catholicos Helvetios, iterum ac sæpius arma corripuerunt; ita ut intra mensem Octobrem ter summis viribus depugnatum utrinq; sit, teste Surio ad annum 1531. Desideratis utrinque, maximè verò à Zuinglianorum parte, multis hominum millibus, ipse Zuinglius, quem

pro Evangelij sui siti avebat sorbere, primo prælio unà cum infelici animâ sanguinem profudit,

603. Accenderat in Gallia Calvinus, Beza, alijq; Calvini feciales; & quantum, quàm immane bellorum incendium totâ Gallia subitò ita exarsit, ut ad vicinas quoque provincias latè redundaret? Videatur Surius ad Annũ 1562. Sanè Florimundus Ræmundus lib. 7. c. 1. pag. 378. *In solâ*, inquit, *Galliâ nostrâ, novies, omnibus copijs & viribus pugnatum est: prælia, etiam cruentissimis, quæ unquam fuerunt, meritò comparanda, plus quam ducenta commissa; ultra decies centena civium, vel popularum millia absumpta &c.*

604. Sicut vero Calvinum Lutherus aliquantum ætate præcessit, ita maturius illâm belli facem in Germania accendit, quod vel And. Wagnerus lib. wilt du dich noch nit accommodieren? locis è *tom 7. Ienen. Germ. fol.* 201. *& tomo* 1. *Wittemb. lat. fol.* 195. *& tomo* 8. *Ien. germ. fol.* 245. alijsque pluribus pag. 123. citatis demonstravit. Ad eam lucem, quasi de longâ inter alias septentrionis tenebras nocte, subitò obortam, Thomas Muntzerus infinitam propè agrestium hominum turbam, haud indignus Luthero fecialis, excitavit; ut sumptis in clerum & una in civilem magistratum armis, per omnes Germaniæ provincias grassati, intra unam Franconiam supra ducentas arces & monasteria, ferro flammaque vastarint atque exciderint, quoad tandem cæsis, ut minimum, centum illorum agrestium millibus, rustica barbaries perdomita est, ut *ad Annum* 1525. *testatur Surius.*

605. Quid verò tandem, (ut ne quid, de illâ belli face, in Belgio, Angliâ, cæterisque provincijs horrendum grassante, insuper dicam) quid inquam, in Prussia nostra? Nolo commemorare quos Gedani tumultus, teste inter alios Cichocio *Alloquior. Osiecen. lib.* 2. *cap.* 20, imò & *Henneberg. pag.* 91. quos Elbingæ, quos

Bruns-

Brunsbergæ, quos alibi, testibus Hosio Card. *in Actis*, Thoma Tretero *in Vitis Episc. Varmien.* MM. SS. excitarint.

606. Veniam ad nostros in Ducatu Prædicantes, vel potius ad illam Evangelij facem per Prædicantes in Prussia accensam. Ac primum audio Mislentam *in suo Manuali pag. D. 6.* ita scribentem. *Extirpatâ igitur, divina sic imperante & dirigente providentia, Religione Romano-Catholica, dissipatisque densissimis errorum Papisticorum tenebris, Lux Evangelij, augusto jubare, universis huius incluti Ducatus colonis affulsit.* In eundem sensum Joan Behmius *in Concione funebri Anno 1619. Alb. Friderico Prussiæ* dicta, quatuor beneficia per Albertum Seniorem Prussiæ collata recenset 1. *Quod Provincia in Ducatum transformata fuerit.* 2. *quod Lucem Evangelij viderit.* 3. *quod Academiâ Anno 1544 ornata* 4. *quod bono in Politicis & Ecclesiasticis regimine firmata.*

607. Prope est, ut ad tam lætum nuncium, & quem Prædicantes meritò εὐάγγελιον dicant, quanquam alio, quàm ille quondam, sensu exclamem! χαῖρε φίλον φῶς! Sed ecce etiam hîc seditiones, tumultus & civilia bella! Primum enim, Albertus Marchio, ultimus Ord. Theutonici Magister, simul ac ad illam Evangelicam facem, cum in Germaniam excurrisset, oculos vertit, bello (*quod inauspicatò triennium fermè integrum arsit, cum ingenti vitæ fortunarumque jacturâ, colonorum huius, ut & Masovitici Ducatus*, ut scribit Mislenta p. D. 2) Prussiam & Poloniam involuit.

608. Ac ne dubites, belli istius incendium à Prædicantum, adeoque ipsius Lutheri facibus ortum, audi l. c. Mislentam. *Prussiæ M. Generalis Albertus*, inquit ille, *de mutando statu, & formulâ Regiminis sui, cogitare cœpit, idque* (ut vera sint quæ Disq. 17. dicuntur) *ex consilio Lutheri. Siquidem inter peregre proficiscendum us-*

que Noribergam versus, *Dux Albertus Lutherum salutavit, ab eoque uti de reliquis Doctrinæ Evangelicæ capitibus, ita de mutatione status instituenda, ut & de Reformatione universali introducenda, informatus fuit. Hinc illa Lutheri, ad Dominos Ord: Theutonici, Epistola, ut falsam castitatem fugiant, & veram Coniugalem castitatem amplectantur Tom. 2. Ienen. Germ pag. 192.*

609. Deinde *Paulus Speratus*, tanquam verus Lutheri fecialis, cum accensa Evangelij illius face, *Anno* 1524. (ut Mislenta pag D. 3. scribit) *in Prussiam missus*, fulgentes adhuc à bello civili gladios & bipennes, nova illa suæ facis luce accendit, & ad exturbandas è Templo Cathedrali Cœlitum imagines, armatam plebis manum submisit, sive, ut Mislenta ait, *Idololatrica simulachra, ex Templo Cneiphoviano à pueris, & mechanicis deturbari, & exterminari, die Martis post Dominicam Invocavit, permisit*: vel potius, Henneb. teste pag. 213. *suasit*.

610. Præterquam vero quod hæc, aliaque id genus diram illam Prædicantici Evangelij lucem consecuta sint; Ecce (ut *similem atque eundem prope effectum, eidem aut simili causæ tribuendum scias*) in Prussia quoque agrestium, & rusticorum seditiones, bella, & cum aliorum, tum potissimum Magistratuum cædes! Anno 1524. quo in Germania tumultus, & bella, ut vidimus, rustici excitabant; eodem plane tempore, plerique in Prussia rustici, quibus ad miram illam Evangelij lucem perstricti erant singulariter à Prædicantibus oculi, ad libertatem Prædicantico- Evangelicam, (quæ aliud nihil, nisi effrænis licentia carnis est) adspirare; magistratum, non secus atque equi ferocientes sessorem, excutere! & arma undique, ac cædes cum cæterorum, tum cleri potissimum, ac nobilitatis, sub cuius potestate plerique erant, respicere!

611. Caymen pagus est, haud longè Regiomonto dissitus. In eo rustici, libertatis scil. Evangelicæ studio æstuan-

æstuantes, multa de nobilitate, multa de cæteris magistratibus quiritari assueti, molitori ejusdem pagi, eadem libertatis sive studia, sive curas accenderunt. Factum interim est, ut molitor rixam apud uxorem domi natam, vitaturus, dilutis in cauponâ liberius curis, noctem inibi traduceret. Dormienti vir grandævus (forte qui cum Lutherus aliquot salis modios ante vorarat, ut *ad illam de Missa angulari disputationem*, non omnino accederet insulsus; vel qui itidem Zuinglio in somnis apparuerat, quanquam ater an albus esset, ut in somnis, dignosci non potuerit) sese visendum offert, & ut rusticos vicinos, propositâ temporis oportunitate, ad audendum exstimulet, monet. Facit molitor imperata, neque minus rustici.

612. Subito centena aliquot agrestium coeunt, nobiles viros, heros præsertim, vel magistratus suos, invadunt; nullius se alterius, nisi Principis solius subditos jactant; ab heris suis vel libertatem, vel etiam vitam fortunasque omnes vi extundunt; omnibus deniq; (præsertim cum numerus in dies cresceret, & jam supra tria rusticorum millia in armis essent) extrema queque minitantur. Neque secus fecissent, nisi Princeps, Feudo primum accepto, Cracoviâ redux, partim suis, partim oppidanorum quorundam, & maximè Regiomontanorum blanditijs ac promissis, barbaras mentes composuisset. Consuli de his potest *Henneb. pag.* 117. verbo *Kaymen*, & Mislenta *pag. D.* 7.

613. Eodem plane tempore, uti scribit *Henneberg. pag.* 176. in ipsa Ducatus arce, *Regiomonti*, *mechanici & servilium artium præfecti seditionem in Magistratum accenderunt*. Neque sedari tumultus ante potuit, quam Corydones illi ac cerdones, honestissimo cuique ac liberalissimo exæquarentur, atque adeò ad prima etiam senatorum cæterorumque magistratuum subsellia, (digni vid. ea maiestate reges!) admitterentur. Admissi

igitur sunt, sed dum in curia, vel publicis alibi negotijs tempus terunt, & artes interim, atque una, quo vivebant, quæstus & lucrum domi jacent, dicto curiæ alijsque Reipub. negotijs vale, ad *suas rediere crepidas*. Atque hæc prima Evangelij Prædicantici & Vbiquisticarum næniarum inter bella & seditiones, imò & cædes, in Prussia fuit sementis.

PROPOSITIO. III.

Inter prima Evangelij Prædicantici fundamenta Furcæ, cruces, patibula, in Prussia quoque, substructa sunt.

614. IAm olim, non magis de sui quam de nostri seculi hæreticis, Tertullianus Christianorum I. C. *Mirabiles vos*, inquit, *architecti estis, qui paucis annis, omnia ferè ducentorum retrò annorum opera deiecistis!* Ita Jureconsultus Burdegalensis Florimundus Remondus, lib. 7. cap. 1. Tertullianum citat, quando de vastitate orbi Christiano per sectarios nostros inducta agit. Quippe subruere, evertere, & ruderibus permiscere omnia, Prædicanticæ architectonices insigne est. Longè enim isti superant *Horatianum illum Vitruvium*, qui

Destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

In una Gallia, ut iterum Florim. Ræmundum l. c. loquentem audiamus; *Quas urbes, arces, & oppida, non diripuerunt? an ullus toto ferè regno locus fuit, qui non captus, mox receptus, inde iterum receptus, & omni belli clade vexatus fuit? Tam longa scil. civilis huius belli calamitatum fuit series, tam prolixa malorum nostrorum Ilias, ut facilius fuerit in hoc Regno, locum aliquem aere vacuum, (quanquam id per naturam fieri non potest) quàm à belli miserijs immunem reperire.*

615. Magna cœli cœlitumque providentia, & benigni-

nignitas in Prussiam fuit, quod architectonum istorum, tam latè evagari non sit permissus furor. Et tamen impressa adhuc sunt fœdissima plurimis locis furoris illius vestigia. Quid enim memorem nobilissimum illud, à Sacrosancta Trinitate appellatum cœnobium? Illud inquam, eversæ veterum Prutenorum idolomaniæ singulare trophæum? Memorant Annales Prussici (*tum MS. Thomæ Treteri* in vita Joannis I. vulgo *de Misnia* dicti, Episcopi Varmien; tum Henneberg. V. Dreyfaltigkeit / & ex eo Mislenta A. 3.) in Provincia Natangia, quercum admirandæ magnitudinis, ita ut diameter eius sex cubitorum esset, triplex gentilium Prussorum Idolum, quorum uni nomen fuerit *Potollo*, alteri *Percunos*, tertio *Potrimpus*, ramis admodum densis, & qua hieme, qua æstate perpetuò viridantibus, sustentasse.

616. Eo deinceps loci, in honorem SS. Trinitatis, erectum à Christianis Templum, & Sodalium Augustinensium Cænobium, eo usque floruit, quoad Prædicantes Prussiâ non vidit. Nam ad eorum adventum, (ut scias quantum isti in architectando habeant industriæ, & pietatis) Deo Divisque ereptus eo loco cultus, & *Cænobium*, quod vel Mislenta fateri debuit, *antiquitus extructum, in profanos usus mutatum* Nobiles viri familiæ suæ nidum eo loci posuerunt, haud magno sanè honore, cùm hodieque Aula illa *Monasterium*, vulgo zum Kloster vocetur; forte nec maiore commodo, cum huiuscemodi in locis, vix aliud, quam *aurum*, ut aiunt, *Tholossanum*, legi soleat.

617. Quid etiam memorem, tot & tam ampla varijs in urbibus Religiosorum cœnobia, vel sacras Virginum Parthenones, prope in propudia versas? Sanè Regiomonti *Templum S. Crucis*, eique adiectum olim ἀσκητήριον, in officinam æri tormentisque conflandis

destinatam (egregiâ metamorphosi!) conversum, atq; *ita profanatum esse*; jam vero *Templum D. Magdalenæ prope arcem situm, ubi nunc Moneta cuditur, jam tandem desijsse*, fatetur ipse Mislenta pag. c. 3.

618. Templum *Spiritus Sancti*, & quidquid tota illa veteris oppidi insula (arcis in morem cinctâ ac munita, ut quæ Cathedralis Ecclesiæ juribus ac privilegijs, in Kneiphoff deinde translatis, gauderet, Henneberg: teste qag. 209.) eidem Templo Sacrum dicatumque ambibat, partim in prophanas opificum ædes, partim in publicum macellum, & fædam pecorum pecudumque lanienam ita versum est, ut paucis abhinc annis, cùm vetera cæmeterij fundamenta κερδεργοὶ illi ac lanij (nisi fortè pro merito suo κερόμυξοι ex vetere formulâ dici malint) eruderarent, condita olim fidelium ossa, aliquot plaustris egesta sint. Quod quidem, neque ipsis Prædicantibus ferendum visum: ut Pastor urbis veteris, ni fallor Bernardus Derschovius, tantam rei indignitatem, vel potius barbariem suorum, non sine mali ominis præsagio, severâ ad confertam populi civiumque concionem reprehensione castigarit.

619. Quid Sacrum *Virginum in* Löbenicht *cœnobium*? *quid Fratrum Minorum de observantia*, amplæ in eodem Löbenicht ædes? Nonne istæ in publicum granarium, illud vero in Ptochotrophium, curæ & sceptro Prædicantum subiectum, à primo Prædicantum adventu conversum? Quid *Cænobium Ordinis Prædicatorum*, ad principem eiusdem oppidi Löbenicht ædem in monte situm: Quid tot, & tam varia Religiosorum domicilia, in Velau, Schippenpeil, & alijs locis? Nonne Prædicantum filij, illi sive Lycophronæi αὐτοκάνδαλοι, sive Demosthenæi αὐτολήκυθοι, semper tamen ἀλλοτριοφάγοι, ubique stabulantur?

Sed

620. Sed hæc uti immania, infandaque sint, redolere tamen Prædicantum pietatem possunt, quia à furcis, crucibus & patibulis utcunque absunt. Illud planè Prædicanticum est, quod *ad Lindam* erectum ab istis trophæum fuit. Est Linda nobilissimum, & à miraculis, atque incredibili populorum frequentiâ ac Religione, celebratissimum Deiparæ Virginis sacellum, quod ante annos circiter triginta, *Otto à Gröben* genere, doctrinâ, rebusque pro Patria, & Principum suorum dignitate, præclarè semper gestis illustrissimus, quanquam Sirenum Prædicanticarum vocibus, necdum id temporis, (quod deinceps cum *Ioanne filio* familiaque sua fecit) aures occlusisset, ad Serenissimorum Poloniæ Regum, Principumque virorum quà postulata, quà vota, Catholicis restituendum cessit; Stephanus verò *Sadorscius* S. R. M. *Secretarius*, (Episcopo Varmiense *Simone Rudnicio* non modò cohortante, verùm & strenuè ubique adiuvante) à fundamentis iterum erexit, ornavit, & ad illam populi religionem, quæ tot seculis, à conditâ apud Prussos Christi fide atque Ecclesiâ, ad miraculum usque semper viguerat, revocavit.

621. Istum Deiparæ, imò Dei ipsius cultum, *alastores, lavernionesque* isti nostri, cùm in Prussiam advolassent, ferre æquo animo non potuerunt id loci. Sacellum igitur tam augustum, & quotidianis miraculis clarissimum, sive Principis ipsius Alberti, (quod ego, quanquam asseverante Mislenta, nusquam crediderim) sive, (quod Michael Ciaricius historiæ Lindensis scriptor, Presbyter Varmien. è veterum monumentis, & constante omnium famâ adstruit) Præfecti Rastenburgensis operâ, funditus exscindunt, ac solo æquant.

622. Et quia, ne sic quidem illam Evangelij sui facem, satis sibi accendisse, aut Religiosi populi oculos, suo illo splendore ac luce perstrinxisse visi sunt, ad a-

verte-

vertendas piorum peregrinationes, ad accersendam religiosis animis nauseam, ad excitandum accendendumque in innoxijs populi mentibus, viperinum illud suum in Deiparam odium; denique ad fundandum firmandumque totâ Prussiâ, *per excidium Lindæ*, Evangelium suum, in ipso, quo Sacellum, & Ara Deiparæ apud Lindam steterat, vestigio, mitissimi scilicet homines, & novi, neque usquam visi *Angeli pacis*, furcam sive patibulum erigi, imo & homines, quotquot Religionis causâ, ut ante, accederent Lindam, atque eo ipso nomen Evangelio novo dare gravarentur, attolli in altum ac suspendio necari curant.

623. Gratior fortasse, atque etiam vero propior rei istius series aliquibus videbitur, si Mislentæ verbis aliquanto etiam uberius hic referatur. *Commemoratione dignum occurrit*, (sic enim ille pag. D. 4.) *de destructione Fani ad Tiliam extructi, ad quod peregrinationes, Indulgentiarum impetrandarum gratiâ, ut & impetrandæ valetudinis causa, ab undequaque hominibus illuc confluentibus, institui solebant. Nam quem locum, una cum fano illo, in summo honore & censu habuerat olim, tenebris Papalibus obtutus* (Albertus) *Princeps noster; adeo ut pedester, discalceatus, ac nudis pedibus, Regiomonto ad illam Tiliam, peregrinationem quodam tempore instituerit; eiusdem fanum, non modò diruit, ac solo æquavit*, (non utique suo, sed illius, quo cætera inchöasse ac gessisse, referente eodem Mislenta hic prop. 2. n. 608. audivimus, eiusdemque coapostolorum consilio) *verum etiam sub mulcta Patibuli peregrinationem subditis suis illuc interdixit: hocque pœnæ genere, inobedientes ac contumaces Idololatras in hoc Ducatu, quotquot ad locum illum, cultus gratia, devenisse deprehendebantur affecit; adeoque Suspendio puniri curavit, uti annales perhibent.* Eadem ferè, pag. Z. 6. idem repetit.

624. Non dissimili zelo, vel potius *in Deum & pro-*

ximum pietate, de Regiomontanorum nostrorum tribu, Matthias Stoius, in Aloysium Lipomanum, Apostolicum ad Regiam in Poloniâ Maiestatem Nuncium, usus deinceps est. Scripserat Lipomannus ad Palatinum Vilnen. Nicolaum Radivilium Epistolam, quam Paulus Vergerius Apostata, cum eiusdem Responso Ducis, *typis Regiomontanis Anno* 1556 non sine quorundam Regiomontanorum acroamate, in lucem edidit. Inter alia extat adhuc scripta, hoc titulo, *Omen Matthiæ Stoji Regiomontani, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris*, Elegia: In qua sic canit

Sed Lipomane dabis, si me non omina fallant
Pœnas, ultor erit primus & ipse Papa
Dùm, male Legati perfunctus munere, Romam
Vt decet, in servo vincte traheris equo.
Ante sed & statuens tibi grata Polonia Furcas,
Hac curâ poterit forte levare Papam.

Sic iste Prædicantum spiritu plenus, nil humile, sed sublimia omnia v. g. Fureas &c. Prædicantice spirat, & quam ab isto novo Evangelio dedicerat gratitudinem, non jam Spiritu sed impudentiâ Prædicanticâ, *Gratæ scil. Poloniæ*, affricat!

625. Haud ita facilè quis assequatur, utrum Borussici Prædicantes istam sementis faciendæ, ac propagandi Evangelij sui rationem, ab Osiandro didicerint, an verò potius Osiander ab ipsis! Nam & Prædicantes illi, ante Osiandri in Prussiam adventum, artem istam satis utique percalluerant, qui, uti vidimus, tam egregium apud Lindam, specimen eiusdem edidissent: & Osiander ceteris omnibus videtur palmam voluisse præripere, qui ut testis est *Conradus Schlüsselberg in hær. Osiand.* pag. 243. apud Vlembergium in *Vita Osiandri pag.* 563. dicere solitus fuerit, *per tria A A. A. causam, doctrinamque suam haud dubie defendendam promovendamque esse. Rogatus quæ tandem illa Tria A. A. A. essent? Respon-*

dit ver-

dit vernacula lingua, Primum A. esse, den Allmächtigen / id est Omnipotentem: Secundum vero Albertum, vid. Prussiæ Ducem, patronum ac Dominum suum: Tertium denique, Adamum, id est Carnificem Regiomontanum, cui, id temporis, Adamo nomen fuit.

626. Neque alia sane Evangelij Prædicantici jacta fuerunt Gedani fundamenta; neque alia fuit faciendæ sementis ratio. Qua de re juvat audire *Bernardum Vapovium, in suo* ad Cromerum *fragmento*, cui & *Henneberg pag. 91. seq. & Florus Polonicus lib. 3. cap. 6 num. 9.* haud multum abludunt. Sic autem ille *Per id tempus, Gedani tumultus exortus est die 22. Ianuarij* (Anni 1525. quo Rustici in Germania, & alijs Prussiæ locis, ut vidimus, Prædicantici Evangelij tubis ad seditionem bellumque accensi) *duravitq; per diem totam sequentem. Maxima Regiæ civitatis pars, stolida ac nefaria impietate Lutheranam hæresin suscepit. Senatus per biduum furori populari* (quem pluribus describit Henneb. l. c.) *restitit: postremo victus, insaniæ cessit multitudini, ac in ordinem sese redegit. Lutherani potentia prævalentes, vilissimos de plebe in Senatum legerunt, scribamque civitatis Proconsulem crearunt. Templa inde & cœnobia omnia profanata, & supellectili sacra, quæ ex gemmis, auro, & argento, multa & preciosa erat, spoliata. Enimverò ad tantam Gedanenses dementiam devenerant, ut patinis & calicibus sacris, in prophanis mensis, & cœnis privatorum, per contemptum uterentur, sacraque omnia illis essent ludibrio.*

627. Paucis eadem perstinxit Martinus Bielscius ad 1526. annum. *Gedanenses*, inquit, *nova moliebantur; fidem & jura nova effingebant: Episcopi, qui tunc erat Drzewicki monita, & mandata Regis flocci pendentes. Cum eo Rex venisset, invenit Templa deserta, sine ministerio, officijs, ceremonijs: invenit etiam multam novam, qua punire volebant eos, qui se, factaq; sua non imitarentur.*

628. Quinq; Prædicantum, qui istas Evangelij re-

bellionisque faces accendebant, refert Hennebergerus nomina: quos tamen inter, strenuò rem Prædicanticam gerebat, *Ioannes Solcius*, vel, ut apud Henneberg. vocatur, *Salicetus*; *qui* (ut, à Philippo Bischovio vetere Consule, apud tribunal Regium Gedani Anno 1526. convictus est) *sua suorumque ope, & sacras ædes aureis argenteisque vasis spoliavit, & conscenso suggesto, primus ipse Lutheranam hæresin, in principali Templo concionari ausus fuit, & denique* (ut maiora melioraque Evangelij istius fundamenta jaceret) *Furcam, Rotam, & Gladium, ante Urbis prætorium erexit.* Quapropter, ut hisce Vapovius pag. 596. subiungit, *non multò post, cum tredecim suæ impietatis socijs Lutheranis, qui maximè fuerunt culpabiles, gladio est percussus, aliis in exilium actis &c.*

629. Eant porro nunc Prædicantes, & non modo *Sanctæ Inquisitionis* tribunal, in quibusdam Catholicorum regnis institutum, verùm & omnes Catholicos, præsertim Antistites, in summam populi invidiam odiumque vocent! Scribant *Acta Martyrum suorum*, obiectent Catholicis enses, rotas, ignes, quæ non tam Hussij, Hussijsque simillimi, à Catholicis passi sunt, quàm quæ ipsi Prædicantes vel in *Servetos, Gentiles, aliosque* cum Calvino exeruerunt, vel in Catholicos per Angliam, Galliam, Hollandiam aliasque provincias necdum expromserunt omnia, habent tamen apud animum suum certis ideis designata ac descripta; ita ut dum *Sanctos Brandarios*, quod nuper fecerunt, *gladios*, *sicas*, *rotas*, & omnem latronum, vel parricidarum apparatum, pro insigni gestantes, fingendo depingunt, neminem magis, quàm seipsos lepidissima illa Poesi ac pictura imitentur.

630. Quod ut deinceps etiam luculentius faciant, atque ut *Brandarios suos*, vel potius semetipsos in *Brandarijs*, orbi melius exhibeant spectandos: poterunt ad Brandarij insignia, è *Theatro Crudelitatis hæreticorum*,

(quod

(quod quidem ipsi struxerunt ac dedicarunt, etsi alij ediderint) non paucos, neque omnino ignobiles adijcere colores. Interim ego illis, tum Catholicorum tyrannidem, tum suam lenitatem more suo attollentibus, cum Augustino paucis repono. *Dicitis Vos*, in Religionis causa, *sævire nolle; Ego vero etiam non posse dico. Quando enim potuistis, & non fecistis? &c.*

PROPOSITIO. IV.

Incrementa Evangelij secundum Prædicantes, & primus flos, aut herba Vbiquisticæ in Prussiâ doctrinæ, varijs ac perpetuis suorum discordijs & rixis, quasi tribulis, spinis, aut lappis propè oppressa.

631. QVemadmodum Anno 1525. in Prussia æquè, atque in Germania, non jam rastris aut vomeribus, sed hastis & gladijs, funesto illo utrobique rusticorum bello ac tumultu, ad accipiendam Evangelij Prædicantici segetem, præparatum est solum: ita Anno 1530. sementis illa in herbam utrobiq; ac florem erumpere, atque adolescere videri potuit. Si enim Misientæ nostro, *pag. D. 5. & seq.* credimus, illo ipso Anno 1530 in Prussia non modò *Agenda*, ut vocant, *nova*, & *Rituale* Ecclesiasticum, à Polentio & Sperato Pseudo-Episcopis formata figurataque sunt, verùm & *Confessio August.* Carolo V. *exhibita, ceu libellus Symbolicus, recepta, & cunctis illius Ducatus Ecclesiis sub interminatione Excommunicationis*, latæ scil. à Principe sententiæ, ut ibidem subditur *iniuncta.*

632. Accessit his, circa Annum 1544. novum in Prussia Evangelij istius germen, *Academia vid. Regiomontana*, & circa Annum 1554. *Confessio* in Synodo Regiomontanâ edita; & denique circa Annum 1558. *nova*, ut

va, ut vocant, *Ordinatio* sive *Corpus Doctrinæ Prutenicum* (nam & hoc nomine appellatur *in Responso Anni* 1617. *p. B.* 2. *& B* 3.) ad dilatandam Evangelij lucem Ducis & præcipuorum operâ Prædicantum in lucem productum. Verum & hic, non jam *aliquid*, ut est apud Justinianum in Digest. sed omnia *in prato spinosa* Quid enim eorum, quæ memorata sunt, sine summis Prædicantum rixis, imò civilibus bellis provenit?

633. Iam quod illam Anni 1530. Synodum, & *Agendam*, ut vocant, eadem Synodo cusam, ac promulgationem tam exactam Confessionis Aug. attinet; vix geminus iste splendor aut lux Prussiæ apparuit, cum veluti ad jactatas belli faces, concurrere inter se Prædicantes cæperunt. Nam, *ut Henneberg p.* 393. *& Mislenta pag. D. ult* prodiderunt, *Anno* 1532. *novum Satanas nebulonum Anabaptisticorum* (sunt hi germanissimi Lutheranorum nepotuli,) *quibus ex parte permixti erant Sacramentarij* (uterini scil. Lutheranorum fratres, imo id temporis vix alio quam Lutheranorum nomine censi) *hasce in oras protrusit, qui perquàm plurimos, in errorum præcipitia à veritatis tramite abreptos, in nassam suam pertraxerunt; hocque pacto vulnus Ecclesiæ adhuc tenellæ ac subolescenti exitiosum inflixerunt.*

634 Quid ageret Princeps hominibus, qui, contra Sophoclæum illud τί δάκρυον εὕδον ἐγείρεις; *lacrimas jòpitas excitarent*? Lutheri consilium per literas exquirit. Respondit ille (ut *Tom* 5. *Ienen pag* 488 videre est, & refertur à Mislenta pag E.) *Qui dicto audientes non essent, tota Prussia exturbandos esse.* Sed illi, (qui non secus ac cæteri de Lutheri schola, Evangelij sui tædas tanquam Promethei novi de illius sive solis, sive potius Phaethontis curru accensas jactabant, teste Henneberg l. c.) *eo rem promoverunt*, ut publica Disputatione eodem Anno Rastemburgi instituta cum adversa-

rijs congrederentur; *hinc qvidem Eccelio ac Taukero, indè verò Paulo Sperato ac Polyandro* digladiantibus. Quo verò tandem exitu? Eo scilicet, qui lenitatem quam Evangelici isti fratres à nobis prope convitio extorquent, decebat. *Qui enim in contumacia*, hoc est in ea virtute quæ Prædicantum propria est, *perseverarunt, solum vertere eodem Anno* 1531, *coacti sunt*.

635. Jam verò Academia Regiomontana) quæ *Phari instar alicuius* erecta fuit, unde ille Prædicantici splendor Evangelij momento Prussiam totam accenderet) quid aliud initio, quid deinceps seculo integro fuit, quàm eorum receptaculum ignium, quos per Siciliam *Angaros* dici, & publicæ nuncios calamitatis esse, *in Argenide lib.* 1. *Timoclea* edixit? Quot enim Prædicantes (nam alios celeberrimæ illius Academiæ Professores, hoc præsertim statu ac tempore, judicio hoc sententiaque exemptos ac liberos pronunciavi) illic unquam fuerunt, totidem belli civilis ac publicæ calamitatis faces & *Angaros* fuisse credas.

636. Anno 1544. die 17. Augusti erecta fuit Academia illa, *teste Henneb. pag.* 216 Gergio Sabino, Phil. Melanchonis genero, insigni id temporis Poeta, perpetuo Rectore constituto; qui tamen mortua Anno 1547. uxore, honorem & curas in alios partitus est. Quadriennio vixdum evoluto Andreas Osiander, propter librum *Interim*, de quo *Disq* 21. *prop*, 14. Noribergâ, totaque adeo Germaniâ profugus, Academia illâ receptus, eos quà scriptis, quà publicis in urbe veteré concionibus (cesserat enim illi Pastoritiâ apud Palæopolitanos dignitate M. Joannes Funccius) accendit Prussia tota hæreseon, & publicæ calamitatis ignes, adspirante præsertim benigna Principis aura, quos ad hæc usque tempora, nemo ferè magis, quam ipsi (ut videre est *apud Henneb. pag.* 180. 217. *Mislentam pag E*,2, *& alibi sæpius*) execrantur Prædicantes. Non commemo-

rabo

rabo, quæ Disq. 17. prop. 6. & seq. dicta; illud duntaxat compendio dicam, illos Osiandro-Prædicantici Evengelij ignes, ad ipsa Provinciæ fundamenta usque pervagatos, nonnisi Regis Reique publ. Polonæ subsidio domari potuisse.

637. Quanquam enim Osiander Anno 1552. subitâ apoplexiâ tactus, infelicem Orco spiritum reddidit, Osiandrici tamen, Principis gratia atque authoritate subnixi, ita omnia non modò sacra, verum & prophana susque deque habebant, ut cum per annos minimum quindecim, carceribus, exilijs & omni Prædicantico furore, in alios quoque Prædicantes grassati essent, (Joanne Funccio, Andrea & Joanne Aurifabris, alijsque ductoribus, quos tamen Vitembergensis ac Lipsiensis Academiæ calculis in sententia ac propositio confirmatos, diffiteri nequit Mislenta pag. O. 5.) necesse fuerit ab universis Prussiæ Ordinibus, Regis & Regni Poloniæ auxilium implorari. Missi quocirca sunt die 23. Augusti, Anno 1566. Regij cum potestate Commissarij, qui *servato per omnia juris processu*, non modò in authores malorum omnium Prædicantes, verum & in Principem ipsum (quod nisi Prædicantes ipsi testarentur, quis crederet?) uti turbulentissimorum hominum patronum ac fautorem, juris actionem institui, pro more & usu Provinciæ, voluerunt.

638. Fuit inter varia judiciorum tribunalia, illud in Prussia singulare, quod vulgo Ritterbanck, quasi Equestre subsellium dictum, Crucigerorum temporibus institutum fuit, ad causas, quæ cum ipso Theutonicorum Ordine, tanquam supremo in Prussia Dominio, reliquis Ordinibus intercedebant, ex æquo & justo decidendas. *Huiusce modi igitur judicium*, ut scribit Henneb. pag. 222. itidem Ritterbanck dictum præsentibus Commissarijs, *die 12. Septemb. lectis de equestri Ordine duodecim judicibus, judicijq; totius Præfecto Ioanne Truchsesio,*

sesio. & Canitijs in Principem actoribus, institutum fuit. Quod porro judicij illius decretum fuerit, ex eventu divinare licet. Coactus enim Princeps est auctores malorum, & illas tumultuum bellique civilis faces, tradere ac sistere Commissarijs Regijs Prædicantes; Funccio, nequidquam ad ipsius Principis usque sinum, confugiente, & cum gemitu, lacrymisque, ne traderetur, muliebriter deprecante.

639. Die 14. Septemb. coniecti in carcerem Cneiphovianum, ad 28. Octobris, quæ dies SS Simoni & Judæ sacra est, diligenter servati, tandem in forum Cneiphovianum producti, gladio jugulati sunt, M. Joannes Funccius, Matthias Horstius & Joannes Snellius; Joanne Steinbachio qui ad illos Trium-Viros in carcere, uti & in agitandis belli facibus quartus accesserat, in exilium acto. Tragædiam hanc, vulgari illo chronosticho jam olim comprehensam.

sIMonIs IVDæ, sneL, fVnk, horst, Interlere,

multis prosequuntur Joach. Mörlinus Vigandus. Henneberg pag. 222. seq. & post hos ipse Mislenta à pag. E. 2. usque ad O. 7.

PROPOSITIO V.

Fastigium Evangelij secundum Prædicantes, & Vbiquisticæ Doctrinæ messis, in compilato Corporis Prutenici libro, ad extinguenda Prædicantum bella, frustra expectata & quæsita.

640. PRæter libros plurimos in Germaniâ, Prussiâ, alijsque provincijs ultro citroque scriptos. & à Mislenta pag. E. 7 F. 4. & seq. citatos: præter item *Confessionem Pseudo-Augustanam* seu (ut Misl. p. L. 1. & seq. vocat) *Spuriam*, hoc est à Melancthone alijsque

Varia-

Variatam & in Prussiâ quoque variè obtrusam; ita ut Princeps ipse, in Præfatione Corporis Prutenici coactus sit fateri, *Præter spem & opinionem suam, varios errores & corruptelas, quæ cum Aug. Conf. pugnant, sub ejusdem prætextu sparsas, in suum quoque Ducatum, & vicinas Regiones irrepsisse*: præter hæc, inquam, aliaque id genus triplex insuper machina fuit, quâ hactenus Osiandristæ in suam, & suorum Prædicantium, imò & totius Prussiæ perniciem arietarunt.

641. Prima fuit *Confessio* illa Anno 1554. *in Synodo Regiomontanâ* edita, de qua disq. 17. Altera *geminum Principis Mandatum*, quorum alterum 24 Sept. Anno. 1554 alterum 11 Aug. 1555. prodijt, teste Mislenta p H 5. & I. 1. Vtriusque summa fuit, ut Henneb pag. 217. loquitur, *Compelle intrare. Accinxerat enim Funccius Principem, stricto in repugnantes gladio. Ita mandatum illud non modò palàm vendebatur, verùm & omnibus tribus Regiomonti civitatibus eius executio imperata. Missum proinde est ad omnes alias Præfecturas & oppida ut singulis Prædicantibus traderetur, qui id sub gratiæ divinæ humanæq; conditione, & periculo capitis è vestigio exequerentur.*

642, Intercessit porro priori Mandato Joachimus Mörlinus, Pastor Cneiphovianus, scriptâ & publicis typis editâ contra illud censurâ; sed mercedis loco, subito & omnibus insperato, multatus est exilio, de quo Henneb. pag. 217. Intercessit alteri præter eundem Morlinum jam Brunsuigæ exulem, aliosque Prædicantes, cum Flaccio Illyrico extra Prussiam id allatrantes, ipse Principis gener, *Ioannes Albertus Megapolitanus Dux*, tum scriptis ad socerum pluribus Epistolis, tum suscepto in Prussiam itinere, & coactâ Risenburgi Synodo, de quibus Disq. 17, prop 9. Sed & huius Synodi, omniumq; aliorum Megapolitani conatuum, non alius fuit exitus, quam quod Prædicantes illi, post illatum

Exilium *Ioanni Pontano Academiæ Rectori*, *Wolfgango à Kitritz*, *Bartholomæo Wagnero*, *Francisco Stankaro*, *Friderico Staphylo*, *Ioanni Placotomo*, *vulgò Bretschneider Rectori*, *Ioanni Stossero*, *Bartholomæo Sontag*, *Georgio Popitzer* Tertiam, eamque reliquis valentiorem machinam in adversarios produxerint.

643. Tertia proinde Machina admota est per *Agendam*, ut vocant, vel *Ordinationem Ecclesiasticam*, vel *Corpus Doctrinæ Prutenicum* Anno 1558. scriptum à Joanne Aurifabro vel Funccio. Magnum ea Agenda (ipsi Prædicantes singularem illam belli machinam, singulari numero efferunt) rei Prædicanticæ, ac præsertim Vbiquitariæ exitium afferre visa; nam & Ritus ac ceremonias veteres, jam inde à Lutheri temporibus usitatas, & quæ Vbiquitarij causæ suæ, *de Communicatione Naturarum, idiomatum &c.* substruxerant fundamenta, á stirpe subruebat; uti fuse tum Henneb. tum Mislenta, tum denique Ministerium Regiomontarum Vniversum in sua Anni 1617. Responsione deducunt.

644. Et tamen ea *Agenda* probata fuit à Melanchone, quod Mislenta diffiteri cum non possit, Melanchthonis, (tanti apud Lutherum Lutheranosque viri!) authoritatem elevare, eumque, uti ad Calvini castra transgressum, in ea causa minime audiendum esse, contendit. Probata item fuit, atque asserta á Brentio Vbiquistarum Principe; adeo ut Mislenta pag. N. 2. *Dissimulare*, quantumvis velit, *non possit, Brentium ab initio certaminis Osiandrici aliquid humani passum fuisse.* Denique probata fuit ab Academia Argentinensi, in qua si aliorum judicia, tanquam Calvinistarum, Mislenta contemnit, Marbachij tamen, *quem Orthodoxum ac sinceræ religioni addictum fatetur*, contemnere non potest.

645. Sed utut exterorum calculis probata non fuisset, satis fuit, domi, & quidem severo admodum

Prin-

Principis mandato probata, & omnibus, toto Prussiæ Ducatu, citra delectum imperata. Quid igitur consequi aliud potuit, quám novum ac civile Prædicantum bellum? Vel potius Evangelij Vbiquistico-Prædicantici ruina? Et sanè utrumque abunde secutum est. Nam & Joannes Aurifaber, *teste Mislenta pag. N. 3. seq.* Lysandrum imitatus, *quò leoninam pellem producere non potuit, vulpinam adsuit*; & nunc vi, nunc dolo bellum illud promovit. Neque enim publica jam Synodo aut conventu, quo viribus in unum coactis, omnes una resistendo essent, Agendam obtrusit, sed unius præfecturæ seorsim Prædicantes aggressus, cum expugnasset, aliò exercitum traduxit; adeo ut cum in Sambiensi Episcopatu victoriæ trophæum erexisset, ad Pomesaniensem eadem causa transitum fecerit: in id unum ubique intentus, ut quos *cum Hercule Ogmio* trahere revinctos ab aure non posset, *cum Thebano* clavâ impelleret. Vbi enim suadendo ac pelliciendo nihil profecit, mandato Principis in repugnantes desævijt.

646. Itaq; vicinos primùm in Brandeburgen præfecturâ adortus Prædicantes, è quatuor supra vicenos, vix octo reperit reluctantes, *ut testis est Mislenta pag. N. 4.* Quos Regiomontum pro Consistorij Tribunali citatos, cum eo quoque loci illam ταυτέλς φιλοτησίαν aspernarentur, *ceu contumaces exilio multavit.* Jam verò in alijs Præfecturis, maiore etiam victoriâ potitus ubique est Aurifaber, ita ut Mislenta, de omni Prædicantum numero, vix duos invenerit, vid Joannem Mòrgenstern Gilgenburgen. Salomonem Calachium Schwansfelden. qui *herbam victori porrigere* gravarentur, ideoque mererentur proturbari in exilium.

647. Atque hunc in modum prope momento debellatum totâ Prussiâ fuit, coactis Prædicantibus παρὰ λύδιον ἅρμα θέειν, *præter currum Lydium decur-*

vere, quia aurigandi arte omnes fuissent inferiores; Aurifabro verò cum suis de Vbiquitate, de ritibus ac ceremonijs Lutheranorum, ac denique de plerisque etiam Confessionis Augustanæ articulis palàm ubiq; triumphante; imo & per *Funcium*, *Snellium*, *Horstium*, *Steinbachium*, aliosque, ipsi, ut vocant, statui, & juribus Provinciæ imminente.

648. Et cedebat res ex voto, præsertim cum, ut eos *Mislenta pag.* N. 6. vocat, Crypto-Calvinistæ de Philippi Melancthonis & Vitembergensium Scholâ in Prussiam delati, cum Templis & Academia, Aulam quoque Principis iuvasissent. Nam & *Vitus Nuberus* Ecclesiam *Bartensteinensem*, & N. *Heilmannus* Marienwerderensem, *David verò Voitus* (omnes Calvinistæ) Professionem Theologiæ in Academiâ, & Cathedram Ecclesiasticam in Aulâ, at verò *Petrus Paulus Scalichius*, qui se Comitem vel Principem de Scala, & Principis Prussiæ consanguineum jactabat, hæreticis, imò & magicis strophis, ipsum Pectus & Cor Principis occuparat.

649. Quocirca, quemadmodum ex ipsis illorum temporum Recessibus patet, Commissarij Regij Anno 1566. ob labefactatum tum Religionis tum Reipub. statum, à Rege Regnoque Poloniæ, universis Prussiæ Ducalis ordinibus, iterum ac sæpius pro suâ ac Provinciæ salute id postulantibus, expediti in Prussiam venerunt. Nam & Rex Sigismundus Aug. *in Mandato & Instructione Commissarijs* Anno 1566. die 22. Octob. datâ, sic loquitur, lib. Privileg. pag. 63. *Crebris ad nos nuncijs, sermonibus, & literis perfertur, partem illam Prussiæ, quæ Illustri Domino Duci, Consobrino nostro charissimo est subiecta, non leviter hoc tempore Perturbatam esse, veteribus Consiliarijs loco motis, & externis quibusdam ac ignotis hominibus in eorum loca suffectis &c.*

650. Jam verò & ipsi quatuor, secundùm Princi-

pem,

pem, Ducatus Prussiæ Regentes, *in suo Recessu*, 25. *Octob.* ab ijsdem Commissarijs Regijs confirmato, pag. 68. fatentur, *Commissarios à Rege & Regno ad Principem & Ordines Prussiæ missos fuisse, ad avertendum penitusque extinguendum, quod jam vigebat, incendium.*

651. Ad extinguendum igitur, *Belli istius Prædicantici* incendium, quod in ipsa jam Reipub. viscera grassabatur, inde remedium, unde mali fons eruperat, vid. à causa Religionis petendum videbatur. Quo fine, de communi Principis Ordinumque consilio, indicta sunt Regiomonti, sub nomine Synodi, Prædicantum Comitia, quibus & Provinciæ, & Principi (Luthericis, Confessionisticis, Osiandricis, Vbiquisticis, alijsque ab ipso mutatæ Religionis orthodoxæ momento, tantopere jactato procellis) aliquis in ætate jam supremâ, sive portus sive tranquillitas offerretur. Etsi enim variæ tranquillitatis viæ, per libros, & Confessiones, & Agendas, & Ordinationes, & potissimum illam Anni 1558. ut ipsi Prædicantes nunc vocant, Chimæram tentatæ sint, spes tamen ubique hactenus decollavit.

652. Quod equidem nemo nobis ipso Principe luculentius veriusque explicuerit. Audiendus quocirca est in illa, *Corpori Prutenico* præmissa, præfatione, *Non ignotum*, inquit, *est, qua ratione elapsis aliquot annis, dissensiones in Ecclesijs Ducatus nostri ortæ sint, quæ inter docentes & discentes, varia commoverunt dissidia. Nos ratione officij nostri, & pro piâ ac paternâ solicitudine nostra, in hanc cogitationem toti incubuimus, ut via aliqua inveniretur, qua ortæ dissensiones piè sopiri, componi, & tolli possent. Ac in hunc finem, de consilio præstantium quorundam virorum, curavimus Novam Ordinationem Ecclesiasticam, Anno Domini* 1558 *conscribi, & illam publica editione promulgavimus, sperantes fore, ut ea ratione, pia concordia restitueretur, & quidquid erat dissenssionum tolleretur, Quia verò reipsa experti sumus, Vulnera Ecclesiarum*

siarum nostrarum, hac ratione non prorsus potuisse sanari. Ex pio zelo &c.

653. Quæ igitur tandem via pacis ac tranquillitatis publicæ aperta? Evocati ad Borussicorum Prædicantum numerum, (fortean quia isti, nihil aliud, nisi *numerus, & fruges consumere nati*) inde usque è Germania, *magni* Prædicantum *Duûm-Viri, Ioachimus Morlinus*, nuper è Prussia decreto Principis eiectus, & *Martinus Kemnitius*, jam olim, cum Regiomonti literis operam daret, Bibliothecæ præfectus. De horum aliorumque Patrum Senatus-Consulto, cusum tandem est illud, quo de agimus, *Corpus Prutenicum*. Quod, cùm ardentia illa Prædicantum bella, ut jam prop. seq videbimus, non magis extinxisse, quam suscitasse videatur, jure de illo dicendum venit, quod de Ordinatione 1558 Anni, Princeps ipse dixit, Maiora scil *Ecclesiarum* Pruteno-Prædicanticarum, sive *Vulnera*, sive incendia esse, quam uno illo tot hominum Corpore, opprimi vel domari queant.

PROPOSITIO. VI.

*F*astigium Evangelij Prædicantici, & omnis propè Vbiquisticæ Doctrinæ messis, bellis Prædicantum, quæ Corpus Doctrinæ Prutenicæ excepерunt, corrupta sunt in Prussiâ.

654. EX Senatus-Consulto Prædicantum ad illa Anni 1566. Comitia evocatorum, *geminus liber* (teste Mislenta pag. O 7.) Anno 1567 prodijt, *quorum alter formam rectè credendi, & Ritus in Ecclesia observandi* continet, Agenda vulgo dicitur; *alter vero, tum Systema ex Aug Conf. eiusdemque Apologia, & Articulis Smalcaldicis &c. conflatum; tum Explicationem & Repurgatio-*

gationem fidei articulorum complectitur, vulgo *Corpus Doctrinæ Prutenicum.* Ita quidem Mislenta de suorum operibus, non omninò sibi suisque συρφετός. Qui quidem satius fecisset, si & *Corpus* istud *Prutenicum* (perinde uti pag. eadem *Agendæ illi* 1558. Anni fecerat) *Pandoræ pyxidi* comparasset. Neque enim plus de *Agenda illa*, quàm *de isto*, animalium hominum & ad corporis pastum abiectorum *Corpore*, bellorum & id genus malorum, deinceps in Prussiâ prorupit.

655. Primum enim in Joannem Aurifabrum, & quotquot illi hactenus ὁμόψηφοι, arma versa. Qua de re Myslenta, cum varios ac miserandos Osiandristarum exitus percensuisset, ita pag. O. 3. scribit. *Reliqui Anno* 1566. (vid. simul ac finita Comitia illa Prædicantum fuerunt) *ex Decreto Commissariorum Reg. solum vertere coacti sunt, ut Ioan Aurifaber, personatus Præsidens Sambiensis: Nicolaus Iagenteuffel* (dignum, à Prædicanticâ venatione, Prædicante nomen!) *Archipædagogus Academiæ, & Assessor Iudicij Eccles. Sambien nec non alij suspecti cum illis. M. Matthæus Vogelius verò* (de quo disq. 17.) *proinde metu futuri periculi, spontè dimissionem ab Illustrissimo impetravit.* Aliam impetratæ missionis caussam, & fortasse veriorem, alibi recenset, vid. *Impatientiam.* Neque enim perferre illa ex nomine Avis, potuit clamores & latratus, quos, eodem teste, *Duo Xenodochij Pastores, Bartholomæus Sontag. & Georgius Popitzer publicitus in eum pro suggesto*, primum quidem pro sua indole ultro, deinde verò, *multo etiam acerbius, consilia in id subministrantibus Benedicto & Ioanne Morgensternijs exulibus* frequentarunt.

656. Quanquam & hic, juxta vetus illud, ἡ πάγη ἔοικε λήψεως πάγην, *laqueus visus est laqueum capere.* Qui enim illi Avi laqueum tetenderant, in eundem inciderunt. Nam, ut Mislenta subdit, *dimisso è Prussia*

M. *Voge-*

M. *Vogelio, etiam ipsius antagonistæ, duo illi præcones, jussu Illustrissimi, ex Ducatu proscribuntur, & relegantur.*

657. Deindè verò ij, quos Mislenta pag N 6. & pag. O 1. seq. *Crypto-Calvinistas*, vel à *Vitembergensibus Crypto-Calvinistis* (ubi notandum, Vittembergam, hoc est, illas *novi Evangelij Bethlehemiticas cunas*, tam subitò contaminatas ac conspurcatas fuisse, supposititio & planè ὑποβολιμαίῳ Calvinianorum foetu, non secus atque in simili apud Aulidem fabulâ de Iphigenia, referente Statio, *pro Virgine cerva*) optimâ de notâ *commendatos*, ibid. vel pag N. ult. *Philippismo*, id est Philippi ad Sacramentarios delapsi, *Sectæ addictos*: vel, pag. N 7. præeunte cum suo Prodromo Behmio, *Aulico-Politicos* vocat. Isti enim etiam post illa Comitia, exclusumque jam *Corpus Prutenicum*, perinde, uti ante fecerant, non modò in acie sua contra Vbiquistas perstitere, verùm & in Aulâ, ac Repub. pleraque pro suo nutu moderabantur.

658. Atque *hinc illæ*, tum alias sæpe, tum in literis, *à Mislen pag N 7* citatis, ad Ordines Prussiæ Anno 1568. in Heiligenbeil congregatos, Mörlini *lacrymæ!* Redux ille ab exilio, & non tantum ad Comitia illa Prædicantica, fingendumque illud animalis *Doctrinæ Corpus*, verùm & ad Episcopatum Sambiensem à Principe invitatus (perinde uti Kemnitius ad *Pastoratum* in Kneiphoff invitabatur) diu multumque se, etiam scriptis ad Principem, una cum Kemnitio literis, *quas Mislenta P. 1. citat*, scilicet excusavit. Tandem tamen, etsi Kemnitius Prussiam reliquisset, victas manus dedit, atque Episcopatum inijt. Et jam *gallus ille in suo &c. multùm sibi posse* videbatur! cùm ex adverso, & Aulam, & Rempub. à Calvinistis occupatam intueri juxta ac ferre cogeretur.

659. Postquam igitur dictis ad Ordines literis exposue-

posuerat, quo sibi pacto tum Brunsvigæ per Legatos, tum in Prussiam reduci, de exterminandis undique, præsertim verò ab Aula & Reipub. administratione Calvinistis, promissum & cautio data esset, subiungit, *Et tamen, post meum etiam reditum, non in suis duntaxat muneribus relicti ijdem sunt, sed proterve insuper, etiam in medio vestrûm, nuper in Conventu Rastenburgen horrendas, planeque diabolicas blasphemias suas, ausi sunt profundere*.

660 Denique & ipsi Osiandristæ, quantumvis illis Comitijs & Corpore Doctrinæ, quasi *decretoriâ sententiâ*, proscripti profligatique è Prussiâ videbantur, stationem ordinesque suos minime deseruerunt, ut propè de ijs carerent Vbiquistæ, quod magna illa apud Maronem Dea, *Num capti potuere capi?* Audi enim Mislentam pag. O. 6 *Cæterum post Osiandristarum excidium, Schisma Osiandri nondum prorsum fuit consopitum: adhuc enim circa Annum* 1570. *hocce in Ducatu serpebat, commemorante Morlino in suo Tractatu ad Prussos adhuc Osiandristas eodem Anno* 1570. *Regiomonti apud Daubmannum edito*.

661. Denique sive Osiandristæ, sive Calvinistæ sive Crypto-Calvinistæ, sive Philippismo addicti, sive alij quicunque *Cadmæi fratres*, Belli Prædicantici, quod deinceps etiam Corporis Prutenici editionem consecutum est, causa fuerint; illud constat, ab eo tempore Bellum illud, (quod, cum in Anabaptistas, Schwenckfeldianos, Calvinistas, Sacramentarios, Papistas, alisque gereretur, ἀποφύλιον externumque videri poterat) tandem in civile, domesticum, atque intestinum καὶ ἐμφύλιον πόλεμον degenerasse, quia ut prop. seq. demonstrabitur, inter ipsos potissimum Vbiquistas longè lateque ardere cæpit. Qua quidem de causa *Corpus istud Prutenicum*, non modò *Pomum Eridis*, sed quod

quod de Confessione Aug. Calvinum aliquando scripsisse, Ministerium Regiomontanum *in suo Anni* 1617. *Responso pag. B.* 6. testatur, *Fax furiæ* appellari non injuriâ poterit.

PROPOSITIO. VII.

Ipsi Vbiquistæ postremorum, & etiamnum vigentium inter Prædicantes bellorum, uti & impendentis Evangelio Prædicantico in Prussiâ ruinæ, causa sunt, & fuerunt.

662. SVpra omnia, quæ & varia & cruenta inter Prædicantes Borussicos, fuerunt bella, ea quæ Osiandrica dicuntur, uti vel ex hactenus dictis patuit, jure dici possunt, ἄσπονδος πόλεμος, præsertim Anno 1554. ob *Confessionem novam*; & Anno 1558. ob *Agendam Ecclesiasticam*, ad mutua utrinque exilia, ferè ἀττικὴ ἔχθρα *Attica*, ut à Prognes fabulâ diverbum fert, *hostilitate* gesta.

663. Atqui utroque bello illo, si non classicum cecinisse, certe ἐλαίῳ τὸ πῦρ σβεννύειν, *oleo ignem restinxisse* dicendus est Brentius. Nam & Anno 1554. scriptâ in Prussiam Epistolâ, missisque insuper, suo & Ecclesiæ Virtembergensis nomine, Legatis; & Anno 1558. pari authoritate, quæ in Prussiâ ab Osiandristis, tum *Confessione illa nova*, tum *Ordinatione*, vel *Agenda Ecclesiastica* probabantur, confirmavit. Loquuntur id Epistolæ ipsius, & oracula ad quæstiones *Andreæ Aurifabri* in Prussiam missa, atque à *Mislenta pag. G.* 3. recensita. Loquitur ipsius Alberti Principis diploma, Anno 1554. die 24. Septemb. *referente eodem pag. H.* 5. editum. In quo Princeps inter alia, *Mandamus*, inquit, & *seriò omnibus ac singulis Pastoribus nostris præcipimus, ut Ec-*

ut Ecclesiæ Virtenbergensis Confessionem, Declarationem, & Doctrinam (utique à Brentio & Brentij combennonibus missam) *deinceps sequantur &c*

664. At! qui, quantusque Vir Brentius eâ ætate fuit! Ne Lutherus quidem ipse, in *re Vbiquitariâ*, comparandus ei unquam fuit! Hic enim unus ad hanc Machinam ἀρχιτέκτων ἐπιβολῆς Memorat Plutarchus *in Theseo*, Connidæ, quod ille Theseum præclarè ac sanctè instituisset, Arietem, tanquam mercedem educationis, ab Atheniensibus immolari solitum; quâ causa natum est tritum illud, κριὸς τροφεῖα ἀπέτισεν. Possunt equidem, siquidem grati esse velint, Arietem istum, vel satius Hircum immolare Vbiquistæ Luthero, quod Brentium; quà voce, quà scriptis suis, ad Philosophiam instituerit; Brentio tamen, non secus atque Athenienses Theseo, Rei Vbiquitariæ palmam deferent; quia *quæ Lutherus*, pro causa Vbiquitatis *ova posuit, Brentius exclusit.*

665 Sed jam vide, quâ reverentiâ, atque industriâ, Vbiquistæ nostri, facinus Brentij elevare, atque excusare nitantur! Mislenta, qui pag. G 1, & G. 4. *Brentij*; Brentianorumque *Consilijs & scriptis, Osiandristas in Prussia multum animatos, & in proposito sententiaque sua, magis magisque confirmatos*, dixerat; quique pag. N. 2. fassus erat, *Brentium ab initio* (quin & in Progressu) *Certaminis Osiandrici, aliquid humani passum fuisse*; pro causa Brentij eodem loco subiungit, *Exemplar MS. quod Brentius Anno 1558. ad se transmissum recognovisset, cum in Prussiam esset delatum, multis in locis* ad Osiandristarum incudem *fuisse depravatum, mutatum, & adulteratum &c.* Quid si verò hæc asseri quidem, neque tamen probari dicant Osiandrici, atque ideo verbo uno inficientur? Nunquid hic locum habebit protritum illud, *Simplex affirmatio, simplici negatione tollitur?*

Quid

666. Quid ſi inſuper Caſp. Vlembergium (quamquam ad Eccleſiam Catholicam reverſum, tamen quondam ſuum, & rerum ſuarum peritiſſimum) in vitâ Melanctonis cap. 22 pag. 327 teſtem producant? Scribit enim ille palam *Brentium fuiſſe Oſiandri aſſeclam*, adeoque legatos ad Conventum Naumburgen. *Anno* 1554. miſſos, domùm eſſe regreſſos, *eo quod intelligerent Oſiandrum in ea conventione damnandum, cui Brentius ſecretò patrocinabatur*. Neque alia de cauſa (ut pag. 332. idem refert) vocatus Norimbergam Oſiandri furore æſtuantem, ut cùm Melancthone pacem urbi redderet, *conſultò abſtinuit eo conventu, ne vel offendere Melancthonem, vel Oſiandrum non tueri cogeretur*.

667. Sed enim univerſum apud Regium montem, pro Brentio intercedit Miniſterium! Et audi, quid ſuo illo *Anni* 1617. *Reſponſo pag. B*. 3. magni illi, ut vulgo fertur, *ſine mandatis legati*; vel, *absque Provocatione Senatores*, decernant! *Primum* inquiunt, *Brentius tum nihil ſuſpicatus eſt mali, ſed optimam ſpem harum* (in Pruſſiâ) *Eccleſiarum ratione fovit*. Parum abeſt, quin cum Cicerone pro Ligario addant. *Nunquam hoc modo: Ignoſcite Iudices, Erravit, lapſus eſt; Non putavit; Si unquam poſthac &c*. Atqui, ô boni, ſcitis opinor, quid in ſapientum Scholâ, ne dicam in militum acie, vel palæſtrâ laniſtarum (qualis quidem *Pruſſia* veſtra id temporis fuiſſe dici poteſt) momenti habeat illud *non putabam!* Hoc ſi ſcitis, quam egregie Brentio, veſtro illi πτωχάλαζονι conveniat, apud voſmet diſpicite.

668. *Atqui* Brentius (ſic enim iteratò pro Brentij cauſa l. c. interpellant) *Status Eccleſiæ Prutenicæ, Schiſmatibus tum vexatæ, non benè gnarus fuit*. Egregiè verò, tum pro Brentij prudentiâ, tum pro Prædicantum veſtrorum veritate! Brentius igitur! ille! qui, in cauſa præſertim Vbiquiſticâ, *etiam ventura per dioptram proſpicere*

spicere solitus fuerit; ille, inquam, *status Ecclesiarum Prutenicarum*, *& Schismatum non benè gnarus fuit*? Quid igitur per Legatos, quid per literas, ad Ecclesias Prutenicas, oracula ad quæstiones Aurifabri regessit?

Dî ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? Æneid. 9.
An mentem Venus ipsa dedit? Georg. 3.

Nunquid isti *Patri patrato*, occini id temporis, Aristidæum illud potuit, *Monitor capras age*?

669. Quid verò, quod Princeps ipse Prussiæ Brentij & Virtembergensium consilia secutus, Edictum illud, nuper hîc sanxit allatum, & toto Prussiæ Ducatu, quàm severissimè promulgavit? Num & Princeps ille, in re tanti momenti, & quæ Ecclesiæ, Deiq; ipsius causam spectabat, consiliarium (*qui & Ecclesiæ Prutenicæ, & Schismatum non benè gnarus fuerit*) secutus fuit? Facile est divinare, quid responsi daturi hîc sint Prædicantes, qui quo loco habeant, & qua observantia colant Principes suos, jam Disq. 17. & alibi patuit. Ne tamen in suo illo, quodcunq; daturi sunt, Responso, infeiari adhuc possint, Vbiquistas Prædicanticorum in Prussiâ bellorum, potissimam causam & fomitem fuisse, sit

PROPOSITIO VIII.

Non modò exteri, sed Borussici, quoq; Prædicantes bellorum Pruteno-Prædicanticorum, (potissimum, aut plerumq; ratione Corporis Prutenici excitatorum) fomites & causæ sunt, ac fuerunt.

670. NE quis istas belli tempestates aliunde tantùm per Brentium, & Brentianos apud Tubingam,

 aliosq;

aliosq; Prædicantes, apud varias Germaniæ Academias, præsertim apud Vitembergensem, Argentinensem, & Lipsiensem, uti sæpe hactenus vidimus, nidulantes, in Prussiâ hactenus excitatas dicat, ecce domesticos, Bellorum Pruteno-Prædicanticorum in ipsa Prussia turbines! Non memoro Calvinistas, solius ferè Corporis Prutenici causâ cum Vbiquistis, alijsque Luthericolis in Prussia, plus quàm civilibus armis, æternum digladiantes; uti meridiano clarius est sole, tum è Behmij, Calovij, aliorumque scriptis, in Crocium, Bergium; tum è *Responso Ministerij Regiomontani A.* 1617 in ipsum Prussiæ Ducem; tum denique e Manuali Mislentæ, potissimum pag X. 3. & quavis ferè paginâ omnium 18. *Collegij Corp. Prutenici* Disputationum.

671. Non item urgeo, quod ipsi, qui in Vbiquistas, & alios in Lutheri verba juratos, arma stringunt, Calvinistæ, vix aliunde quam ex Vbiquistis nascantur (tanquam κακȢ κόρακΘ κακὸν ὠὸν *mali corui malum ovum*) vel desertâ Vbiquistarum statione, ad Sacramentariorum castra profugiant; vel, quod nemo magis, quàm ipsi Vbiqustæ, intra sinum apud se sentiunt, tanquam ἐκ βραδυσκέλων ὄνων ἵπποι ὠρούσαντες, *è tardigradis asinis* feroces & interdum calces ferro armati, *equi emergentes*, in eos, à quibus prodierunt, animosius vehementiusque incurrant; & quidem vix aliâ (ut ipsi *cum Bergio* sæpius *in Regula Apostolica*, & Anno 1617 in Confessione Ducis Prussiæ fatentur) quàm *Corporis Prutenici* causâ; non, inquam, hæc aliaq; id genus nunc memoro: Tantum ipsos inter se Vbiquistas, & quidem eiusdem Corporis Prutenici causâ concurrrentes, & *Belli istius Pruteno-prædicantici* flammę oleum identidem affundentes hîc sisto.

672 Anno 1567 die 9. Aprilis, Morlinus & Kemnitius in Prussiam appulerunt; postridie præmissa matura,

curâ, scilicet, cum præcipuis Ducis Prussiæ Consiliarijs deliberatione, manum operi admouerunt. Ita Corpus Prutenicum (ut videas à Prædicantibus quoq; *Annum in mensem contrahi posse*, vti Philippides comicus apud Plutarchum aiebat) minore etiam quam mensis unius interuallo, sextâ Maij absolutum, & à 26 eiusdem, triduanâ Prædicantum synodo examinatum, nec minus quàm 87. Prædicantum manibus, forte etiam pedibus, die 28. subscriptum ac probatum, ad extremum die 9. Julij, eiusdem Anni, typis excusum Regiomonti prodijt quemadmodum omnia & singula fusius recenset Myslenta pag. Q. vlt. & seqq.

673 Subiungit deinceps quædam, dicti Corporis Prutenici, ἑπόμενα seu *Consectaria*: eaq; vel προφυλάκτικα ac *sospitatiua* vel σχετλιασικά seu noxia atq; in eiusdem vergentia detrimentum. Et quidem inter priora ait, I. pag. R. 3. *Corpus Doctrinæ confirmatum esse, non tantum testamento ipsius Prussiæ Ducis, verum & Recessu Commissionis Anni* 1567, *&, quæ utrumq; consecuta est, Regiâ Confirmatione* II. pag. R. 4. *Corpus doctrinæ*, etiam *præ Catholica Religione (quam Prædicans vocat Papisticam) primas in Ducatu Prussiæ obtinere.* III. pag. R. 5. & seqq, sæpissimè, *Corpus Doctrinæ complecti in se, non tantum Scripturā S. Augustanā Conf. eiusq; Apologiam, verum & Articulos Smalcaldicos.* IV. *Corpus Doctrinæ Priuilegio Comitiorum Lublinen. Anno* 1569. *confirmatum esse, tanquam Symbolicum totius Prussiæ Ducatus librum*, pag. R. 6. V. *Articulos Smalcaldicos pro libro Symbolico Ecclesiarum Prutenicarum à Rege Confirmatos esse*, pag. S. 6. VI. *Per Corpus Doctrinæ proscriptam esse, supra omnes alias Sectas, etiam Religionem Catholicam* pag. S. 1. & seq. pag. T. 7. seq. V. 2. seq. V. 6. seq.

674. Quæ omnia, instar *fabularum Milesiarum* vel pleraque eorum, ab alijs quoque Prædicantibus, præ-

tim vero à *Ioanne Behmio*, *tum in Paræneſi Anni* 1614. *tum in brevi inſtructione de Corp Pruten. Anni* 1617. *tum denique in illo Anni* 1620. *ad Prutenicum Aulico-Politicum Prodromo*: & à toto Miniſterio Regiomontano *in illa Anni* 1617. *Reſponſione*: denique & ab *Anonymo*, *in Declaratione quæſtionis*, (*quid de Calviniano in Pruſſia Prædicante cenſendum?*) dicta & aſſerta ſunt. Quàm porrò vanè, futiliter, &, ut rem verbo complectar, κατα κράτος *hoc eſt* prædicanticè dicta, aſſerta, ſcriptaque ſint, Diſqq ſeqq demonſtrabunt.

675 Interim ecce Vbiquiſtas *Ex*, *In*. *Sub*, *Super*, *Cum*, *Propter*, *Præter*, ac denique *ſusq*; *deq*;, circa Corpus Prutenicum duellantes, uti promiſi, jam ſiſto! Prodeat primum par, non tam gladiatorum, quàm laniſtarum, quia uterque de Ludo ſuo manum haud ſpernendam gladiatorum ducat. Vterque enim Epiſcopus à ſuis dictus, uterque Prædicantum ſuorum accinctus ſatellitio, in arenam prodit. Atque hinc quidem *Tilmannus Heſhuſius* Sambienſis, illinc *Ioannes Vigandus* Pomeſanienſis Pſeudo-Epiſcopi, ſeſe cum ſuis manipulis inferunt! Audi Hennebergerum de hoc bello pag. 224 diſſerentem. *Anno* 1576. *magna Regiomonti* (zwiſchen den Prædicanten) *inter Prædicantes orta eſt diſcordia*, *ducibus Epiſcopis* Heshuſio *&* Vigando, *ratione Abſtracti &c.*

676. Paucis iſta admodum perſtricta ſunt; argumento tamen ſatis ſunt, utrumque Vbiquiſtam, & non aliâ quàm Vbiquitatis cauſâ, in eam arenam fuiſſe progreſſum, vid. *Ratione Abſtracti & Concreti* Simul enim ac *Corpus Prutenicum*, die 9 Julij 1567. *eiusdemque Repetitio* Anno 1570 Regiomonti cuſa, lucem adſpexerunt, & *Vbiquiſticam illam Dianam*, (quam Joan. Sturmius apud Adrianum Iungium lib. 1 cap. 8. *primo adſpectu vocat Epheſinam vel Chalcedonenſem Sanctiſſimorum*

Conci-

Conciliorum Virginem; at reapse esse Dianam Ephesiam, vel potius mammosam illam Lestricam) spectandam in Prussia palam exhibuerunt, ne novum illud numen *flaminibus suis*, qui sive Essedum, sive currum numinis Triumphalem, in præcipiti sufflaminarent, omnino careret, mortuo sub Annum 1571. Sambiensium Pseudo-Episcopo Joachimo Mörlino (qui ut Mislenta pag. Y. 6. testis est, *Anno* 1567. *Brunsviga, non sine difficultate dimissus, nec citra ingentes sumptus impetratus, magnifica nomine totius Prussiæ Ducatus legatione in Prussiam reductus* ad Episcopatum erat) *Tilmannus Heshusius ex Academia Ienensi in defuncti locum, Anno* 1573. *nomine totius Provinciæ evocatus*, gemellum sibi Castorem, *Ioannem Vigandum*, eodem ipso anno è Germania vocatum, ad publicam in Academiâ professionem, tandem vero, mortuo Georgio Veneto, ad Pomezaniensem Episcopatum Anno 1575. promovit.

677. Ecce geminos *Vbiquisticæ Dianæ* Antistites! Ecce subitò geminos, *eiusdem Dianæ* causâ, in arenâ lanistas! Ecce

Fraternas acies, alternaq; bella prophanis
Decertata odijs! Statius Theb. I.

Vterque enim lanista ille, magna suorum stipatus manu, mutua vulnera *ratione Abstracti & Concreti* (docebat enim Heshusius Naturam humanam in Christo non modo in Concreto, verum *in Abstracto* quoque *Omnipotentem &c.* esse: cum ex adverso Vigandus, nonnisi *in Concreto* id assereret) eo usque dat & accipit, quoad Heshusius cum ~~suis~~, arenâ totaque adeo Prussiâ excedere coactus est,

678. Verùm ut quivis hoc loco, epinicij instar, illud proclamet, οὐκ ὄναρ ἀλλὰ ὕπαρ, *non somnium, sed res vera*: juvabit aliquem de Vbiquistarum choro, de hoc nobis bello canentem audire. Mislenta is erit, qui,

quæ Henneberg. vix attigit, paullò uberius l. c. perscripsit. Ille igitur nobis, cum Lucano lib 1.

Bella per Emathios, plus quàm civilia campos
Iusq; datum sceleri, expediat: *populumq; potentem,*
In sua victrici conversum viscera dextra:
Cognatasq; acies, & rupto fœdere regni,
Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas, infestisq; obvia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

679. *Hactenus*, inquit ille pag Y 7. *Ecclesiæ Prussiacæ status aureus, tranquillus, ac pacificus*, Ecce! *populum* Prædicantum in Prussia *potentem*, felicem, ac prope Augustum! *Cæterùm evenit præter omnem spem ac opinionem, ut in edito suo libro, D. Heshusius, contra Exegesin Crypto-Calvinistarum Witembergensium, phrasibus eiusmodi, sive loquendi formulis, usus fuisse deprehenderetur, quibus non omnium votis ac expectationi satisfacere poterat Humanam videlicet Christi naturam, in Abstracto, esse omnipotentem, vivificam, adorandam; quam quidem loquendi formulam, Ecclesiastæ quidam Regiomontani hoc sensu interpretabantur; Quod humana Christi natura, per se considerata, sit omnipotens, vivifica, adoranda.* Ecce! *jus datum sceleri!* neque enim sine scelere se ab æmulis peti, ac dicta sua aliena commentatione Heshusius cum suis pollui clamitabat.

680. *In quorum numero erat Benedictus Morgenstern, Pastor Cneiphovianus. M. Ioannes Weidmannus, Pastor in Aulâ, M. Hieronymus Morlinus Pastor Lobnicensis M. Conradus Schlusselburgius, tunc temporis Diaconus Lobnicensis: quorum omnes, & singuli vehementer in Heshusium pro concionibus invehebantur, eumq; publicitus ceu Schismaticum damnabant.* Ecce *bella civilia*! Ecce populum illum, in sua conversum victrici viscera dextra!

681. *Gliscente Schismate, & indies vires maiores acqui-*
rente,

rente, *exarat D. Wigandus literas sat placidas, & amicas ad D. Heshusium, rogitans schisma hoc concitatum, priuatim componi, sopiri, ac sepeliri An: 1576. 18 Novemb. Alias etiam ordine ac tempore priores ad M. Schlußelburgium eiusdem argumenti, ad pacis, & concordiæ studium invitantes 14. Aprilis An. 1576* Ecce *cognatas* hactenus inter Wigandũ Heshusiumq; acies!

682. *Sed frustra omnibus tentatis mediis, certamen illud in irrestinguibile erupit incendium, obtinente passim partium studio; tum in statu politico, tum Oeconomico, tum maxime Ecclesiastico.* Ecce eodem prope momento, *rupto federe belli, certatum totis concussæ viribus* Urbis Regiomontanæ: imò & *Orbis* Borussici! *ut omnes conciones, omnia convivia, omnes tabernæ; insuper omnia colloquia inter eruditos & rudiores, unica quæstione de Abstracto & Concreto, agitarentur & transigerentur.* Ecce ut itum est *in commune nefas!*

683. Bene hæc Mislenta; sed tacere non debuit Tesseram militarem illo bello usurpatam, præsertim inter, vel contra mulierculas: nam & istas Amazones bellum illud exercuit. Quæ verò Tessera illa? Hinc quidem Concretische Hure; sive *Concreticũ prostibulum*: inde vero Abstractische Hure, sive *Abstracticũ Scortum*. Ita enim vulgo mutuùm consalutantes appellitabant.

684 Sed pergat insuper Mislenta. *Circa Anni* 1577. *auspicium in schismatis remedium, indicta fuit Synodus Regiomonti ad 16. Januarij, constans in totum ex viginti personis Ecclesiasticis & politicis.* Magnum enimverò, & dignum Maiestate Concilioque Prædicantico, è Dijs Superis inferisque numerum! *Ac Ordini quidem Ecclesiastico præstitutus erat D. Wigandus, idemque præses Synodi & Iudex controversiæ illius decidendæ delectus a Magistratu, & Antagonistis Heshusij. Quem quidem processum ex composito institutum fuisse, adeoque minus legitimum, multi taxarunt;*

xarunt; Wigandum ceu alteram partem controversam, & cum Antagonistis Heshusij clam conspirantem arguentes; adeo ut in propria causa judex minimè esse de jure potuisset, debuissetve. Ita quidem decet, ne quisquam in sua causa, & judex & actor sit: sed alia est Themis, alia Nemesis Prædicantica: aliæ Institutiones, Codices, Digesta, Textus, Rubricæ, Paratitla, Canones, Decreta, Decretales, Clementinæ, vel potius Extravagantes Prædicantum.

685. Itaque inde factum est, referente eodem Mislenta l. c. ut cum è *Politicis D. Schachius Cancellarius, nomine Illustrissimi Ducis Alberti Friderici, negotium Synodo dignoscendum, præsente Erhardo Kunheim Aulæ Præfecto, & Diterico Mundfart Scabinorum Cneiphovianorum Magistro, proponeret, controversiâ intra paucas horas ventilata, sententia contra Heshusium ferretur, eidem dogmatis sui palinodiā nomine Synodi iniungens. Vnde factum est ut Heshusius*, nequidquam per Appendices scriptis suis declarandis adiunctas, *proscriberetur, solumque vertere cogeretur Anno* 1577. *circa æstatem: frustra remotionem dissuadentibus quibusdam Dynastis Regni Poloniæ* (vel verius M. Duc. Litvaniæ) *eiusque Senatoribus, literis Vilnæ exaratis* 24. *Maij* 1577. *vid. Nicolao Patz Episcopo Kioviensi, Nicolao Radziwil Palatino Vilnensi, Georgio Oscik Palatino Miecislaviensi, Nicolao Taliwosz Castellano Samogætiensi.*

686. Ita gratiam Vigandus rependit Heshusio, cuius gratiâ, ut n. 676 vidimus, in Prussiam vocatus & deinceps Pseudo-Episcopus fuit creatus! Sed iste est Gratiarum Charitumque Prædicanticarum chorus, ut loco cedat, qui locum cessit. Neque Heshusio id genus choreæ insolens fuit: qui, ut testis est Beza in Dialogis apud Jungium l. c. à suismet Lutheranis ex alijs sex urbibus eiectus fuit: nempe *Goslaria, Rostochio, Heidelbergiâ*

berga, Bremâ, Magdeburgo, Vesalia: cuique, eiusdem Bezæ judicio nihil defuerit, nisi ut ex Tiliâ penderet, & vere esset, quod dicitur: vid. *Tilmannus, Tiliæ vir.*

PROPOSITIO. IX.

Prædicantes ob rixas, bella, & seditiones, ratione Vbiquitatis & Corporis Prutenici, sæpe excitatas, Regno Prædicantico & Episcopatibus in Prussiâ deiecti exciderunt.

689. VIdimus eo regno, & totâ Prussiæ Provinciâ exturbatum illâ de causa *Heshusium; exturbati quoque sunt*, ut Henneb. pag. 224 testatur, *quotquot vel imitando Heshusium secuti, vel judicando ac damnando non sunt persecuti.* Jam ne tandem exturbatis pacis hostibus pax Prussiæ reddita? Imo verò etiam seditiones propè magis accensæ. Nam & domi, & foris undique seditionum faces aggestæ. Foris quidem: *Nec enim defuerunt* (inquit Mislenta pag. Z. 1.) *inter Præcipuos Theologos exteros, qui testimonium innocentiæ Heshusio perhiberent, eumque ab omni suspicione vel hæreseos, vel Schismatis liberatum irent.* Si Theologi, & quidem Præcipui pro Heshusio, quid sequitur, nisi ut ijdem in acie stent contra Vigandum, contra ordinem politicum æquè & Ecclesiasticum; imo & contra universum Prussiæ Ducatum, à quibus Heshusius, & Heshusiani, ut purgamenta, eiecti, vel potius ut carcinomata & gangrenæ præsecti.

690. Qui verò tandem ij Theologi sunt? *Extant Chemnitij literæ,* inquit idem l. c. *quibus etiam D. Timotheus Kirchnerus subscripsit Helmstadij Anno* 1577 30 *Aprilis, Heshusij sententiam ceu sinceram, & Orthodoxam, quà res ipsas, seu substantiam, caputque rei, pronunciantes; & simul taxantes Processum Synodi* (Regiomonti con-

tra Heshusium coactæ) *partibus deditum &c reprehendentes insuper loquendi modum, in scriptis Vigandi obvium, Deum esse passum pro nobis verbaliter, seu communicatione verbali! quo nomine, monendum esse, de lapsu corrigendo, Vigandum.*

691. Vah! qui, & quanti viri Chemnitius & Kirchnerus! Vterque Formulam Concordiæ, uterque itidem Apologiam eiusdem Formulę, alter etiam Corpus Pruthenicum, uti audivimus, architectatus est! At isti non modo Wigandi, totiusque Synodi, proindeque politici juxta atque Ecclesiastici, in Prussiâ, Ordinis acta penitùs rescindunt, verùm & sententiam Heshusij commentis adversantem, hæreseos accusant!

692. Quid verò, quòd, eodem teste, *Simile judicium expedivit, de hoc negotio & certamine, Superintendens Lubecensis, M. Andreas Pouchenius, ad Ditericum Mundfart Præfectum Scabinorum Cneiphovianum, Pronuncians 1. Certamen hoc non esse reale, sed verbale. 2. Heshusium in exilium esse inique abactum. 3. Borussos supinè negligentes fuisse, quod nihil serio ad sopiendum certamen egissent &c.* Auditis! ut hic homo *Edicta prætoria* despuit! Væ Prussiæ, si isti Jupiter sceptrum, vel ad horam, in manus dederit! Væ! si cætera, quæ eodem scripto adnexuit, quæque mox referentur, pondus habeant apud Borussos oracula!

693. Sed mihi aurem nonnemo vellit, & Prædicantum exterorum judicia, contemnenda in Prussia, adeoque re ipse contempta fuisse dicit. Itanè vero? Etiam Kemnitij, etiam Kirchneri judicia contemnantor? Factum enimverò id est, vel eodem Andrea Pouchenio l. c. teste. *Eo enim malitiæ quosdum in Prussia dicit abreptos fuisse, quòd Censuras D. Kemnitij & Kirchneri, maligno exceperint animo, ac nefario, ceu carnificinas operas, tractarint ausu, scelestaque manu.* Ita sane quidam; at alij, quæ

sij, qui Heshusij partes secuti, literis exterorum, quasi novo belli classico excitati, bellicum domi cecinerunt, & iuxta vetus illud ῥάμμα ἐπέκλωσαν, προσέδη καὶ ῥαφίδιον, *filũ duxerant. opus proinde erat & acu.*

694 Domi itaque partim suo Marte, partim Kemnitij aliorumque classico incitati, Duce M. Laurentio Cursore Diacono suo, Prædicantes cæteri, ac S. P. Q. Cneiphovianus πύρινον πόλεμον, *ignitum bellum*, & , si loqui fas, quasi furialibus accensum facibus instaurant; quod usque ad novi Principis adventum (erat is Georgius Marchio Brandenburgicus, cui & Prussiæ, & Principis Alberti Friderici τοῦ φρενολήπτου à Rege Regnoque Poloniæ Curatela, & administratio Provinciæ cesserat) obstinatissimis animis, eo eventu, gestum est, ut & damnati à Wigando ac Synodo Prædicantes Cneiphoviani absolverentur ac restituerentur; & insuper eorum adversarij lege talionis proscriberentur. Gratiora hæc erunt, si ipsorum Prædicantum, præsertim Henneberger ac Mislentæ verbis recitentur.

695. Audiatur Mislenta. *Inter Regiomontanos Ecclesiastas, partibus Heshusij patrocinatus fuisse deprehenditur M. Laurentius Cursor, Diaconus Cneiphovianus; hocque nomine accusatus ac citatus, comparet coram Consistorio Sambiensi, factique sui rationes exhibet scripto An.* 1577. 17. *Octob* (quarto fere ab expulso Heshusio mense) *necnon colloquium cum Heshusij Antagonistis init. Sequenti die insuper* 18. *Octob in consessu Consistorij, pro defensione dogmatis Heshusij decertat, rationesque in hanc sententiam allatas propugnat.* Tam subito actor ex reo factus! *Nullis verò responsionibus locum relinquere volens, nec à proposito desciscens, exilij totalis discrimen, unà cum Collega suo, subire coactus fuisset, decernente Wigando, nisi S. P. Q. Cneiphovianus acerbiori scripto* (neque enim aliud ad depellen-

pellendum Wigandi morbum, quo in adversarios exarserat, ἀλεξιφάρμακον occurrebat) *Wigandi attentatum repressissent.*

696. Neque verò S. P. Q. Cneiphoviano satis fuit, defendisse suos, nisi & in hostes *lege talionis*, quà per se, quà per alios, victor decertaret. Benedictus Morgenstern, uti n. 680 vidimus, Cneiphovianus Pastor, inter cæteros Heshusio, atque Heshusianis exilij, malorumque causa non postrema fuit. *Illi* ergo ipsi, ut Mislenta subjicit, *Cneiphoviani infensiores facti, eum officio suo abire, & ad Palæopolitanos transire passi sunt.*

697. Existimabam ego, *apertis*, ut aiunt, *januis* dimissum; at ille, quem sui ac alieni aliò *transire passi sunt*, *antica hîc exclusus*, *illîc*, ut video, *postica receptus est*. Quanto verius Mislenta dixisset Electum, qui Conradum Schlusselburgium, *in eadem* cum Morgensternio *navi* positum, sui planè immemor, ita describit. *Idem* (eadem vid. aut similis pœna) *accidit Schlusselbergio, qui post interdictum Principis, adhuc in Heshusium invehendo, exilio mulctatus, Borussiaque extorris factus est An.* 1579. *Mense Augusto; ac primum Rostochium, postea Antwerpiam devenit, Anno.* 1581.

698. Audivimus Mislentam, audiatur & Hennebergerus; ille qui Borussis omnibus, maximè verò Prædicantibus καινὸς παλάιφατος dici magis, quàm esse debet. Quanquam enim mira multa narrat, tamen ubi ad res Prædicantum est ventum, plus, quàm alibi uspiam, fidei meretur, ut videatur homo λευκονοος, & cui veteres merito tribuerint λευκὰς φρένας, *præcordia alba*. Ille igitur, multa á Mislenta, multis ad morem Plautinorum oratorum, *contortuplicatè* deducta, ita paucis perstringit *Coactus demum est Heshusius Prussia excedere; Theologi quoque ex parte, qui Heshusium*

condem-

condemnare gravabantur, eiecti sunt Cneiphoviani tamen Diaconos suos (haud dubie, Benedicto Morgenstern, fratribus & symmistis suis ex animo vovente & procurante exilium) *dimittere noluerunt, quin (quanquam ijs munere concionandi fuerit interdictum) sua illis salaria ac mercedem persolverunt. Interim multis hebdomadis Ecclesia seu Templum Cneiphovianum occlusum fuit; conciones nullæ habitæ: infantes sine baptismo multos dies detenti: quoad tandem Deo juvante Anno 1578. Georgius Fridericus Marchio, in provinciam venit, Regimen nonnihil mutavit, Cneiphovianorum Diaconos restituit &c.*

699. Hactenus bellum Pruteno-Prædicanticum recensuimus. Qui verò tandem belli illius exitus? Regni Prædicantici, ut initio dictum, subversio. Cùm enim hydræ istius, non tam fabulosæ apud Lernam, quàm vivæ veræque apud Bregelam, vis & robur in capitibus potissimum esset situm; cùm, inquam, omnis illa Prædicantum populique seditio, factionibus & authoritate Pseudo-Episcoporum maximè niteretur ac foveretur, resecari illa capita, & fucatam Prædicantum, ac Pseudo-Episcoporum tolli è Prussia oportuit maiestatem.

700. Et sanè didicerant jam Borussi, omnium retrò Pseudo-Antistitum, maxime verò Heshusij ac Wigandi exemplo, quàm impotens sit Prædicantum Dominatus! quàm noxium Ecclesiæ, patriæque Regnum! quippe ad evertendam ubique pacem tranquillitatemque publicam unicè factum! Deniq;, quam & Aula imperantium, & docentium Schola, ad suorum quoq;, perniciem instituta; ita ut & schola οὐ σχολὴ, ἀλλὰ χολή, quod de Euclidis Ludo Philosophus olim, vel potius οὐ διατριβή, ἀλλὰ κατατριβή, quod idem de Platonis gymnasio dixit, dicenda videretur; Aula verò ex mente Juvenalis Sat. 6. *Sicula aula esset.*

701. Neque enim ille magis matronarum Romanarum, mira animi libidine, ad quamvis occasionem, in servos & ancillas debacchantium, quám istorum nostrorum dominatum, & in eo animi impotentiam, quasi coram intuitus cecinit.

Et cędit, donec lassis cædentibus, EXI
Intonat horrendum, jam cognitione peracta
Profectura domo, SICULA non mitior AULA,

Quoties enim illud EXI, horrendum in Prussiâ intonuit?

702. Ad hanc vocem EXI, quasi ad solenne usitatissimumque Prædicantium in Prussia Celeusma, bello Osiandrico *Morlinus*, alijque Osiandri Antagonistæ Exire atque excedere e Prussia, adeoque perferre Exilium coacti sunt *Anno* 1553. de quibus Mislenta pag. H. 7. *Cæterùm*, inquit, *Mandati illius* (à Duce Prussiæ contra adversarios Osiandri lati) *executio, multos Exulare coegit ex Prussia Theologos, referente M. Illyrico, idque procurante, & per insidias instigante* (pro Prædicantica vid in fraterculos pietate) *D. Andrea Aurifabro; quem ideo Flaccius per contemptum vocat* Einen Hundartzt / *Caninum medicum*. quasi κυνιατρόν, *qui Ministros Ecclesiæ, pro libitu libidineque sua, admovere juxta ac removere consuevisset.*

703. Ad eandem vocem EXI, deinceps Osiandristæ, præsertim *Steinbachius*, *Vogelius*, *Scalichius & ipse Ioan. Aurifaber Episcopus Sambien.* alij, qui sive fugâ suâ, sive judicum clementiâ, supplicium capitis, *Funccio*, *Horstio*, *Snellioque* decretum, mature declinarant, Exilium pro remedio invenerunt. Ad hanc denique vocem EXI, Heshusius cum suis à Wigando, deinde vero Benedictus Morgenstern, Laur. Cursor, Conrad Schlusselburgius alijque Wigandiani, in Exilium acti.

704. Post tot igitur bella, post exilia, post cædes quá

quà sub Joan. Aurifabri, quà sub Heshusij, Wigandi, aliorumque Pseudo-Episcoporum in Prussia regno, ultrò citroque illatas, nihil ad publicam tranquillitatem, nihil ad provinciæ salutem, etiam ipsorum in Prussia Acatholicorum judicio, reliquum videbatur, quàm ut Regnum illud Prædicantum subrueretur. Quod & factum, & quidem ipsorum itidem Acatholicorum sententiâ. Nam Heshusio, Anno 1577. in exilium pulso, at vero Wigando Anno 1587. mortuo, nemo deinceps Prædicantum, (utut maximè ipsi, *omnem ubique movendo lapidem*, id molirentur) ad sedem Episcopalem assumptus est; ut jam Monarchia illa Prædicantum in Prussia, in Aristocratiam, vel potius in Democratiam, Vtraque SEDE VACANTE, atq; æternùm vacaturâ, mutata sit.

705. Quod quàm ægrè sit Prædicantibus (de quibus tamen, etiam fucato illo Episcoporum titulo gloriantibus, semper verum fuit illud, πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα, *Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia)* vel ex unius Mislentæ nænia, quam historiæ de pulso Heshusio subtexit, facile patuerit. Sic enim ille pag. Z. b. *Patescit iam ex modò enumeratis, prædicto tempore, turbatas quidem Ecclesias, nequaquam tamen iacturam aliquam religionis ab hæreticis perpessas fuisse, sed porro in vigore & flore religionis continuo successu perstitisse.* Hæc Mislentæ, legenda sunt & intelligenda cum tropo illo, qui *Bellum bellum* &c. dicit, reliqua verò quæ subiungit ἁπλῶς & sine ullo tropo accipienda. Sunt autem hæc.

706. *Quantumvis & hoc nequaquam dissimulandum, sed cum dolore Exaggerandum; post Heshusij discessum, nullum amplius in Sambia surrogatum, præstitutumq; fuisse Episcopum, vsq; ad hoc tempus: neque post fata Vigandi in Pomesania, ab Anno 1587. adeo ut nulla Ecclesiastica visitatio,*

nulla

nulla synodus ab illis temporibus instituta fuisse reperiatur; sane non sine ingenti Ecclesiarum, ac religionis iactura, uti experientia id ipsum, stultorum magistra (hac nimirum egent qui Prædicantum ferulę sese subiecere, nam alibi eius magisterio haud ita magnopere opus est) *satis evidenter attestatur.*

707. Dixisti de morbo & malis morbum consecutis, Mislenta: quid caussam morbi, ac malorum retices? Vnde enim quæso factum est, ut Sambia, ut Pomesania Episcopis, etiam de Prædicantium grege creari solitis, careat, nisi quia ij classicum belli & seditionum, ad Sambiæ & Pomesaniæ, ad totius denique *Prussiæ* ruinam & excidium, perpetuo cecinerunt? Satius igitur fuit, vel ipsius Æsopi in fabellis iudicio, tam periculosos, imo noxios patriæ tubicines de dignitate, quam invaserant, deturbari, quam patriam totam, eorum causa æternum periclitari.

708. Audebis hanc inter primas causam negare? At non potes, etiamsi velis. Fac enim apud te memineris primæ in omnibus fere provinciæ conventibus ac comitijs propositionis, quæ est de instituendis vel restituendis Sambiensi & Pomesaniensi Episcopis. Quid verò ad hanc ipsam propositionẽ responderi vobis, actoribusq; vestris reponi solet? Scio à magni nominis, apud vos, Juris Consulto exemplum factumq; impudentem Joannis Wigandi objici vobis. Ille enim Episcopi nomine donatus, ausus est ad Sororis Principis, scis cujus, nuptias impudentissimè adspirare. Sed ego præter hanc hominis impudentiam, animadverto impotentem cum istius, tum aliorum Pseudo-Episcoporum vestrorum dominatum noxæ vobis fuisse. Nam & Joannes Draconites, qui Vigandum in Pomesanien Episcopatu antecesserat, non contentus designato sibi stipendio, *voluit ut omnes fundi & bona ad Episcopatum illum pertinentia sibi cederent. Quod cum negaretur, sedem, nomenq. Epi-*

scopi.

Scopi, imò & Prussiam reliquit, profectus Lipsiam vbi & vita functus est, teste Henneberg. verbo *Risenberg.*

PROPOSITIO. X.

Propter seditiones, rixas, & bella civilia, ratione Corporis Prutenici, vel in causâ Ubiquitatis inter Prædicantes æternùm in Prussiâ gliscentia, inclinatio & ruina Ordini Prædicantico, ipsorum Prædicantum iudicio & testimonio, in Prussiâ imminere videtur.

709. NOn ego causam hanc, sed ipsi Prædicantes, & quidem etiam Borussici prosequantur, si modo, quæ de Evangelij Prædicantici statibus, apud eos tradita est Philosophia, in antecessum audiatur. Proponet eam Melenta, qui pag Y 3. & seqq Quintuplicem *Evangelij & Ecclesiæ Pruteno-Prædicanticæ* statum descripsit.

710 *Primus* inquit ille, *vocari potest status Illuminationis, dum exterminato Paganismo ante annos* 400 *& exstirpato Papismo ante* 100 an. (qua de re Disqq. 28) i gens Dei clementiâ & *divina* φιλανθρωπίᾳ, *allucere* (forte per Prædicanticas belli faces. Angarorum instar ubiq; per Prussiam collucentes) *ergo Ducatum huncce grato animo conspicitur deprædicanda qua nos in densissimus erroribus Papismi cespitantes prævenire, & in regnum suum* (uid. Prædicanticæ maiestatis) *deducere dignatus est*: ut jam, non cespitando, sed, quod vidimus hactenus, Provinciam pervolitando, atque omnia ubiq; tumultu miscendo, cum *Morlino*, *Aurifabro*, *Vogelio*, *Schlußelburgio* alijsq;, Labyrinthi inextricabilis architectis, tanquam Dædali, vel potius Jcari, è Provinciâ cum triumpho, tandem aliquando provolent.

711 *Secundus* inquit *est status Cribrationis, dum Deus* T O.M *Ecclesiæ constantiam, varijs permissis sectis & hæresibus, exercuit & probauit, ab Anno* 1532 *vsq, ad Annum* 1566 *&c. Multorum namque fidem & sinceritatem* (præsertim Prædicantum hominum mitissimorum, &, uti vidimus, innocentum!) *Deus immissis Schismatis persecutionibus, pressuris, & exilijs, ceruicibus ac humeris eorum impositis*, (vid. hinc supellectile è sacrilegis Templorum Catholicorum expilationibus, inde vero profana & turpi uxorum liberûmq́, sarcinâ ab humeris pendente) *instar auri & argenti explorauit, &c.*

712. *Tertius status vocitari potest Refocillationis, in quo Ecclesiæ vires recollegerunt, ac respirarunt, proscriptis hinc hæresibus ac hæresiarchis* (illo vid. *flore populi* Prædicantici ut ille aiebat, delibato) *restaurato vero cultu Divino, restitutis simul ex exilio officijs suis*, Theologis *sinceris, & Orthodoxis* (id est κτ̄ σαθμην, ad libellam Prædicanticam ex amussim factis, dolatis, runcinatis) *Dn: Morlino*, illo qui è Prussiâ exturbatus, durante exilio, in colloquio Vormatiensi Anno 1557 è duodecim lectis á parte Luteranorum collocutoribus, tanquam Schismaticus vel Hæreticus, cum alijs quinq́; à reliquis septem, quos inter Brentius & Smidelinus primi præcipuiq́, Vbiquitatis mystagogi ac parentes, primas tenebant, reiectus. & à colloquio cum Catholicis instituendo repulsus est, ut testatur *Florim. Ræmund. l. 5. c. 7.* Forer. Bell. Vbiq. pag. 144.) *Dn. Veneto* (qui etiam ut hæreticus vel schismaticus in Pomeraniam è Prussiâ erat pulsus) *Benedicto Morgenstern*, (qui nuper simili notâ ac supplicio affectus tandem iterato à Cniphovianis *σκυζιαν δ'ικλω* expertus est) *Ordine insuper scholastico* (qualis nempe esse solet ibi, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat) *benè ac laudabiliter instituto* (laudabiliter sanè ad mutuam tum Pseudo-Episcoporum, tum reliquorum Prædicantum,

tum, populique, ut vidimus, lanienam) *electis ac præstitutis duobus Episcopis Sambiensi & Pomesaniensi* (qui eductis utrimque, tanquam lanistæ, gladiatorum manipulis, in Provinciæ viscera liberè grassarentur) *incidit autem status iste Refocillationis in Annum* 1566 & 1567.

713. Benè est, quod non plus, uno anno, Refocillationis ac quietis hominibus iste suis tribuit: neque enim quies diuturna esse inter istos potest. Nam ne tunc quidem solidum annum viderunt quietum! quanquam iste supra quietem aliquid etiam augustius, ac magnificentius jam videatur tribuere. Sic enim pergit *Quartus status vocari optime potest status consistentiæ ac vigoris, in quo tum Religio orthodoxa vigori suo restituta, ac nullis amplius manifestis hæresibus infestata ad* ἀκμὴν *& fastigium pervenit: tum laudabiliter restaurata floruit, ab anno* 1567. *usque ad Annum* 1609: *inprimis verò ab anno* 1567 *vsque ad Annum* 1576, *Aureum Religionis Seculum flosque Reipub: Ecclesiasticæ vocari meritò potest*. Hæc Mislenta, & quidem magnificentiâ præfidentiâque magnâ. Sed illi nonnemo vetus illud occentat hoc ipso loco: τὸν Ἱππόλυτον μὴ ῥαδίως καταψεύδεσθαι, *noli temerè de Hippolyto &c.* Illustriora enim omnia sunt, quæ id temporis inter Prædicantes acta gestaque sunt, quam ut ullo orationis fuco veritas inumbretur.

714. Quid enim ait Mislenta, *Religionem Prædicanticam ab Anno* 1567. *restitutam, ad usque* 1609. *Annum floruisse?* Nemo tibi credit mi homo; quin adeo, ne ipse quidem, dicenti tibi credis. Quasi enim extra verimoniæ metas deprehensus esses, ita subito quæ falso adstruxeras, per ἐπανόρθωσιν, non jam oratoriam, sed vi veritatis necessario expressam ita corrigis, *In primis verò ab Anno* 1567 *vsque ad* 1576. *Aureum Religionis seculum floruit*, Magnum enimverò seculum, quod novem annis

censetur! Errasti quondam Plato, errastis & vos Mathematici veteres, qui cum Cicerone 2. de nat. Deor. *magnos annos* aliquot myriadibus millium annorum definiuistis. Ecce enim non Annum duntaxat, sed *seculum*, & quidem *aureum*, ad calculum longissimè diversum, Prædicanticè reuocatur; & non centum annis, ut vulgo, non centum vel mille seculis vulgaribus, ut Platoni placet, sed novem annis duntaxat definitur. Ita nimirum Prædicantibus, longe a Maronis sensu Ecloga 3. *Incipiunt magni procedere menses.*

716. Sed revertamur ad Mislentam. *Aureum vocat seculum*, illud novennium. Ego verò satius vocarim ξυνεασμόν, (quod Græcis est, *fraus*, *dolus*, *illusio*:) vel potius *seculum ferreum*. An non illo ipso tempore *ferrea pertinacia*, dimicatum est, tum inter Heshusium & Wigandum, atq; utriusq; partis παραστάτας? tum inter ipsos ciues, secum, vel etiam cum Prædicantibus digladiantes? An non illo seculo gestum est, á S. P. Q. Prædicantico, bellum illud, quod à *Concreto & abstracto*, *Concreticum* dixeris, nisi quis à Creticis, vel Cretensibus Prædicantum stratagematis, *Creticum* malit dicere! An non illo ipso tempore ea omnia gesta sunt, quæ hic memoravimus, & quæ nonnisi à ferreis populi istius moribus, in Aureo, scilicet, illo seculo, provenire ac geri potuerunt?

716. Quantò verius Mislenta illud ipsum tempus ad *statum inclinationis* vel ruinæ Evangelij Prædicantici reduxisset! De quo ille pag: Z. 2. ita pergit. *Quintus status indigitari poterit, inclinationis ad ruinam, & privationem Religionis: cuius in hoc Ducatu evidens indicium est; Primum Magistratus alienæ religioni addictus. Secundum ordinis Ecclesiastici totalis abrogatio. Tertium introductio hæresium obsoletarum, Papisticæ, Calvinianæ, Anabaptisticæ & Arianicæ. Quartum orthodoxæ Religionis contemptus Theologorum*

rum Verbique ministrorum. Sextum *Presura Theologorum ac Ecclesiæ Ministrorum, eaque quadriformis* 1. *subtractione honestæ sustentationis* 2. *subtractione antiqui salarij* 3. *denegatione honesti domicilij* 4. *Variarum persecutionum ijsdem illatione, ac intentatione á Politicis, tum apertè tum occultè.* Septimum *contemptus re literariæ, & literarum,* nimirum Prædicãticarũ alij enim Professores ex æquo ubiq; reverentiam atq; honorem experiuntur. *Octavum, studia partium, inter Ordines Ducatus, ad Pontificiorum vel Calvinianorum castra plerumq; transeuntes.*

717. Horum singula, ac præsertim, Quintum, Sextum, Septimum, (hic enim, ut vulgo aiunt, *Calceus hominem premebat*) diffusè Prædicans evoluit; quæ alio fortasse tempore à nobis quoq; explicabuntur. Interim pro causa præsente, & imminentè Evangelio Prædicantico apud Prussiam ruinâ, audiendus idem est Disput. I Colleg. Pruten. pag, A. 1. *Calamitas Ecclesiæ nostræ, in singula momenta, ac horas, non modo impendens, verum etiam eam quassare incipiens, sua atrocitate priorum temporum iniuriam, si non excedit, tamen adæquat: adeo vt verendum sit, ne Ecclesia Christi, vna cum puriore religione pessum eat: quippe quæ non solum in acie novaculæ constituta, sed etiam rimas agere deprehenditur, & nimium in modum fatiscere.*

718. Scripsit hæc Mislenta Anno 1624, cum paulo ante, non modo Behmius Anno 1614 in *Parænensi ad Ordines Borussiæ*; Anno 1617. *in Concione* dicta pro Comitijs Ordinum Regiomonti coactorum: & Anno 1620. in suo ad *Prutenicum Aulico-politicum Prodromo*; verum & universum Ministerium Regiomontanum, in illo Anni 1617 ad *Calvinianam Principis sui Confessionem responso* eadem prorsus chordâ oberraret, atq; eandem nęniam mutuum sibimet occentaret. An porro ea vox pro Cygnæa habenda sit (solet enim

Cantator Cycnus funeris esse sui.)
è duodecimæ propositionis divinatione æstimari poterit, uti & alias sæpè jam potuit.

PROPOSITIO XI.

Etiam Borussici Prædicantes, supra bellum Religionis & Ecclesiasticum, belli, vocant, Regionis & civilis, atq; externi, classicum soliti sunt canere.

719. FRustra veteres, dum bellorum causas atq; origines evolvunt, aliquam de numero Dearum, nescio quarum, Alecto,

cui tristia bella
Iræq; insidięq;, & crimina noxia cordi. Æneid. 7: cum tædis, facibus, & tubis inducere solent. Prudentius illi consilium fuerit, qui, cum Stanislao Rescio, eloquentissimo eruditissimoq; scriptore, *Atheismus & Ministromachijs* Prædicantum, eadem opera, adiunxerit & *Phalarismos* Et quid quæso necesse cum eodem est, vel edicta Lutheri Barbarica, phalarica, &, ut Anacreon ait, πατάγῳ καὶ ἀλαλήτῳ σκύτικα, *strepitu & multo fremitu Scythica*; vel Lutheranorum cruentas in Germania, Evangelicorum in Gallia, Anabaptistarum in Vestphaliâ manus producere? quid *Theatra crudelitatum*? quid *libros de furoribus Gallicis*, quid spectacula, barbaræ imò Belluinæ immanitatis plenissima, in Anglia, Scotiâ, alijsq; locis edita orbi exhibere? Satis superq; infandi spectaculi esset, si ea, quæ in Regno Poloniæ, quæ in Lithvaniâ, Prussiâ, Livoniâ, alijsq; nobilissimi huius Regni Provincijs designata, atq; ab eodem Rescio paucis recensita, spectentur: docebunt enim haud dubiè

omnes

omnes, non ab alijs, quam furiarum istarum facibus, accendi homines, ad eam animi feritatem atq; diritatem potuisse.

720. Quid si verò quis, (vt illa, tanquam vetustiora, missa faciamus) *Lauream Sveticam*, vel in eâ potius Prædicantem, *Classicum belli*, in omnes Catholicos, ac præsertim Jesuitas, sufflantem audiat! *Matthæus Lungvitius*, quem à studijs artium manifestæ veritati contrariarū, Luguitium vere dixeris, Tripartiti illius operis author est. Dici non potest, quantum iste *Senior*, ut se vocat, *Archidiaconus Rochlicensis*, (sive *Alexandrum*, sive *Iosuam redivivum*, *siue Iosvam & Hiskiam fæderatos* in scenam producat) ubique τραγῳδεῖν & classicum videatur canere! In ipsa ad Gustavum Regem præfatione, quæ non vates iste *Tiresia cæcior*, de Meretrice Babilonicâ (sic enim Prædicantes Ecclesiam Rom. insignire solent) ab illo Rege prosternenda & comburenda, ad insaniam usq; evomuit?

721. Quod si & ista quoq: videantur alicui remotiora, potest domi ad ea, quæ ante oculos etiamnum posita sunt, intueri. Tertius, & quod excedit; annus voluitur, eum Vilnæ de Calvini Schola Prædicantes, non jam argumentis, sed armatis manibus oppugnare Cœlites, *tanquam novi Gygantes*, ausi sunt D. Michaelis aliorumq; statuæ Angelorum quæ ad Ædem sacram Virginum D. Claræ prostant; parietes item, & subsellia templi missis è vicino Prædicantum Calvinianorum domicilio sagittis; ita confixæ sunt, ut vulgi quoque hinc inde confluentis oculos unâ configerent animosq; cruëtarēt. Sed ne spectaculum quidem illud vulgi innocentis periculo, quin & cædibus caruit: obversa enim in oculos innoxiè contuentium arma, displosa tormenta, & vulnera, quæ nuper statuis Angelorum inflicta, spectanti vulgo intentata, imò non sine multorum cæde illata; ita ut longè

qu que diſſiti pervolitant hus tormentorum pilis con- trucidarentur. Nam & ad Templum, ut vocant, Bernardinorum vetulus cum vetula, & ad S. Joannis ædem puer ædituus ignea glande periere.

722. Et quia tumultus hic omnis, & tumultum conſecutæ cædes, à geniali Prædicantum Calviniſticorum epulo, ortum habuere, meritò *in Gratijs ſæcularibus Academiæ Vilnenſis*, oratione in laudem Cancellariorum, & Protectorum dicta, adjectum; *Ecce novos in Litvania Hugonottas! Ecce! quidquid olim Iconoclaſtarum impius vomuit oriens intra ſe Vilna vidit revixiße! Recens nata proles fuit Sectæ Calvinianæ Archiminiſtro & ſimul ingens in Polonia Lithuaniaq; natus tumultus! vt furiam potius Erebo miſſam crediderus, quæ ſolo adventu tantum Provinciarum incendium ſufflare potuerit. Æternum certe ſeculis argumentum CALVINIANOS ad Turbas & Tumultus Naſci &c,*

723. Et mirum ſit, ſi Lutherani & Vbiquiſtæ, edito nuper in Pruſſiâ, Anno 1641 publico ſcripto, quærant *Quid de Calviniano in Pruſſia Prædicante cenſendum ſit?* & Quæſtioni hunc in modum ipſi inter alia reſpondeant pag, B 3. *Calvinianus in Pruſſia Prædicans eſt, qui non tantum ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo decipere homines, ſed etiam pacem tum internam conſcientiarum, tum externam provinciarum diſturbare ſatagit.* Primum illud, de impoſturis & ſycophantijs probatur pag. F. 2. & ſeqq. Alterum, de pace conſcientiarum ac religionis convulſâ, pag. C, 1. & ſeqq.

724. Tertium deniq; de pace prouinciarum pag D. 1. deducitur, I, ex Alberti Ducis *libello de Viſitatione Epiſcoporum*, in quo, vt ſcriptor ille ait, *perinde Sacramentarij Calviniſtæ, atque incendiarij, vel qui fontes toxico inficiunt, è Pruſſia decernuntur exterminandi*: II è Receſſibus & literis S. Regiæ Maieſtatis, Sigiſmuundi III qui Anno 1614. die 6. Julij edixit: *Tam in antiquioribus, quam in po-*

in postremis etiam pactis ac recessibus, disertè cautum expressumq́, esse, nonnisi Catholicam Religionem, vel Aug. Confessionem, cæteris omnibus exclusis Ducatus incolis profiteri fas esse, verendumq; esse, ne novis introductis sectis (qualis utiq; Vbiquitica) *pacatus & tranquillus Provinciæ status perturbetur.* Et in literis Anno 1615 ad Joannem Sigismundum Electorem Ducem q; datis, *quæ in causa religionis ante scripta fuissent, non alio fine ac proposito esse scripta, nisi vt pacem & tranquillitatem illius Provinciæ tueamur, &c.*

725 III *ab Experientia*, quâ constet, dissidia, rixas, dissensiones, seditiones & id genus turbas, quas multis annis Prussia passa est, atque etiamnum patiatur, non aliunde quam à privatis publicisq; Calvinistarum molitionibus scaturire. IV à protestatione Caluinistarum, Regiomontanis Comitijs, Anno 1641 die 19. Julij palam facta. *Nam vt quondam Ordines Prussiæ; in sacris iuxta ac prophanis rebus pro commodo patriæ vnus quasi vir, unanimi consensu agebant; ita nunc, Deo permittente, spiritus Calvinisticus, accedente præsertim tam manifesto Calvinisticæ sectæ, & tam diuturno exercitio eo rem adduxit, vt pleriq; Magnates ac Nobiles contra suos fratres, & huius provinciæ membra, ob Calvinismum aliâq;, quæ juribus provinciæ Calvinistis negantur, protestati sint, adiectis sanè non levibus minis.*

726 V. Iterum ab experientiâ, qua itidem palam fit, *Prædicantibus, & universo ministerio Lutherano, subditos inobedientes adeoq; rebelles, Calvinistarum exemplo vel consilio, esse redditos; vt plurimi in Prædicantes acerbè contumeliosissimèque inuehantur: in pagis verò, ob Calvinistas à solennibus Baptismi, matrimonij, & sepulturæ ceremonijs repelli solitos, tricas vbique innumeras olim jam ortas esse, & nunc indices oriri.*

757 VI A Joan. Bergij Doctoris, & Calvinianorum in Prussiâ, atque ad Aulam Brandeburgicam Archisynagogi, varijs, quà suo, quà suorum Marte, molitionibus &

bus & technis; uti & à dictâ nobilium protestatione, machinisque in eadem, Augustanæ Conf. & Apologiæ eiusdem, Corpori Prutenico vehementer & periculosè admotis. Quibus sane haud iniuria, poterant adiungi ea, quæ Bergius in Præfatione ad Ordines Prussiæ, *Apostolicæ Regulæ* ab se nuper editæ præmissa videtur machinari. Postquam enim (fortassè ad Machiavelli vel alterius Pseudo-politici apotelesmata, vel juxta illud in primis protritum *si ius violandum, regni causa violandum est*; vel illud *jura, periura*, &c.) Juramentum, quo universi Prussiæ Ordines, ad servanda pacta, conventa, & jura Patriæ sese obstrinxerunt, plurimum elevavit, & palam contendit, *Lutheranos ad eliminandos, vel non tolerandos in Prussia Caluinistas, nullo prorsus juramento obstringi, tum quia in Baptismo* (audi nouam Philosophandi rationem!) *non ad condemnandum vel persequendum; sed potius ad amandum proximum, DEO sese juramento obstrinxerunt; Tum quia Principi suo, ac Prussiæ Duci, cum iurant, non se obligant, ad impediendum eiusdem Principis voluntarium religionis exercitium, &c.* tandem classicum, quamvis tacitè, canere, & suos ad aliarum exempla Provinciarum videtur incitare.

728. Quid enim sibi illa volunt pag. D. 3. *Non memoro, quomodo in exteris provincijs ac regnis, zelosissimi quoque Catholici Ordines, vbi diu cruentis armis, in causa religionis sævitum est, ad extremum Tolerantiam, & ad Reipub. honores atq; dignitates admissionem, tanquam vnicum optimum, & ipsi quoque Religioni Catholicæ commodissimum, pacis ac tranquillitatis medium cognoverunt. &c.* Quid item illa pag. D. 4. sub finem præfationis? *Persuadere mihi non possum, aliquem, nisi respectibus, & id genus affectionibus in præceps agatur, tam simplicem esse posse, qui id patriæ suæ Priuilegium, atque immunitatem esse censeat, quod civitates & provinciæ vicinæ, si sibi imponeretur, summam reputarent seruitutem, &c.*

729. Non sunt, mi Bergi, Borussici Prædicantes ita *obæsæ naris*, quin isthæc odorari possint, aut *suspendi* abs te, quam temetipsum *naso suspendere adunco* malint. Neque enim tu aliud hic moliris, quam quod cap. 11. pag. 158. cum *de reformatione*, hoc est de Calvinismo publicâ authoritate inducendo, philosophareris scriptum reliquisti. Placuit hic te quoq; loquentem producere, ut qui Theutonicam linguam non callent, e latinâ philosophiam, politicen, eloquentiàm, & pleraq; animi tui sensa, paucis accipiant. Sic igitur tu l. c. *Sicubi plebs & communitas*, partim Lutheri, partim Calvini sequacibus constans (de his enim sermo est) *in vrbe, vel provincia aliqua dissidet, ita vt magna pars non modo errorem non agnoscat, sed insuper Lutherani Oralem manducationem suam, Vbiquitatem, Exorcismum* (in Baptismo) *Imagines, oblata, aliaq; id genus, pertinaciter tueantur, & alios* (Calvinianos) *qui hæc non admittunt, idcirco vt hereticos condemnant; tunc isti necessario se, ab ijs qui condemnant, segregare, imo & particularem Religionis reformationem instituere coguntur; Presertim si Princeps Christianus* (*cui, iuxta exemplum Asa, Iozaphat; Ezechiæ, Iosiæ, onus reformationis potissimum incumbit*) *parti orthodoxæ* (quemadmodum in Prussiâ Calvinianis) *sese adiungat; quo in negotio* (Princeps ille) *nullis humanis maiorum suorum legibus impediri potest, cum illi dominari conscientijs posterorum vel eos vllo pacto, doctrinis erroneis, vel superstitionibus illigare minime possint: quemadmodum id inter Christianos* (*vtpote qui Religionem suam non humanis legibus, vti pagani & Mahometani, sed solo verbo Dei niti & fundari volunt*) *certum et extra controversiam positum est, &c*

730. Ne vero Bergio quis reponat, *subditos eam reformationem*, in Prussia *minime passuros*: in antecessum homo catus ita occurrit, *Spes est, nunquam zelum apud Lutheranos eo progressurum, vt erga legitimum magistratum,*

qui ijs

qui ijs conscientiæ & religionis permittit libertatem, idcirco insurgat, quod is parem, pro se & religioni suæ addictis, in sua ditione ac provincia libertatem vsurpat, ac manu-tenet, &c. Et sane iniustitia summa esset atque iniuria, si subditi magistratui suo tantum libertatis in causa Religionis & conscientię non permittant, quantum ipsi sub eiusdem Magistratus præsidio habent!

731. Quid ad hæc Borussici nostri, ac præsertim Vbiqvistæ? Primum taciti apud se illud ingeminant, *Notate verba, signate mysteria!* parumque abest, quin cum populo illo, qvamvis alia mente, attoniti exclament, *Manhu! Manhu!* Tum verò

Et cantare partes, & respondere parati,

paribus numeris classicum canunt. Et primum quidem, ab ipso currentis seculi exordio; præsertim cum Anno 1603. & seqq. ad Culmbachianam Electoralem domum Brandeburgicam, è Franconicâ Anspachianâ, Feudum Prussiæ transferendum esset, *sub tunica*, ut aiunt, *& sinu* res geri videbatur, adeo ut vix juxta Sophocleum illud,

ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος
εὑδούσῃ φρενί,

Tecto sub ipso dormienti fas fores
Audire densas guttulas animo,

732. Deinde ab Anno 1609. & seqq. audiri sensim vox classici illius cæpit; cúm per institutas varijs comitijs âc judicijs contra Calvinianos actiones, tum per editos à Ioanne Behmio, *Prodromos*, *Paręneses*, *Conciones*, &c. Tum per scriptum à Mislentâ *Manuale Prutenicum*, *Disputationes Collegij Prutenici*, &c. Tum per πολέμικα variorum opera, Regiomonti in publicum emissa: Tum verò potissimum per accensas, eo clàssico, inter Prussiæ Ordines, simultates, quibus factum est, ut scissis in duas factiones Ordinibus, hi quidem *Querulantium*, illi verò *Protestantium* nomen sortirentur, & consertis apud Regia, &

gia & Rèip. tribunalia manibus, aliquot annos dimicarent; uti & ex Recessibus Anni 1616. & sequentium, libro Privilegiorum pag. 144. & seqq. insertis, hodieque patet.

733. Denique cum post plurium annorum, non levia omnino duella, Calviniani, in pùblico Ordinum Conventu, Anno 1641. (uti hic sæpius diximus) Protestati palàm in adversarios essent, classicum illud Ennianum insonuit,

Et Tuba terribili sonitu Taratantara dixit.

Continuo enim scriptum à Lutheranis, tacito authoris & lòci, ac Typographi nomine editum, Quæstionem illam, Omnibus Prussiæ Ordinibus, solvendam proposuit, *Quid de Calviniano in Prussia Prædicante censendum esset?* Et ne forte rarus admodum esset; qui tritum illud ex merito usurparet

νῦν σφίγγος γρίφους οἰδίπος ἐφρασάμην

Nunc sphingis nodos Oedipus explicui;

ipse author, etiam Davo cuivis subventurus. ænigma ab se propositum, non minus clare, quam diffuse, dissoluit.

734. Respondet enim ipse ac pluribns probare contendit, Calvinianum Prædicantem in Prussiâ (sic enim germano ore, iuxta ac pectore profatur) *Esse I. veteratorium ac malignum, pacis æternæ seu conscientiarum turbatorem*, id enim; ni fallor, significat, pag. C. Ein frewentlicher friedenstörer des gewissens. II *Esse turbatorem pacis externæ ipsorum inter se civium*; hoc enim vult Ein Zerstörer des eusserlichen friedens der einwohner vntereinander pag. D. III. *Esse hominem sine ulla conscientia*, sive, ut pag. E. 2. dicitur Ein gewißenloser mensch. IV. *Esse Impostorem, Sycophantam*, sive nebulonem, ac Circumscriptorem, sive. ut ille ait, Ein Leutbetrüger.

Neque

735 Neq; hic Classici illius vox desijt: quod enim de suo nequit, addit de alieno; dum ad finem ipsum geminam Calvinistæ descriptionem, è duobus Politicis affert; ex utraq; Calvinistas publicæ pacis hostes, ac perduelles esse probat. Altera superius est cum Behmio inducta; & pluribus hic induci posset, nisi eum altera plurimum conveniret, quæ ex *Selnecceri Comment. sup. exam. Philip. sumpta*; inter alia, sic habet, *Calvinista est homo, qui magistratum, & alios decipit, qui se, suosq; ad animæ, & corporis interitum præcipitem agit: qui regna integra, provincias, & vrbes, occultis inimicitiis, seditionibus, odijs, bellis, & cædibus replet: qui vbique* (ut sic forte etiam Calviniani Ubiquistæ sint) *salutarem pacem & concordiam discindit, &c.*

736 Atque hoc quidem in Caluinianos classicum canitur; quid verò in Catholicos? Finis nullus esset, si omnia persequar; neque tamen aliqua præteribo, quæ minus obvia, ac nostrorum Regiomontanorum propria sunt. Matthias Stoius, cujus supra jam meminimus, *Erhardi Nisi Turingi, & in Borussia*, ut ipse se vocat, *Verbi Dei Ministri*, aliorumque Prædicantum calamis, vel potius, strictis in Pontificem Rom. & Pontificios armis stipatus, Principi Radivilio, Palatino Vilnensi, non tantum calamos, verum & arma in eosdem, classico suo ita suggerit,

Tu verò Radivlonum decus, inclyte Princeps,
O generose Tuæ sanguis amorq; domus!
Adsere divini verissima dogmata Verbi
Qua debes Dextra vindice, quaq; potes.
Me verò hæc alacri fer Classica voce Canentem,
Qua sola potui parte venire Tibi.
Atq; vtinam liceat! quoniam libet esse in ijsdem
Partibus, in quas hæc nuda Thalia volat.
Non timeam calamum, vocemq; in Fata Papatus
Stringere, dum nequeo fortis ad Arma Manum.

Tu ma-

Tu maius quiddam potes & præclarius istis,
In laudem patriæ Dux animose Tuæ.
Macte animo! Radivilonum stirps inclyta, Macte!
Inq; tuas laudes nil superesse sine.

737. Væ misero Papæ. væ Papistis omnibus! si Cadmeis istis fratribus, periadè in alios, atque in se, quantum libet, liceat esse fortibus:

ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

Nempe viris Iupiter non omnia vota secundat. Homer. Rectius facerent, si quemadmodum mutuis inter se bellis, alij alios è medio facessere jubent, ita universi, Prophetâ, imò Deo per Prophetam, suadente, *Pacem & veritatem diligerent*, Zach. 8; ne, & se, & alios iuxta perditum irent; vel apertis, & semper patentibus, non tam Iani, quàm Europæ portis, Turcæ alijsq; barbaris, ad evertendam Christi Ecclesiam, aditum aperirent.

PROPOSITIO XII.

E veteribus, & etiamnum vigentibus Prædicantum in Prussiâ bellis, constare vel cæco potest, nunquam apud eos veram Christi Ecclesiam fuisse aut esse.

738. HAbet enim locum hic illa Disqq. 4. prop. 6. ratiocinacio: Prædicantum in Prussiâ Ecclesia, neq; fuit, neq; est hoc tempore una, proindè neq; vera: *Antecedens* è tot, tantisq; Prædicantum in Prussiâ bellis, qualia disqq hac & 17. memorata sunt, abunde patet. Ne verò illi, uti solent, obtendant, ea bella vel vetera, vel cum Calvinistis duntaxat, alijsvè id genus heterodoxis gesta esse, memoremus ijs tum recentia, tum inter ipsos quoq; Ubiquistas nata, atq; adeo etiamnum vigentia. καλέσουσι γὰρ ἀλλήλους ὥσπερ οἱ κίκονες, vt ait Synesius; *Mutuum*, inquam, *sibi acclamabant*, mo-

bant, more Ciconum, quibus mulierculas imitari, & audita, vel visa re novâ admirabundos, viciniam totam concitere mos est,

739. Satis autem erit sisti illis Prædicantes, Movio ac Mislenta Ducibus, inter se, usque ad internecionem digladiantes. Eorum uterque Lutheranus; & Lutherani gregis pastor; ille quondam apud Caunam, iste vero etiamnum apud Regium montem: Ubiquistæ uterq́; Anno 1624 Cœlestinus Mislenta, Secundam *Collegij Corp. Pruten. Disputationem* de Scripturâ Sacrâ, tanquam regulâ ac normâ illius Corporis typis evulgarat. Non longe post Caspar Movius, in disputatione nonnulla (quæde Scripturæ S. vi, efficaciâ, & illuminandi movendique ἐνέργεια ὁ κτλ σαθμῶν, neque *ad amussim* neq́; *ad sanam doctrinam* satis idoneè videbantur dicta) *ceris miniatulis*, melius quam Ciceroni Atticus facere consueverat, obducere, quin & ὁ ἔλιξεν cùm Aristarcho cœpit, quemadmodum sub finem Disp. 9. Collegij Pruten. Mislenta ipse queritur.

740. Hinc subitò bellum, quod ipsos sedecim annos tenuit, & nisi Mouium exilio, aliisq́; belli calamitatibus fractum, de arena illa, jam victorem, præter spem, fata rapuissent, ad hanc usq́; diem teneret. Certatum initio scriptis, vel potius schedis minutioribus, & quasi, ut dictum est, *ceris miniatulis*; tandem ventum est ad *arma decretoria*, & per tribunalia, non modo in Prussia, *coram Academico Senatu, coram Iudicio Aulico, & coràm Consistorio Sambiensi*, ut ipse Mislenta pag. 13. fatetur. verum & ad ipsius Regis thronum acerrime pugnatum; quoad tandem judicio ac decreto Regio Victor Movius, cum triumpho Regiomontum redux quina circiter millia florenûm, pro tribunali mulctæ & damni causâ sibi addicta, instituta nova actione repeteret.

741. Cum verò, ne sic quidem victus Mislenta quie-

quiesceret, sed allisi per Herculem ad terram Antæi instar, animosior fortiorque resurgere niteretur, arrepto iterum calamo, hostem (quem cæteris armis omnibus non poterat perdomare) confixurus, grande volumen ab se scriptum, publicum facit, titulo *Movius Hæreticus*. Neque Movius sibi in tempore defuit. Pari quocirca mensurâ, officium Mislentæ pensat, editque mole haud minorem librum, titulo *Mislenta Tyrannus*.

742. Et putas istos, citra auxilia, in arenam progressos solos? Magnus utrumq; exercitus Prædicantum, & aliorum, de Prædicantum castris, velitum cingit, non minore utiq;, quàm ipsi Duces, sive animo, sive rabie pugnaturus. Si Maroni id bellum canendum esset, iterum, suo more, ordiretur

Pandite nunc Helicona Deæ, cantusq; movete;
Qui bello exciti Reges, quæ quemq; secutæ,
Complerint compos acies, &c Æneid: 7.

Nobis necesse non est percensere eas, quæ à parte Mislentæ steterint copiæ. Norunt enim omnes & numero, & animis & opibus ingentes fuisse. Si Movio vel dimidiam, vel tertiam duntaxat partem adfuisse quoq; demonstremus, nunquid ad periculosum, atrox, cruentum, & prorsum civile bellum defuisse aliquid censebimus?

743. Et verò nemo melius ac verius, copias Movij percensuerit quam ipse Mislenta. Audiatur quocirca. In ipsa *Movij Hæretici*, ad reliquos Prussiæ Prædicantes Dedicatione, pag. 9. fatetur; Bellum id à Movio sibi intentatum, *cum magna Ecclesiæ convulsione, nec minore infirmiorum scandalo.* Ecce belli calamitatem non spernendam! Jjsdem propè verbis pag 14. præfat. ad Lect. ait, *Libris à Movio editis*, hoc est armis & præcipuis huius belli machinis atq; catapultis, *Ecclesiam magnum scandalum & turbas passam, simpliciores & infirmos, hostis*

illius furore. graviter affectos & perculsos, &c,

744, Hæc Movius ipse! vbi vero, & quid Movij auxiliares copiæ? Recensebit idem Mislenta, quanquam ingratijs, & ut ille, qui secundum Comicum τὴν ἀναγκαίαν τύχην τρίβει, *Necessariā fortunam terit.* Ac primum pag. 19 *Negare*, inquit, *minimé possumus, Dominorum Rostochiensium Theologorum censuram, quam & Rathmaniani per turbulentum Hoierum* (qui deinde ut idem Mislenta pag. 31. scribit, *tanquam homo nequam & calumniator, à Prædicantibus Gedanensibus indignus eorum societate, collegio ac consessu iudicatus, ideoq; migrare inde coactus*, à Svecis Brunsbergæ constitutus erat Prædicans, & Collegium Societatis homo indignissimus incolebat) *Anno* 1628 *dolosè expracticarunt, adversarij nostri sententiæ consonum sit.* Vah! Rostochiensis Academia pro Movio contra Mislentam in acie stat! Non dico, quanta illa & cuius apud Lutheranos omnes authoritatis sit! illud dico, Regiomontanæ finitimam, &, si non terrarum spacijs, certè Civium ipsorum commercijs, & usu quotidianæ familiaritatis proximam.

745. Sed ea Censura; ut l. c. & cap. 10. Mislenta pronunciat, *à Rostochiensibus non recognoscitur pro genuina*, & quidem Calovio ita per epistolam attestante. At tu Mislenta, ipse jam recognovisti. Quod si iterum neges, vide ut te Movius, in suo *Myslenta Tyranno*, verset! Quid, si verò ille evincat (uti cap. 3 pag. 125. & seqq. & cap. 7. pag. 346. & seqq. molitur) non tantum Rostochiensem, verùm & Jenensem, & Wittembergensem, & alias Academias; vel præcipuos in ijsdem Doctores, ab se, partibusq; suis stare? Scio te Movio (utcunque rem, iuratis quoq; testibus probet) fidem non daturum: credes tamen, ut spero, Tibimetipsi. Tu enim ipsus es, qui non tantum exteros, verum & cives tuos, adeoq; Regiomontanos ipsos, imò, quod mire-

mur, i-

mur, ipsos de tribu tuâ, & quidem maiorum etiam gentium Prædicantes, ac Symmystas tuos, ad castra hostium provolasse, & contra te, tuosq; in acie dimicasse, acerbe acerrimèq; quiritaris.

746. Cum enim tibi pag. 28 pleriq; auriculam vellerent, ac dicerent, *Multos esse, qui Movium sequerentur; imò non deesse ex ipso Ministerio, qui illi militent,* Tu primum pag. 29, reponis, *Posse famam, uti solet; & ipsius Movij iactantiam, præter fas & æquum, multa ad rem veritatemq, ipsam adijcere.* Tandem nihilominus pag. 30. ita scribis. *Negare non possumus, multos initio fuisse, qui Movij partes contra nos tuebantur. Quidam præcipuo constitutus loco, qui Magister esse vult in Israel, ausus est dicere, Theologos Regiomontanos, ea de Verbo Dei docere, quæ conscientia ac pudore salvo, neque deberent, neq; possent. Qua illi causa, Mouius datis Anno 1626. literis gratulatus est, quod inter paucos, vnus in Borussia esset, qui veritatem, in Articulo de Verbo Dei, agnosceret & doceret.*

747. Estnè præterea aliquis de maiorum albo Prædicantum in Movij castris? *Alius,* inquit Mislenta pag. 31. *eiusdem farinæ, qui Archipresbyteralem itidem occupat sedem, ausus est nos Phantastas & Fanaticos appellare; atq; Movio, quod inique à nobis opprimeretur, condolere. Ita prob dolor! hic in provincia agitur! Vterq; horum, dignitates & ministeria præcipua tenet; neq, Ecclesia duntaxat, verùm & aliorum inspectio Pastorum, & Ecclesiæ Ministrorum ijs commissa est. Hi socias nobis manus, ingruente certamine iungere, & nos contra hostes veritatis tueri deberent: sed illi, hostili in nos sunt animo, colludunt adversarijs nostris, eosque in suo contra nos furore roborant: Ecclesiæ verò, & ipsis Ecclesiæ Ministris, magno sunt offendiculo; neq; verentur Dominos Theologos Consistoriales* (ipsa vid Senatus Prædicantici capita!) *plenis; iniuriarum verbis aggredi, uti à quodam eorum nuper factum. Qua de re Theologi illi questi*

quidem sunt, & severam inquisitionem (fortè etiam Hispanicam) *postularunt, neque tamen quidquam obtinuerunt.*

748. Atq; hæc auxilia, Movio extra Regiomontum, accessere. Quid Regiomonti? *Hic Regiomonti,* scribit idem Misl. pag. 32. *habuit etiam Movius commilitones suos: sed hi* (quod Mislentæ causam plurimum convellat) *erant planè ipsius mancipia: habuerunt illum instar Idoli, & placita eius, tanquam oracula ex Tripode pronunciata. Hi pro sua parte plurimum ad Movianum istud bellum ac furorem contulerunt; dum illum* (Movium) *contra nos excitant, & omnia, quæ hic scripta vel acta sunt, prodiderunt. Ex horum numero hostium nostrorum, vnus atque alius in eo errore, ac noxia opinione, mortuus decessit; vtinam alij, qui supersunt, ad mentem redeant, &c.*

749. Habemus de auxilijs è regione Prædicantum Movio venientibus; jam Mislenta prosequitur ipsas cohortes prætorianas, non sanè alijs quam Triarijs, (quia de Ordine Politico, & ipso civili magistratu, qui in regno Prædicantum supremum ubiq; jus ac locum habet) constantes, ideoq; non sine illa Maronis præfatione. Eclog. 4.

Sicelides Musæ paullò maiora canamus,

à Mislentâ percensendas: *Neque defuerunt Movio,* inquit ille pag. 32. *inter Politicos patroni, qui ei & verbo, & facto, vbiq; subsidio essent. Prodiderunt sese pleriq;, cuius spiritus essent! Cum de causa discurrendum erat, gravabamur atque accusabamur nos, quod minimè necessariam controversiam exorsi essemus, quod Movium opprimeremus; quod causa Movij æqua esset. Vsurpata quoque sunt hæc, longe spectantia verba, Quis scit, vter tandem alteri cessurus ex acie sit? Vnde facile pateat non deesse consilia, quibus vni atque alteri nostrum cucullus, Movio verò auxilia parentur.*

750. Ne verò putes, memoratos hactenus Politicos, de trivio, aut minoribus subsellijs Movio subsidiarios

rios

rios venisse, iam ille pag. 33, ita pergit. *Habuit itaque Movius per hos annos* (à 1624. ad 1637,) *continuo auxilia, hic ad aulam; in civitatibus, & in ipso litteratorum ordine: ita vt durante bello hoc, & processu iudiciali, qui inter nos & illum intercessit, multorum corda hominum, adeoque* (quo grauius ac periculosius quid tandem esse potest?) *ipsorum Auditorum nostrorum, revelata sint.*

751. Cùm Mislenta, & Mislentianici Prædicantes, à Moviano exercitu de omnibus Ecclesiasticorum, Politicorumque ordinibus lecto, ita incursarentur, & tot annos (erant ad ipsum Movij obitum circiter 16. ut interim bellum, quod morte Movij non omnino sopitum est, hoc loco sileatur) omnibus viribus premerentur; quantum, quæso, Regno Prædicantico accessit in Prussiâ calamitatis! Referet id quoque, vel ex parte, Mislenta ipse, qui pag. 33. ita scribit. *Eo proh dolor! extremis hisce & calamitosis temporibus ventum est, vt pauci inveniantur, quibus orthodoxa religio cordi sit! apud maiorem partem zelus, & amor veritatis extinctus est, ita ut sint vel tepidi; vel verbo duntaxat, & specie externa orthodoxæ religioni addicti, animo verò Calvinismo gravidi, & odio in puros & cordatos Prędicantes pleni, quin insuper etiam rebelles & jurati hostes: quos cum manifesto bello persequi non possunt, cuniculis & tacitis machinationibus deesse nihil patiuntur. Volupe illis est, quoties Theologorum* (Prædicantum) *fama, nomen, honor, invaditur, &c.* Eadem pag. 256. & alias sæpè memorat.

752. Si igitur, ut hic Prædicantum Regiomontanorum Princeps fatetur, *Pauci inveniuntur, quibus orthodoxa Religio cordi sit, &c.* &c. nunquid jam κὴ τυφλῷ δῆλον, *lippisque*, ut aiunt, *& tonsoribus notum* satis erit, Veram nunc Ecclesiam apud Prædicantes in Prussiâ non esse? Quomodo enim vera Ecclesia, sine orthodo-

xâ religione? aut quomodo orthodoxa religio, *si cordi non sit*, consistere alicubi possit? *An* non, vel Prædicantum judicio, fixum illud Apostoli, ratumq; esse debet, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* Rom. 10? Quæ igitur, aut qualis illa tandem Ecclesia est, in qua, uti ipso *Prædicantum* Borussicorum principe referente audivimus, neq; *Corde creditur ad justitiam, neq; ore confessio fit ad salutem*? idq; ab ipsis Prædicantibus & Ecclesiæ magistris?

753. Quid si, ad istam sive confessionis, sive Fidei veræ ruinam & excidium, adijcias bella præsentia, præteritaque, omnium qui hactenus in Prussiâ fuerunt Prædicantum? Quis enim unquam fuit, qui non vel Sacramentario ad Annum 1624. vel Osiandristico ad 1567. vel Calviniano ad 1624. vel Mislento-Moviano, ad hæc usque tempora, bello implicaretur? Ipsi adversarij, uti hîc frequenter audimus, ultro fatentur; Maiorem tum populi, tum etiam Prædicantum ipsorum partem, omnibus aut saltem plerisq; hisce bellis, ab orthodoxiâ & verâ religione declinasse, atq; ita Ecclesiam perpetuis schismatibus discidisse. Quomodo igitur ea Ecclesia unquam Una? quod si non Una, quomodo unqvam Vera?

754. Quod si, quemadmodum Mislentam audivimus, ita Movium quoque de præsente bello, & belli caussis atque cladibus (maiore utique tum dolore, tum verò etiam eloquentiâ, ac, vernaculæ præsertim lingvæ, nitore iuxta ac numero, quod Mislenta, & omnes, qui utriusq; scripta legerint, ultro fateantur) differentem audiamus? Quid, si quæ cis, & intra Bregelam, de Ubiquitate, & omnibus, in caussâ Vbiquitariâ excitatis dimicationibus, præsertim inter Hassiacos & Wirtembergicos; tum vero etiam inter Saxones, ac nostros Borussicos Encelados, ultro citroque gesta

sunt,

ſunt, & geruntur adhuc bella, reſpiciamus? nunquid ullus jam, ſani judicij mortalium, eſſe poterit, qui iſthîc vel UNAM, vel VERAM Eccleſiam, vel utriuſque, aut ſaltem alterius, veſtigigium ullum eſſe fateatur?

DISQVISITIO XXV.

An ad Vbiquitatem, & alias Prædicantum nænias, in Pruſſiâ adſtruendas, Corpus Prutenicum, vim & authoritatem Symbolici Libri habuerit, vel habere poſſit?

755. QUi Diſqu. 21. propoſit. 2. quemadmodum jus faſque eſt, admiſerit, nullum hic *in ſcirpo nodum* invenerit. Si enim Confeſſio Aug. in S. R. I. Provincijs, Symbolici libri authoritatem obtinere jure nuſquam potuit, quis id *Corpori Doctrinæ*, quod Confeſſione Aug. alijſque Prædicantum centonibus conſtat, jure tribuerit? Quia tamen Mislenta, tum in Manuali ſuo, tum in omnibus ſuper Corp. Pruten. diſputationibus, eminus cominusq;, ex adverſo dimicat, retundenda ſunt hoc clypeo, & in ipſum adverſarium regerenda deinceps tela.

PROPOSITIO. I.

Sine Regis, ac Regni Poloniæ ſcitu & conſenſu; uti neq; innovari quidquam in Religione, ita neq: Symbolum ullum Religionis condi, vel recipi in Pruſſiâ poteſt.

756 FAteri id omnes in Prùſſiâ Prædicantes debent; qui hoc ipſum, quo de agimus, *Prutenicum Corpus*. Calvinianis in Pruſſiam irrumpentibus, muri inſtar objiciunt. Cuius verò authoritate hic ipſe murus erectus, qui & Vbiquiſtas, cæteroſque Lutheranos, ſecuros florentesq; in Pruſſiâ complectatur; & Calvinianos cæteroſq; Sectarios omnes, quaſi à Sinarum regno, cuneos Tartarorum immaniumq; Scytharum eliminet? *Regia*. inquiunt ipſi. Quod, quam verum ſit, deinceps patebit. Interim illud liquido jam patet; quemadmodum Calviniſtis ſine Regis ac Regni Poloniæ conſenſu, patere in Pruſſiam aditus non poteſt, ita neque Vbiquiſtis, alijſq; ſub Auguſtanæ Confeſſionis umbrâ deliteſcentibus monſtris, patere unquam potuit, aut nunc, ſi authoritas illa conſenſusque deſit, patere poteſt.

757. Et iure hæc in Calviniſtas Ubiquiſtæ, quibus cum, ſi lege talionis adverſarij agere velint (uti quidem vult & *Bergius in Regula credendi Apoſtolica, & nuper, in Proteſtatione Anni* 1641. Viri quidam nobiles] vix demum invenieut, quòd pro dignitate reponant. Quæ enim, ſive in declaratione illâ, quæſtionis *de Calviniano in Pruſſia Prædicante*; ſive in *Manuali* Diſputationibusq; ſuis Mislenta; ſive *in Reſponſione Anni* 1617. Miniſtri omnes ex adverſo obtendunt; ea, ut cum Xenophonte loquamur, *ne cicadam quidem invmbrent*; cum Lippis ac tonſoribus notum ſit, Ducatum Pruſſiæ non ſuper alia, quàm Catholicæ Religionis fundamenta, initio ſtru-

ctum, ſta-

ctum, stabilitumq; esse. Audi quæ hac de re in publico illo *Pacis perpetuæ*, inter Sigismundū I. Regem, & Albertum I. Prussiæ Ducem, instrumento, adeoque in ispa Feudi ac Ducatus erectione, Privileg. prussiæ pag. 33. consignata, & hic Di q. 28. prop. 1. recitata sunt.

758. Ne quis porrò hos ipsos iuris apices convellere, aut recepto plerumq; more, flectere in gratiam Prædicantum, atq; unâ tam firma & ad ipsius universi soliditatem comparanda, Ecclesiæ Catholicæ fundamenta concutere possit, nemo legis ac juris illius sensum, melius explicarit, quam quæ olim tulit, Regia itidem & totius Reip. Polonæ eminentissima Maiestas. Quocirca audiamus *Acta & Decreta Commissionis S. R.M. Anni* 1609. *Regiomonti habitæ*, & voluminî Priuileg. Pruten. insertæ Pag. 101. sic in causâ Religionis edicitur.

759. *Dubium nemini est, Religionem ipsam Catholicam ijs oris primitus institutam, propagatamq; fuisse, ipsoque tempore Regiminis Ordinis Cruciferorum, nec non sub Erectione, & Institutione Fevdi viguisse; bonaque & possessiones ad vsum earum Ecclesiarum habuisse: nec alio jure & conditione ipsam primevam investituram ratione Feudi concessam fuiße, quamuis, quibus Magister Ordinis, Cruciferiq; has terras antea tenuerunt Quos integris Episcopatibus, bonisque Ecclesiasticis, maximè autem Religione Catholica florente, Provinciam hanc possedisse, verius est, quàm ut demonstrari sit necessum.* Duo potissimum in præsentem causam hoc iuris textu clarissimè asseruntur. Alterum quidem, nullo alio rei Ecclesiasticæ Religionisque iure, Ducatum Feudumq erectum, quàm quod olim sub Crucigeris in Prussiâ viguit. Alterum verò nullam aliam sub Crucigeris, quam Catholicam in Prussiâ Religionem viguisse ac floruisse. Atq; ex hisce duobus, tanquam è legitimis alicuius Syllogismi præmissis, conclu-

sionis alicuius instar deductum est, quod eodem loco subjicitur in hæc verba,

760. *Et quamvis permissum fuerat Religionis Augustanæ exercitium, non tamen Religionem Catholicam eo submotam: sed salva potioreque Catholica reservata, penes illam quoque vsus Augustanæ permissus: sed permissus potius, quam approbatus, vel confirmatus est. Ita veró permissus ipsius vsus privilegio Lublinensi, de Anno 1569. vti iuxta formulam August. Confessionis, & eiusdem Apologię tantum, &c. à subditis Ducatus Prussiæ vivatur. Illud enim, quod suis Fundationibus, & Privilegijs constabat, violare nequaquam licuit.*

761. Quæso vt hæc ob oculos Prædicantes nostri habeant, &, si fortè Dialecticas ratiocinandi regulas non omninò aspernantur, ita apud se argutentur.

Quod suis Fundationibus & Priuilegijs constabat, id violare nequaquam in Prussia licuit:

Sed Religio Catholica suis Fundationibus & Privilegiis constabat;

Ergo Religionem Catholicam violare in Prussia nequaquam licuit.

Præmissarum utraq; ex ipso citati juris textu sumpta, tam consequens quam consequentiam, in bonâ formâ evidentem infert. Subsumant jam ijdem more apud Chrysippum Dialecticosq; recepto

Religionem Catholicam violare in Prussia nequaquam licet.

Ergo neq; innovare quidquam in Religione, neq; ullum Religionis Symbolum condere aut recipere in Prussia licet.

PROPOSITIO II.

Corpus doctrinæ Prutenicæ, ab Alberto I. Prus-

siæ

ſiæ Duce, nunquam veluti Symbolicus doctrinæ fideique liber, probatum; aut, non magis Lutheranorum quàm Calviniſtarum cauſâ, probatum.

762. CUM negare ſuperiorem propoſitionem adverſarij nullo pacto queant, ſciantque adeo nihil animæ, nihil vitæ ac vigoris, Corpori ſuo Prutenico ineſſe poſſe, niſi publico Regis, Regniq; Poloniæ conſenſu & approbatione fuerit affuſum; triplex potiſſimum tempus comminiſcuntur, quo informe Corpus illud, tanquam ſymbolum, formatum fictumq; doceant. *Ac primum* quidem tempus tribuunt, Commiſſioni Anni 1566. & 67. Ita Behmius in *Inſtruct. de Corp. Prut. cap.* 3. *pag.* F. 3. *Miſlenta Manuali* pag. R. 1. ubi cum de adiunctis Corporis Prutenici diſſereret, quinto loco memorat *Omnimodam ſingulorum capitum, in Repetitione illa, approbationem ab vniverſa ſynodo, ita vt Repetitio Corporis, cum ipſo Corpore doctrinæ, pro Symbolo harum Eccleſiarum recepta & agnita eſſet. Paſtores enim ſcripto diligenter perlecto, & re tota, per aliquot dies, quantum ſatis eſt, maturè deliberata, vnanimi conſenſu reſponderunt, ſe ſcriptum illud; cum planum ſit, & in Verbo Dei fundatum, conſentientibus ſuffragiis approbare.*

763. Habemus igitur Corpus doctrinæ a magno illo Prædicantum, & quidem in ſynodo coactorum, ſenatu probatum! Et quidni magnum ex illa approbatione Corpori acceſſerit pondus? *Laudavit enim ſcruta ſcrutarius*, ſive, ut alij aiunt, ῥωποπώλης. Expendit ad graviſſimi judicij ſui libram, pondus hoc Miſlenta, & *inventum eſt minus habens.* Quid enim homines *de tribu Levi*, operi per ſe viliſſimo ac leviſſimo, adderent ſive ponderis, ſive authoritatis? Quocirca adijcit ipſius Principis calculum, & quidem de Teſtamento eiuſdem Princi-

Principis erutum. Sic enim pag. R: 2. scribit. *Primò igitur huc facit Testamentum Illustrissimi Ducis Alberti, 17. Februarij Anno 1567. quo expressè ac gravissimè cavit hæredibus ac successoribus suis, ut ante omnia in vera & pura Christiana Religione, & Prophetica, Apostolica, atque Evangelica* (quò loco Mislenta apposito signo hoc NB, adiungit sequentem glossam, ,*h. e. Corpore doctrinæ Prutenicæ*) *perseverent.*

764. Sed quo pacto Mislenta, suos iuxta ac alienos docebit, *per Evangelicam Doctrinam*, in testamento Principis, intelligi Corpus doctrinæ? An non satius in *Evangelica doctrina* Calvinistæ, qui se Evangelicos potissimum vocitent, commenta sua dicent approbata? præsertim cum & Princeps ille, ab Evangelicis istis fraterculis non omnino fuerit alienus, quos *in sua Anni* 1617. *Responsione*, Lutherani omnes Ministri Aulam obsedisse undique, & Principis tum senioris, tum Iunioris stipasse latera fatentur. *Hærebant, in Aula Regiomontana*, inquiunt illi pag. B 3. *ad latus Principum Politici, qui & ipsi, unà cum alijs, Calvinismo clam erant addicti, eumq; nervis omnibus clandestinò ibant promotum: imò qui Principem juniorem insidiosè circumvenire, & ad Calvinismum perducere satagebant.*

765. Et possunt Calvinistæ pro suâ causâ adducere, quæ in testamento, de *Ordinatione Ecclesiastica*, seu, ut vulgo aiunt, *Agenda*, Princeps subijcit. Neque enim Testamento confirmari potuit *Ordinatio Ecclesiastica*, sive *Agenda Lutheranâ*, quæ tum necdum concepta aut nata fuerat, uti Mislenta ipse, pag R 5. innuit, dum Agendam illam Corpore Prutenico posteriorem facit, *siquidem*, ut ille ait, *Articuli certi ex Corpore Doctrinæ deprompti, Agendæ illi inserti deprehenduntur.* Non igitur alia Ordinatio Ecclesiastica, quam illa Anni 1558. Testamento confirmata fuit. At hanc fuisse ab Aurifabro

& Cal-

& Calviuistis fictam formatamq; , plus satis constat, tum ex innumeris Mislentæ, Ministrorumq; omnium *in Responsione pag. A. 4. & seqq.* Threnis & gemitibus; tum ex ijs quæ Disq. 24. prop 5. â nobis dicta. Si igitur Ordinatio Calvinistica Testamento probata, quis neget, *In, & cum Doctrina Evangelica*, non aliam, quam Calvinisticam, Testamento Principis fuisse probatam?

766. Quidquid porro sit, de Ordinatione illâ, atq; Agendâ, constat sanè Corpus ipsum Prutenicum, Testamento Principis serius conceptum natumq; esse, ut ita, quod in rerum naturâ necdum fuit, probari testamento illo minimè potuerit. Quantum enim quæso inter 17. Februarij, & 28. Maij interiacet? Atqui *Corpus Doctrinæ* (ut expressè Mislenta Q. ult consentiente Behmio, *in Parænesi Anni* 1614) *die sexta Maij*, à Kemnitio & Morlino, *ad finem deductum fuit, vti annotatum legimus in Autographo, quod hodieq; in Archivis Ser. Electoris Brandeburgen. Regiomonti asservatur*; deinde 26. *Maij*, ut idem subijcit, *in Synodo habita Regiomonti ventilatum, & 28 à præcipuis Pastoribus subscriptum*, *ac deniq*; 9. *Julij Typis chalcographicis descriptum, idque jam post discessum Morlini & Kemnitij ex Prussia Brunsvigam versus susceptum*; imò & post ipsius Principis Alberti obitum, *qui, Anno* 1568. *die* 20 *Martij in Tapiau defunctus erat*; ut l. c. causâ 13. pag. F. 3. Behmius memorat. At verò Testamentum Principis, ut idem Mislenta pag. R. 2. ait, *eiusdem Anni* 1567 *die* 17. *Februarij* confectum, & *die* 9. *Iulij Anni* 1568. *à Sigismundo Aug: Rege Grodnæ confirmatum est*. Quod si ipsum *Corpus Doctrinæ*, propè quatuor menses posterius Testamento natum, probari & confirmari Testamento eodem non potuit, quanto minùs potuit eiusdem *Corporis Repetitio*, quæ, uti ex Actis Commissionis Anni 1609. colligitur, *Anno* 1570. primum videtur côaluisse?

Quando

767. Quando igitur Mislenta, ut audivimus, *Evangelicam Doctrinam* Testamento Principis confirmatam asserit, necesse est, ut Caluinisticam, præsertim *Ordinatione Anni 1558. comprehensam*, asserat confirmatam; cum Lutherana seu Ubiquistica, quæ Corpore Doctrinæ eiusdemq́, Repetitione continetur, dum Testamentum conderetur, necdum fuerit, atq́; ita confirmari probariq́; non potuerit. Nam & hic verum esse debet illa sapientum maxima; *Non entis, nullæ sunt affectiones.* Fecit itaq́; Mislenta operæ precium, quando de ipso Principis primi Testamento, secundum Calvinistarum in Prussiâ libertatem, vindicias dedit: quâ sanè causâ, ijdem Calvinistæ, homini tam magnificè benefico, omnem gratiarum chorum, triumphali curru obvium mittent.

768. Neque minorem sanè gratiam debent Calvinistæ, tum Joanni Behmio, tum etiam Calovio, Behmij iuxta ac Mislentæ pullastro. Nam & Calovius *Comment. in Aug. Conf. pag. 211. & seqq.* vel invitus fatetur in Conventu Naumburgensi, Anno 1561 propositam, approbatam, & à Principibus Ordinibusq́; Protestantium subscriptam fuisse; non genuinam ac primigeniam illam Anni 1530, Confessionem, sed recognitam, variatam & à Philippo alijsque, Anno 1540. & seqq. mutatam: hoc est eàm, quæ, ut *in Respons. Anni* 1617. Ministerium totum multis queritur, Calvinistis *dignum patela operculum est*. Behmius verò *in Parænesi, causa*· 12. in suis ad Præfationem Alberti Principis, Corpori doctrinæ præfixam glossis, pag. F. 1. imò & Ministerium Universum in Resp. An. 1617. uti disqq. 23. prop 3. n. 579, audivimus, palam fatetur, *Confessionem Aug.* ad quam Corpus Prutenicum, tanquam ad amussim & normam fictum factumque Princeps scribit, *illam ipsam esse quæ ab Electoribus & Principibus, recens, in Conventu*

Naum-

Naumburgensi, subscripta probataq; esset.

799. E quibus, tanquam è præmissis, argumentari ita Calvinistæ possunt.

Quæ Confessio Aug. in Corpore Prutenico recepta, probataq; est, secundum eam Calvinistæ in Prussia vivere possunt,

Sed variata ac mutata Conf. Aug. in Corp. Pruten. recepta probataque est.

Ergo secundum variatam ac mutatam Conf. Aug. Calvinistæ in Prussia vivere possunt.

Maior propositio Lutheranorum contra Calvinistas in Prussiá tot annos dimicantium, *vnicus Achilles est*, uti Responsio Anni 1617. Manuale cæteraq; omnia tum Mislentæ, tum Behmij, tum Calovij scripta loquuntur. *Assumptio* hic à Behmio Caloviоq; asserta est. Quid restat, nisi ut Conclusionem *obvijs ulnis* Calvinistæ amplectantur? Quocirca eant jam cum Mislenta, & Behmio suo, nostri in Prussiâ Lutherani, & Testamento Principis confirmatum Corpus Prutenicum, &, quod hic vidimus, assertum in Corpore Prutenico Calvinismum glorientur!

PROPOSITIO III.

Corpus Doctrinæ Prutenicum, neque 1566. neq; 1566. Anno, à Commissarijs Regijs probatum fuit.

770. ALterum tempus, quo confirmatum, & quasi exanimè *Sapientiæ Doctrinæque illius Animalis* Corpus, adspirante Regiæ aurâ gratiæ, quasi affusâ animâ donatum, adversarij iactant; est gemina Anni 66. & 67. Commissio, & quæ Commissionem utramq; secuta est, Regia Confirmatio. Behmius *tum in instructione super Corp. Pruten. pag. F. 3. tum in Parænesi Anni* 1614.

1614. *Causa* 11, *pag.* E. 2. ait Recessibus utriusq; anni, Corpus illud confirmatum, & tanquam symbolum, ac genuinam in causa religionis tesseram, universæ provinciæ propositum. Sed videtur hic Behmius neque oculis caligantibus satis hausisse neq; ore calamoque profudisse, ipsam optatæ veritatis lucem. Quomodo enim Anno 1566. probari aut confirmari Corpus illud potuit, quod sequente deinceps Anno 1567. uti prop. præced. vidimus, natum fuit?

771. Videtur insuper magnus ille populi Ubiquistici prophetes, *elephantina*, ut aiunt, *egisse proboscide*; quæ tamen Mislentæ, qui aliàs illum, ut est apud Athenæum non secus ac *melanurum perca sequitur*, non omnino defuit. Unde præteritâ Anni 1566. Commissione, in quâ ne quidem verbo unico mentionem Corporis doctrinæ factam sciebat, solum *anni* 1567. *Recessum*, *pro Corporis* illius quasi insani, *sospitatione* pag. R. 3. producit. Quod verò *pag.* R. 4. *& seqq.* expressis verbis subjicit, *Cum hoc Recessu coincidere ac conspirare Decretum in Recessu Commissionis Anni* 1566. 4. *Octob. in Conventu Regiomontano Ordinibus Prussiæ extraditum*, illiberaliter sanè facit; cum in eo Decreto ne mentio quidem Corporis facta sit. Multo verò illiberalius illud est, quod pag. R. 5. subjungit, *nomine Agendæ Ecclesiasticæ*, quæ illo Decreto deinceps confici permissa est: *simul innui constitutionem Corporis Doctrinæ Prutenicæ, siquidem Articuli cert. ex Corpore doctrinæ deprompti, Agendæ illi inserti deprehenduntur.*

772. Nunquid enim, quia Agenda, ut pacis publicæ causâ, certi ritus in Ducatu servarentur, condi permissa; eo ipso Corpus Doctrinæ (cui Articuli Smalcaldici, & id genus, in Catholicam Ecclesiam contumeliæ insertæ) permissum est? ut scil. impune liceat, *Summum Pontificem Antichristum*, & non modò Cardinales,

Episco-

Episcopos, aliosq; Ecclesiasticos, verùm & ipsos S. R. I. Principes; potissimum verò Imperatorem, & Catholicos Reges, (Sedis Apostolicæ, & Rom. Pontificis Advocatos ac defensores) *Antichristi satellites*, impudentissimè, contumeliosissimè, atq; iniquissimè appellare? Hoccine Commissarij Regij, Catholicissimi Viri, Joann. à Słuszewo Palatinus Brestensis, Joannes Kostka Castellanus Gedanensis, alijq; egerint, ut dentes & effrænata Prædicantum ora, in ipsa Christiani nominis capita armarent? Nunquid ij, qui membro uni Reipub. vulnerato, medicinam aut malagma adferebant, cætera eiusdem Reip. membra, & quidem præcipua, ne dicam capita, hominum propè amentium furori obnoxia reddebant?

773. Et tamen Mislenta iuxta ac Behmius, ll. cc. potissimum ex Recessu Anni 1567. pertinacissimè urgent, Corpus doctrinæ, expresso quoque, non tantum Agendæ, verum & Corporis doctrinæ nomine probatum. Quin Mislenta, inter alia ex eodem Recessu, ut ille pag. R. 4. scribit ἀξιομνημόνευτα, tertio loco illud memorat, quod *Corporis doctrinæ exercitium, non ceu secundarium ac particulare, penes Religionem Papisticam tolerandum, sed ut primarium ac solitarium, in hoc Ducatu ab omnibus incolis, nullo excepto, ab imo subsellio usque ad summum fastigium acceptandum.* Item. *Nullum ab hac doctrina Corporis Prutenici alienum (adeoq; ne Pontificijs exceptis) ad officia sive Ecclesiastica, sive Politica promovendum, in ijsve tolerandum, sed deponendum esse.*

774. Cupio Lectorem, cupio & ipsum Mislentam tum istorum, tum eorum, quæ pag. R. 6. *tragicùm itidem spirans* detonat, memorem esse. *Doctrinam illam* inquit ille, *in universis huius Ducatus Ecclesijs personare, ac exerceri debere; & quidem sine ullà tergiversatione & recusatione; sub interminatione, certæ ac inevitabilis secus facientibus.*

tibus, ac contra nitentibus, pœnæ. Itanè verò omnibus? Etiam Catholicis? Etiam, inquit ille, dum ita ſubdit. *Vnde colligere cuivis facilimum, tunc temporis, nec de præſenti, nec de præterito rationem fuiße habitam Religionis Catholicæ, & quidem ceu primariæ ac potioris, uti moderni Pontificij contendunt.* Et mox de inſpectorum, hoc eſt Pſeudo epiſcoporum, Anno 1569 conſtitutorum, munere officioq; loquens, verba Receſſus ita ſuis interlinit gloſſis. *Omnes ſectæ irrepentes (ergo etiam Papiſtica non eximitur) arceri ab Eccleſia debent : Verbum Dei per Evangelij præcones (non verò per ſacrificos papales) vbiq; (& non aliquibus tantum locis) purum putumq́, doceri, & prædicari debet, &c.*

775. Ad hæc, aliaq; iſtiuſmodi edicta, quæ Mislenta paſſim deſpuit, ſequente Diſq. reſpondebitur. Nunc illud unum volo Mislentam monitum ἢ φρονεῖν ἔλασσον, ἢ δύνασθαι δεῖ μεῖζον; *aut minus animi, aut plus potentiæ:* oportet enim aut minùs animoſum eſſe, aut plus poſſe; vel, ut Plutarchus aiebat, *addendum viribus, detrahendumque animo eſſe.* Jnterim fatebor atq; ultro Mislentæ cæteriſq; omnibus dabo, Receſſui Anni 1567. Corpus doctrinæ inſertum fuiſſe, ſed an, & quatenus probatum ſit, è ſeq. prop diſcendum eſſe.

PROPOSITIO. IV.

Corpus Prutenicum, etiam Privilegio Comitiorum Lublinenſium, Anno 1569. probatum confirmatumq; non eſt.

776. Tertium Tempus referunt ad comitia An. 1569 Lublini celebrata. *Tertio* (ſic enim Mislenta pag. R. 6. Manual.) *in primis pro confirmatione, & ratificatione*

catione, Corporis doctrinæ harum Ecclesiarum, facit Privilegium Lublinense Anno 1569. *Illustrissimo Duci Alberto Friderico, à Divo Sigismundo Aug. Rege Poloniæ,* 19 *Iulij concessum, &c.* Neq; secus Behmius tum in *tertia parte concionis, Anno* 1616. *pro Comitijs* seu Conventu Nobilium Regiomonti habitæ, tum *in Parænesi Anni* 1614. *pag. F ult.* tum multo uberius, in *Instructione super Corp. Prut.* Quo loco, inter alia, pag. itidem F. ult. *Memoratum*, inquit, *Corpus Prutenicum, à D Sigismundo Aug. Anno* 1659 *iterato cum omnibus suis punctis & clausulis privilegiatum & confirmatum est.*

777. Verum & hoc, quid aliud est, quam cum Antiphane Bergæo βεργαΐζειν? Privilegio Lublinensi nihil aliud, nisi Aug. Confessionem, eiusdemq; Apologiam confirmatam, vel potius permissam duntaxat esse, ipsa Privilegij verba, tum *in volum. Priv. pag* 90. tum *in Parenæsi Behmij pag* G. & in *Instructione pag* G. & *Manuali Mislentæ pag.* R. 6. citata docent. Sic enim Sigismundus Aug. *Cùm ab Illustrissimo Principe, Dño Alberto Friderico Marchione Brandeburgen. & in Prussiâ Duce &c. Nepote nostro charissimo & à suæ Illustritatis Consiliarijs intellexissimus, Universos Ordines Ducatus Prussiæ, in eam Doctrinam Religionis, quæ communi consensu Senioris Ducis piæ memoriæ, omniumq; Illustritatis suæ subditorum juxta formulam Augustanæ Confessionis, & Apologiæ eiusdem recepta & publicata est, consensisse: ob eam rem multis & gravibus causis adducti, Illustrem Dominum in Prussia Ducem, omnesque suæ Illustritatis subditos, & universam ditionem, in hac ipsa Doctrina Religionis, clementer conservare statuimus, sicut & præsentibus literis nostris nos conservaturos inposterum, pro nobis ac pro Serenissimis successoribus nostris, Poloniæ Regibus, in verbo Regio promittimus ac pollicemur; ea tamen conditione; ut Augustanæ Religionis Doctrina incorruptè servata, omnia alia peregrina dogmata & hære-*

ſium genera, quæ poſt Auguſtanam Confeſſionem exorta ſunt quæque ab ea ſunt aliena, non modo non ferantur, ſed penitus prohibeantur & aboleantur.

778. Quo, quæſo, Privilegij huius loco, non dico ipſum Doctrinæ Corpus confirmatum, ſed mentio quoq; illius, ut confirmaretur, facta? An non potius permiſſo ſolius Aug. Confeſſionis uſu atq; exercitio, palam interdicitur tum omnibus alijs, tum Corporis Prutenici dogmatis, tanquam poſt Confeſſionem Aug. exortis? Nonne hoc adiectâ conditione ipſe Rex edixit? *Ea tamen conditione*, inquit ille, *promittimus ac pollicemur, vt Auguſtanæ Conf. Doctrina Incorrupte ſeruata, omnia alia peregrina dogmata, & hæreſium genera, quæ poſt Aug. Conf exorta ſunt, quæq; ab ea ſunt aliena, non modo non ferantur, ſed penitus prohibeantur & aboleantur.*

779. Ecce! hic dogmata omnia prohibentur, *quæ vel poſt Aug Conf. exorta, vel ab ea ſunt aliena*! Atqui Corporis Prutenici dogmata, & *poſt Conf. Aug exorta ſunt*, (quia Confeſſio Aug. ut fœcunda hæreſeon mater, cùm alias alibi peperiſſet ſectas, demum quadrageſimo prope anno evoluto, Corpus illud informe juxta ac enorme, in Pruſſiâ effudit) & *ab Aug. Conf. aliena ſunt*; niſi enim aliena eſſent, aut potius ſi eadem eſſent, qvid neceſſe fuiſſet ſuperſtite Confeſſione Aug. Corpus illud parturiri? Si eadem eſſent, quid opus fuit, novas Synodos cogi, volumina nova ſcribi? aut Kemnitios & Morlinos è Germaniâ, ut ſcriberentur, evocari? aut cùm ſcripta eſſent, ab Ordinibus Provinciæ expendi, probari, recipi? aut pro Comitijs Regni, ut reciperentur, aut potius ut probarentur, & confirmarentur, ſupplicari? Tantum igitur abeſt, Corpus illud Privilegio Lublinen. confirmatum eſſe, ut potius eodem prohibitum abolitumque, cum omnibus alijs ſectis, videatur.

780. Sed audi, quid Behmius, *Inſtruct. l. c.* obtendat!

dat! *Princeps noster, cùm Lublini Feudum acciperet, non ipsam immediatè Aug Confessionem, sed recens conditum Doctrinæ Corpus probandum confirmandumq́, porrexit, & quod super eo Privilegium petierat, obtinuit* Magnum ac plus quàm Delphicum necesse est fuisse Tripodem, è quo ista Behmius hausit? Unde enim alioqui scire potuit, Corpus Doctrinæ Regi oblatum fuisse, cùm Rex, ne verbo quidem, Corporis mentionem dicto privilegio faciat? Dicet fortasse Behmius, id quod Behmij παρα-στάτης, suo suorumq́; nomine, pag. R' 8. dicit, *Mentione Doctrinæ Religionis, indigitari nostrum Doctrinæ Corpus.* Itane verò? nomine ac verbo uno, vid. *Doctrinæ Religionis*, eoq́; communi, & latè admodum patente, Corpus Doctrinæ indigitatum? Si Calviniani, ut de Catholicis alijq́; taceam, suam, eodem Doctrinæ, Religionisq́; nomine, atq́, appellatione indigitatam dicant; quid est, quod merito Mislenta reponat?

781. Reponit ille tamen; &, *Omnia* inquit, *descriptionis verba, quæ porro adducuntur, in symbolicum nostrum libellum examussim cadunt.* Non tu *Vir* duntaxat *Reverendus, sed eris mihi magnus Apollo* Mislenta, si vel unicum produxeris τεκμήριον, quod ego quoq́;, uti ingenij tardi ac paullò hebetioris, *in Symbolicum libellum vestrum quadrare examussim* advertam *Primo Corpus doctrinæ*, inquit ille, *communi consensu Ducis Alberti p. m. omniumq; Celsitud. suæ subditorum, constitutum, receptum, & publicatum est, ex Decreto vel Recessu Commissionis Anno 1566, eiusdemq́; executione, Anno 1567. ut supra vidimus.* At enimverò, supra n; 640. & seqq. vidimus, maiore etiam consensu Alberti Ducis, eiusq́; subditorum, imò ipsorum quoq́; Prædicantium, si non omnium, certè præcipuorum plurimorumq́; suffragijs, *constitutum, receptum, publicatumq́; Corpus Doctrinæ*, tum Cal-

vinisticum, in præclarâ illâ *A.* 1558. *Ordinatione* Ecclesiasticâ; tum Osiandricum, in Confessione Anni 1554. Hocne igitur utrumq;, aut alterutrum Privilegio Lublinen. probatum?

782. Patent hic mihi, vel tacente te, animi arcana tui. Respondebis quocirca, quod Behmius tuus *in Instruct. pag.* E. 1. respondit. *A morte Osiandri Anno* 1552. *caligo & tempestas, per DEI gratiam, dissipari sensim cœpit, ita vt Princeps sequentibus annis benignissimè à furore Osiandri ereptus, in veram Evangelij semitam reductus sit.* Si res ita habet Mislenta; si, inquam, Dux Albertus ab Anno 1552. & morte Osiandri, respicere lucem Evangelij postliminiò cœpit; utiq; & cum Anni 1554. Confessione, Osiandrismum; & Calvinismum, cum Ordinatione Anni 1558. ad eandem Evangelij lucem, produxit. Ne hoc quidem admittis, quia Behmius quoq; l. c. memorat Principem, animadversis in utroq; illo partu priore monstris, tandem ad Corpus Doctrinæ se convertisse; atq; illud demum pro γνησίῳ ac genuino haberi voluisse; &, ut haberetur, testamento, ac Decreto Recessus confirmauisse.

783. Quid ponderis, hâc in causâ, Testamentum & Recessuum decreta habeant, prop. 1. vidimus. Tu verò videris utrobiq; supra arenam præsidium locasse, quod sponte suâ corruit: ut, nisi in præfatione, quam Princeps ille Corpori doctrinæ præfixit, & Behmius in Parænesi pag. E. ult. & seq. recitat, plus præsidij habeas, ipse cum tuis præsidijs in præceps ruas. Fatebor quocirca, ne te in hac arena frigidè admodum batuentem, longius morer; & quidem ultrò fatebor, ab Alberto Seniore, Corpus Prutenicum, tanquam Doctrinam religionis receptum, & communi tandem consensu publicatum esse. Ne tamen idcirco tu, aut tibi, aut cuiquam tuorum concedi, à me putes, idem *Corpus Do-*

ctrinæ. Privilegio Lublinensi, fuisse probatum aut confirmatum, sequens te prop. manu ducet.

PROPOSITIO. V.

Corpus Doctrinæ tum ob Articulos Smalcaldicos, & convitia in Catholicos ijsdem contenta, tum etiam ob variatam ac corruptam Aug. Confessionem, Lublinensi Privilegio probatum confirmatumque non est.

784. ORdiamur à postremo, & brevitatis causâ ita ratiocinemur.

Privilegium Lublinense, permittit solam incorruptam & invariatam Confessionem Augustanam.

Ergo Privilegio Lublinensi, neq́, probatur, neq́; confirmatur Corpus Doctrinæ Prutenicum.

Antecedens Patet I. ex ipsis Privilegij verbis, tum quibus Rex *Statuit Principem Albertum Fridericum, eiusque subditos, in ea doctrina Religionis clementer conservare, quæ communi consensu Senioris Ducis, omniumque subditorum, juxta formulam August. Confessionis, recepta & publicata est*: Tum deinde quibus apponitur *Ea conditio, ut Augustanæ Confessionis Doctrina incorrupte servata, omnia alia dogmata prohibeantur & aboleantur* 2. Ex Decreto & Actis Commissionis Anni 1609. Quibus *exercitium & Usus Augustanæ Conf. permissus potius, quàm probatus, vel confirmatus* dicitur: & quidem illo ipso *Privilegio Lublinensi de Anno* 1569. *ita permissus, uti juxta formulam Conf. Aug. & eiusdem Apologiæ tantum vivatur.*

785. *Consequens* etiam manifestum est, tum quia, ut prop. 2. demonstratum, Corpus Doctrinæ non Incorruptam, sed variatam & mutatam, in se Aug. Confessionem continet: Tum quia non sola *Confessio Augustana Incorrupte servanda*, sed alia quoque peregrina dogmata

& hæreses, uno illo Privilegio, contradictoriè simul & permitterentur, & prohiberentur: Tum deinde, quia non plus Lublinensi Privilegio concessum, quàm, à Principe & Ordinibus Prussiæ, fuerat postulatum: at, vel e perpetuis Prædicantum bellis, Feudum illud & Privilegium antecedentibus, de quibus Disq. 17. & 24. atq; à medijs & vijs, ad extinguenda illa bella variè tentatis liquido constat, Ordines & Principem, illud duntaxat postulasse, ut sibi ab Osiandristarum & Calvinianorum incursu liberis, sub Augustanæ Conf. quam initio complexi erant, liceret umbra deinceps conquiescere. Tum denique, quia si Augustanâ Conf. permissâ, velint Lutherani permissos sibi Articulos Smalcaldicos, & alia quæ Corpore Doctrinæ continentur, nihil est quod invidere, ut refragari possint Calvinistis, ex permissa Conf. Aug. uti dudum moliuntur, sua Calvinique sui somnia, alibi. & in Prussia deducentibus, ac pertinacissimè tuentibus.

786. Jam verò, & primum illud de Articulis Smalcaldicis, & contumelijs ac probris, in Catholicos omnes de Prædicantica ingenij subtilitate directis, non minus evidens est. Quis enim est, cui in mentem venire possit, ita væcordem fuisse, aut esse potuisse Sigismundum Aug. Regem, ut Articulos Smalcaldicos approbando, furori & accensis in Pont. Rom. Prædicantum omnium facibus *oleum*, ut aiunt, *affunderet*? &, cum Pontificem Rom. Antichristum esse, Privilegio illo edixisset, suis juxta ac alienis populis, Prædicantum more, classicum in Pont. Rom. caneret? An potuit ille Pontificem Rom. vel animo cogitationeque tacitâ, Antichristum fingere, quin eodem momento, & seipsum, & Augustissimum Imperatorem Rom. & reliquos Reges Principesque Christianos, Antichristi satellites, hoc est mortalium omnium deploratissimos, juxta ac facinorissi-

norosissimos constitueret? Ergo Rex ille, qui & à facilitate morum, & ab ingenij animique candore, summam ubique laudem hactenus meruit, inter ἀιξονευομένȣς ἢ γλωσσαςαϖίδας numerandus?

787. Obsecro Prædicantes, ne sapientissimorum gravissimorũq; Poloniæ Regum quenquam, *in Ialemos putent adscribendum.* Sicubi Principes repererunt (quanquam ego inducere animum non possum, reperiri uspiam ita βαλανοφάγȣς, qui homini honesto, ne dicam summo Populi Christiani Principi, convitium impune fieri velint! tantùm abest, ut lege lata, vel aliquo legum civilium, ne dicam divinarùm articulo, idipsum jubeant, ac sanctum esse velint!) Si tamen uspiam Principes aliquos repererunt, qui inter articulos fidei, hunc quoq́, censeant, *Rom. Pontificem esse Antichristum* (hæc enim Articulorum Smalcaldicorum, pro quibus nostri Prædicantes, tanquam *pro aris focisque* dimicant, summa, nucleus, aut coronis est) quæso ut ab eorum censu & albo, Principes Regesque nostros omnes, nec non & ipsum Sigismundum Aug. longè exesse patiantur. Patientur autem, si Articulos Smalcaldicos, qui vix aliud sunt, quàm Cyclopica quædam fulminum, & id genus armorum, hoc est contumeliorum & conuitiorum Prædicanticorum officina, per Reges ac Principes nostros, nunquam probatos aut confirmatos fateantur. Et fatebuntur, ut spero, si quæ Disq. seq. probantur, citra meritum non improbent.

DISQVISITIO XXVI.

An, & quo pacto Corpus Prutenicum, quo Ubiquistæ nostri potissimum niti volunt, à Regno & Regibus Poloniæ, saltem ratione Articulorum Smalcaldicorum damnatum sit?

788. QUo Ubiquitatem, cęteraq; commenta sua, Ubiquistæ, aliiq; Prædicantes Borussici tueântur, Corpus Prutenicum, quasi *Clypeum Aiacis* obtendunt. Quin ex eiusdem Corporis Prutenici obiectu, Articulos quoq; Smalcaldicos, hoc est suum illud contumeliarum in Catholicos armamentarium, eunt defensum. Quid si verò nos, ipsum Corpus Prutenicum, si non ratione sui, saltem ratione Articulorum Smalcaldicorum ferali Θ. dispunctum damnatumque, hoc loco demonstremus?

PROPOSITIO. I.

Prædicantibus non est satis facere quod libet, nisi contendant, etiam licere, quemadmodum libet.

789. NEscio sapientiæ arcanæ, an potius (ut ego quidem sentio) nequitiæ effrænatæ quorundam hominum, adscribendum illud sit, quòd cùm habenas cupiditatum semel laxarint, perfringere malint obiectas moles

moles ac metas, quàm effusum in præceps cursum retinere. Et aliquis istos legibus patriæ, vel sapientum coërceat? Hic enimverò verum est illud Batillij;

Perrumpunt corvi, quas texit aranea telas.
Queis se, innexa pedes, solvere musca nequit.
Ferrea non aliter Leges sunt vincula plebi,
Stuppea sed magnis vix retinacla viris.

Allusit Pöeta ad dictum Pij II. Pontif. quod alius Pöeta breviore metro adstrinxit.-

Innodat culicem, sed muscæ pervia tela est.
Sic rumpit leges vis, quibus hæret inops.

790. Quid verò illud, quod aliqui facinora, nequitiamq; suam publicis etiam legibus sanciunt? Fuit apud Persas, teste Herodoto lib. 3. Cambyses Rex, qui insano sororis amore correptus, sapientes ac proceres suos percontaretur, Ecquæ tandem lex esset, quæ nuptias cum sorore admitteret? Respondent illi, Nullam esse. *Esse tamen, qua Regi Persarum liceat, quidquid libet.* Ad hanc propè Cambysis legem Prædicântes & omne Prædicantum satellitium, cùm insano in Rom. Pontificem odio arderent, subitò legem sanxerunt, quâ scilicet impunè & odisse, & indignissimis contumelijs palam incessere, Summum populi Dei Principem sibi liceret, ut prop. seq. patebit.

PROPOSITIO. II.

Ut Prædicantibus, quemadmodum libebat, ita etiam liceret, Summum Pontificem, & omnes Catholicos maledictis & contumelijs palam incessere, ipsi sibi legem sanxerunt.

Factum

791. Factum id Anno superioris sæculi 1536 Smalcaldiæ, quod est oppidum in finibus Thuringiæ situm. Cùm enim, veluti Divinæ humanæq; maiestatis perduelles, omnibus judiciorum tribunalibus damnati, ad Concilium Generale identidem provocarent, Carolus V. Jmp. alijq; Principes Catholici, ad revocandos utiq; restituendosq; rebelles, à Pontifice Concilium flagitarunt. Indictum est à Paulo III. Mantuam primum; deinde Vicentiam ac Bononiam; tandem verò Tridentum, justissimis tum periculis, tum causis translatum, Tridentini nomen obtinuit. Vocati sunt peramicè, cum suo satellitio Prædicantes, & quicunq; in Prædicantum castris adversus Ecclesiam Christi militabant. Principes quidam Germaniæ (quos hoc quoquè tempore Protestantes vocant) tùm hâc, tum alijs de causis, Smalcaldiæ Conventum suorum cogunt, jubentq; Lutherum, ut quæ Mantuam, communi omnium nomine, viderentur ad Concilium mittenda, scripto exararet. Fecit ille, & tantâ suorum, Principumq; stipatus frequentiâ, (videres illius Furiæ ingenium, ad omnem Favonij auram strenuè intumescens!) quasi Dictator quidam, Orbi Christiano ab se victo, eas leges articulosque scripsit, quos & tumor animi, naturâ homini insitus, & diu gliscens, radicatumq; in Pontificem, Ordinesq; Ecclesiasticos odium; & deniq; audacia singularis, è præsente suorum numero, militaribusq; consilijs, in bellum Smalcaldicum proximè erupturis, orta suggerebat.

792. Vocati sunt *Articuli illi*, ab eo Principum & Prædicantum conventu Smalcaldiæ cöacto, *Smalcaldici* & tomo 4. Vittemb. Lutheri pag 416. & seqq. insertj. Quos inter, ordine quartus est, de *Papa, seu Pont. Rom.* *quod jure Divino minimè sit caput Ecclesiæ, sed potius Antichristus, qui sese supra Christum elevavit, quod propriè, secundum*

cundum Paulum 2 Thesʃal. 2. est ſupra & contra Deum ſe locare, &c. &c. Hinc, ne neſciremus, quo ſpiritu magnus ille prophetes afflatus, oracula ſua promeret, aut quem, in eo Evangelio ſuo, ſcopum haberet ob oculos poſitum: ita quaſi compendio omnia claudit. *Denique nihil niſi merus Diabolus eſt, quando ille,* Pontifex Rom *ſua mendacia de Miſſâ, Purgatorio, Monaſtica vita, Operibus & Meritis (in his enim verus conſiſtit Papatus) promovet, ſupra, & contra Deum, damnat. occidit, & affligit omnes Chriſtianos, qui hanc ipſius abominationem ſupra omnia non extollunt, & honorant Quapropter, ſicut non poſſumus Diabolum, Domini ac Dei locô adorare, ita Apoſtolum ipſius Papam, ſive Antichriſtum, in ſuo Regimine pro Capite & Domino pati non poſſumus. Nam mentiri & occidere, corpus & animam æternum perdere, Papale Regimen propriè eſt, uti multis libris à me demonſtratum eſt,*

793. Hoc potiſſimum articulo, quaſi quadam Ægide Palladis, armati Prædicantes, non modo impotenter, ſed etiam impunè graſſari maledictis in Catholicos alibi cùm cœpiſſent, parem ſibi in Pruſſiâ, & cæteris Regni Poloniæ Provincijs, licentiam ut tandem aſſererent, vide quâ via, & arte uſi ſint.

PROPOSITIO III.

Etiam Boruſſici Prædicantes, ut pro libitu, Rom. Pontificem & Catholicos, maledictis & convitijs impunè proſcindere poſſent, Legem ſibi propriâ authoritate ſancire conati ſunt.

794. QUâ enim aliâ de cauſâ, Articulos Smalcaldicos tum olim Corpori doctrinæ inſeruerunt! tum modò tantâ contentione, defendere ac tueri conantur!

nantur? Nimirum videbant in Christianissimo Poloniarum Regno, caninæ illi Eloquentiæ, quam & abundè perdidicerant; & strenuè gnaviterq; alibi exercuerant, nulla rostra esse positâ. Quid facerent! Æstuabat in ijs plus æquo, mustum illud de Lutheri, quá prælo, qua popinâ recens haustum; rumpebatq; adeò *veteres juxta ac novos etiam vtres*; ut, quemadmodum Disq. 17. & 24, videri potuit, omnes in Prussiâ ordines iuxta æstuarent; ex quo denique æstu civilia illa Prædicantum aliorùmque bella sunt accensa.

795. Ergò, cùm Publicâ Regis ac Regni authoritate, belli illius faces Anno 1566. & 1567. per Commissarios restingverentur, atq; eo fine Evangelium Prædicantum, unde facibus illis oleum affundebatur, percolandum purgandumq; esset, necesse fuit condi novum librum, qui à spiritu Prædicantum, carnem ubiq; & sanguinem olente, non iniuriâ vocatus est Corpus Prutenicum. Congesta in illud Corpus erant, quasi pistillo contusa, primum *Confessio* Aug. deinde *eiusdem Confessionis Apologia*; tum, si Superis placeret, *Formulæ Concordiæ*. Sed quantumcunq; his alijsq; fartum esset, adhuc videri ac dici *Corpus sine pectore* potuit. Deerat enim adhuc masculus ille Prædicantum vigor, qui se in convitijs, rixis, discordijs, contumelijs, & id genus criminationibus potissimum exerit; ut Corpus illud fractum atq; elumbe, illi, quod Prometheus de luto finxisse in fabulis dicitur, simile, & nonnisi á contentionum, rixarum, odiorumq; igne animandum, videretur, aut suscitandum. Quod, quo eventu, per Articulos potissimum Smalcaldicos tentatum, perfectumve sit, deinceps videndum erit.

PROP-

PROPOSITIO. IV.

Articuli Smalcaldici, &, ratione eorum, ipsum quoq; Doctrinæ Corpus in Prussiâ damnatum est.

796. Si ad hanc causam, Calvinistas quoq; testes admitteremus, minimè nobis vitio ab Ubiquistis esset vertendum: jus enim & fas cuivis nostrum est, quærere, vel non aspernari, ut Zachariæ verbis utar, Luc. 2 *salutem ex inimicis nostris. & de manu omnium qui oderunt nos.* Posset igitur hîc, non sine Prædicanticâ Maiestate, quâ apud Aulam Brandeburgicam, totâ Prussiâ ac Marchiâ, viget ac floret, Bergius testis pro tribunali stare, & non tantum falsi crimen Vbiquistis nostris impingere, (uti fecit Præfat Reg. Apostolicæ pag D & hic Disq 23. prop, 1. citatus) quod videlicet asserant, *Privilegio Lublinensi, Corpus Prutenicum esse confirmatum, quod tamen integris vndecim annis, à dato Privilegio conceptum natumq sit*; verùm & insuper palàm docere, *Corpus Prutenicum, nullo pacto Symboli instar in Prussia receptum esse aut recipi potuisse; idque potissimum ob scommata, quæ in Corpore Prutenico, in Articulis Smalcaldicis, & Saxonica Concordiæ formula inveniuntur.*

797. Huc spectat, quod idem Bergius, tum in concionibus de Sacrameto cænæ olim editis (teste Mislentâ pag. X. 4.) *Lutheranos, quàmdiu Corpori doctrinæ pertinaciter adhæserint*, pro fratribus Calvinianorum agnoscere non possit; Tum verò *quod* 1641, *Anno* 13. *Aprilis affixo pro Academiæ, vel Collegij valvis patente programmate* (uti queruntur Lutherani in Declarat quæstionis de Calviniano in Prussiâ Prædicante pag. D. 3.) *Theologos Academicos*, qui Lutherani atq; Ubiquistæ sunt, *accusaris*

cusarit I *quod suam ipsi fidem, fideiq; suæ fundamenta non satis caperent, aut, si capiunt, palam expromere verbis nollent:* II. *quòd novum Lutheranismum in Prussiam & Ecclesiam inducant* Quid enim aliud est, *Lutheranismus ille novus*, quàm dogmata, contra, aut præter jura provincialia & pacta conventa, in Prussiam invecta?

798. Possent adiungi Bergio, ut missos faciam omnes illos, *Crypto Calvinianos* Mislentæ pag. X. 5. dictos, *qui Corpus Prutenicum, exoso nomine* quasi Helenam Prutenicam Die preusche Katrinchen / *dicunt*; Viri in Prussiâ nobilissimi; qui in suâ Anni 1641 Protestatione, publico Regiomonti conventu factâ 19. Martij, & actis insertâ, nec non hîc Disq. 24. prop. 11 citatâ, palàm aiunt (quemadmodum Lutherani dicta declarat. Quæstionis pag D 3. & seqq. testantur) *Pacem Religionis in Prussia, non Articulis Smalcaldicis, non Saxonica Concordiæ Formula, non deniq; ipso Corpore Prutenico, tanquam uno aliquo Systemate niti; sed sola*, Privilegio Lublinensi permissa *Confessione Augustana, eiusdemq; Apologia.* Atq; ideo, modò non cogantur Corpus illud Prutenicum, tot & tantis, tamq; peregrinis libris enormiter, fartum adorare, *promptos paratosq; se offerunt ad Acceptandam, & manu quoq; subscribendam, permissam in Prussia Confessionem Augustanam.*

799. Nolo ego hîc καρδιογνώσιν agere, nolo Bergij, aut Bergiani satellitij intima pectoris arcana rimari; nolo, quemadmodum Lutherani *dicta Declarat.* faciunt, disquirere, an Calviniani, vel saltem nobilissimi illi in Prussiâ Viri, dictâ Protestatione suâ, sub *limitatione certa, & mentali*, ut aiunt, *Reservato*, in suâ Protestatione, alijsvè scriptis usi sint, hodieq; utantur? ac proinde se non tantum beneficio *Æquivocationis* (quam Catholicis exprobare pleriq invidiosissimè, Jesuitis verò non sine adsperso etiam felle, omnes solent; uti Mi-

slenta quoq; Manual pag. S. ult fecit) adversariorum ictum declinent, verum & bilingues, falsique testes sint. Scio Lutheranos nigro calculo, ac propè ferali Θ l. c. in Calvinistas, imo & nobilissimos illos Viros esse armatos. Proinde ne vel dubiæ, vel suspectæ fidei testibus causam committam, unum duntaxat, quod tamen adversarij infringere nusquam possint, pro causâ momentum addo.

800. Jllud verò nihil erit aliud, quàm liquidissimà gravissimaq; Decreti Regij verba; ex actis Commissionis Anni 1609. deprompta. Pluribus ea, tum Disq. 22. prop 3 tum Disq 25 prop. 1. recitata sunt; neq; iterari hoc loco necesse est aliud, quàm unicus ille § *Ita verò permissus est ipsius*, Aug. Confessionis. *Usus Privilegio Lublinen. de Anno* 1569 *uti juxta Formulam Aug. Confessionis, & eiusdem Apologiæ* Tantum, Non *autem secundum Articulos Smalcaldicos (sicut Repetitio Doctrinæ Ecclesiasticæ de Anno* 1570. *continet) à subditis Ducatus Prussiæ vivatur.* Satis erat ad damnationem, non Smalcaldicorum duntaxat Articulorum, verùm & quorumvis dogmatum aliorum, Confessione Aug. posteriorum, per *Particulam* Tantum, Systema universæ Religionis Pruteno prædicanticæ, ad Confessionem Aug. solam restringi: at, ne quà dubitandi cuiquam ratio resideret, placuit Sapientissimo Celsissimoq; Magistratui, adiungere exclusivam, atque expressè edicere, Ne *secundum Articulos Smalcaldicos, à Ducatus Prussiæ subditis vivatur.* Quid hîc contra adversarij? Nihil quidem, quod merito reponant, habent; quærunt tamen, quæ oggанniant. Quæ tamen ipsa Disq. seq. omnia refellentur.

PROPOSITIO. V.

Ne ipſo quidem Anni 1617. Receſſu, Articuli Smalcaldici in Ducatu Pruſſiæ probati, aut ipſum Corpus Prutenicum confirmatum eſt.

801. Excluſi omnibus tum Formulæ Concordiæ, tum Corporis Prutenici, Articulorumque Smalcaldicorum præſidijs Vbiquiſtæ, cæteriq; in Pruſſiâ Prædicantes, qui extra unius Conf. Aug. Pomæria, regnum ſuum ſatagunt dilatare; palantes ac vagabundi, *ad Receßum Anni* 1617, ſeſe recipiunt, non ſecus atq; illi, qui toto æquore arenæ per victores agitati, cùm conſiſtere nullo loco poſſint, intra alicuius anguli vel ruinæ anguſtias ſeſe involvunt, adverſarijs victimæ magis, quàm antagoniſtæ futuri. Videamus quos, & quo pacto, Receſſus ille capiat? & an fidam omnibus, vel alicui ſtationem, aſylumvè exhibere poſſit?

802. Qui *Declarationem* ſæpè cit. *quæſtionis de Calviniano in Pruſſiâ Prædicante* ſcripſerunt, à nobiliſſimis Viris, ſuâ illos proteſtatione urgentibus, & anxiè à tergo prementibus, non tam ad hunc Receſſum ruere, quàm involare videntur. *Et quare*, inquiunt illi, *non reſpiciunt Boni iſti Domini Proteſtantes, quid in Receſſu Anni* 1617 *ſcriptum? Eo enim loco Corpus doctrinæ inter alia expreſſè memoratur.* Jam verò Behmius in *Inſtructione ſuper Corp. Prut.* Anno 1617. ſcripta, paullò maturiùs, graviter tamen ſeſe eodem recipit. *Sacra Regia Maieſtas*, inquit ille pag. G 1. *Dominus noſter Clementiſſimus, in Reſponſo nuper dato, ſæpè memoratum Doctrinæ Corpus de novo clementiſſimè confirmavit. Sic enim verba Reſponſi ſonant. Viſitationes Eccleſiaſticas, Formula Regiminis, Teſtamento Illuſtriſſimi Dni Alberti Senioris in Pruſſia Ducis, & Receſſibus inſtitutas, juxta veteres Inſtructiones, Libello, qui Corpus doctrinæ Prutenicum inſcribitur, conformes expediri debere S. R. M. declarat.* Behmium, uti

aliàs semper, ita hîc Mislenta pari consequitur vestigio, atq; in eodem Recessu sæpè cùm suo Manuali, omnibusq; sive opibus, sive armis, latitat.

803. Sed vel unus Calvinista Bergius, Mislentas, Behmios, & alios quoscunq; omnes, ex istius latibulo Recessus, facessere atq; exesse jubet. Jlle enim *Præfat. suâ ad Apost. doctrin. pag. D. 1.* primò, Recessum ipsum in hæc verba citat. *Si quis posthac aliam Religionem, quàm Catholicam Romanam, vel Augustanam, eiusq; Apologiam, & Corpus Doctrinæ Prutenicum, abhinc docere, concionari, & exercere ausus fuerit, præsumpseritq;, is, vti Turbator pacis publicæ, à quovis hominum conveniendus & accusandus est, &c.* Tum deinde quasi lege talionis, ob Formulam Concordiæ pro Symbolo ab ijs propositam, ita criminationem in adversarios regerit: *Verba hæc,* Recessus citati, *multò magis eos, vt pacis Turbatores concernent, qui hoc tempore Saxonicam Formulam, cuius neq; in hoc, vllovè alio Recessu, neq; in Decretis vel Privilegijs minima etiam mentio est, pro Normâ Religionis, & libro Symbolico obtrudere volunt*

804. Tandem quoad ipsum Corpus doctrinæ, paullò etiam, quam par erat, liberalius agit, quia concedit, quanquam probatum non sit, esse tamen permissum. *Corpus Prutenicum*, inquit, *non confirmatur, eo Recessu, neq; proprie approbatur, aut iniungitur, sed secundum Confessionem Aug. permitttitur. Satis igitur nostrâ ex parte fuerit, si secundum Dei Verbum, penes Aug Confessionem, juxta Acta & Decreta citata persistamus; Corpori autem doctrinæ, non aliter, quam cùm restrictione, quatenus vid. Dei Verbo & Aug Confessioni concordat, subscribamus.* Propensa mihi, ac suspecta etiam *Bergij* liberalitas ista videtur; quia Aug. Confessionem & approbatam in Prussiâ fateri videtur, quod falsum est: & eandem verbo Divino vel ex parte componere, ac comparare, quod

ego blasphemum juxta ac impium censuerim. Sed progrediamur cùm Bergio: nam ille

805. Ad extremum, Corpus Doctrinæ perinde atq; Articulos Smalcald. Formulam Concor. eodem Recessu damnari significat. *Simul*, inquit, *eodem Recessu, pag* 153. *multa scommata, quæ illo Corpore, Articulis Smalcaldicis, & Saxonica Formula contineri videntur, excipiuntur, & vt penitus expungantur, ordinatur*. Undè meritò subdit. *Quo loco ponderandum vnicuiq; relinquimus, qualis tandem Symbolicus Liber ille esse debeat, & vtrum eidem, sine omni restrictione, subscribendum sit, in quo multa scommata reperiri dicuntur, ideoq; necessario expungenda sunt?*

806. Atq; hisce sanè Bergius adversarios, ex illo Recessus latibulo, tanquam Saturnos è Latio, omnes profligavit, eiecit, exturbavit. Qui, ne quando ad eundem Recessum accedere postliminiò conentur, omnis illis aditus, Triplici à me obiecto repagulo præcludetur. Priumm sumitur ex ipso statu causæ, seu ex ratione Visitationis contra Calvinistas instruendæ, de qua in *Responso Regio Anni* 1616. *die* 10. *Iulij Warsaviæ dato*, (quod quidem Recessus Anni 1617. fundamentum & basis est) primo præcipuoq; loco agitatur. *Cùm enim*, vt ibidem præmittitur, *Consiliarij terrestres quererentur, à plerisq; id agi, vt in Ducatum illum Calvinianæ hæresis induceretur, S. R. Maiestas (quandoquidem Privilegio Lublinensi, alijsq; tam DD. Decessorum suorum, quàm suæ Maiestatis Rescriptis, Diplomatibus, & novissimis Decretis, pactis, & potissimum Recessu Anni* 1612. *cautum fuerat, præter Catholicæ Rom & Augustanæ Conf. eiusq; Apologiæ, Religionis vsum, reliquas omnes damnatas & interdictas esse) firmiter ijs pactis, decretisq; standum esse decrevit; hoc specialiter adiecto, ne quis de Hæresi Calviniana suspectus, ad Magistratum aliquem promoveatur &c.*

Quia

807. Quia verò, ad dignoscendos, qui in Prussiâ latitare volebant, Sectarios, Visitatores atq; Inspectores, tum in Formulâ Regiminis, & in Alberti Senioris Testamento, tum deinde etiam in Corpore doctrinæ constituti erant; quoad hoc visitationis negotium, indagandosq; per Visitationem Sectarios. Corpus doctrinæ, duntaxat permissum; at non eo ipso, præsertim quoad reliqua sui capita, probatùm confirmatumvè est. Quod, ne confictum à me putes, ecce ipsum Responsi textum, ac verba prioribus illis haud longè subiecta! *Visitationes Ecclesiasticas, Formula Regiminis, Testamento Illustrissimi Domini Alberti Senioris in Prussia Ducis, & Recessibus institutas, juxta veteres Instructiones, libello, qui Corpus doctrinæ Prutenicum inscribitur, conformes, expediri debere: S. R. M. decernit*

808. Colligitur id ipsum quoq; ex inspectorum officio, paullò inferius admisso, & suis legibus circumscripto. Sic enim verba sonant. *Quod attinet Inspectores, quos Nobilitas, ex præscripto Formulæ regiminis, Testamenti, & Recessuum, restitui & officio suo fungi postulat, Etsi S. R. M. negotium hoc Decreto Commissoriali Anni 1609 suo vnius arbitrio relictum, hactenus certis de causis distulerit; tamen cum videat, non sine causa Officiales huiusmodi ab initio institutos fuisse, eosq;, ad prohibendum, ne novæ Hæreses in provincia illa subrepant, occasionesq́, dissensionum oboriantur, esse valde necessarios; Vult & decernit, vt duo isti Inspectores, secundum morem & consvetudinem antiquam, primo quoq́, tempore eligantur,* & *constituantur, &c,*

809. Colligamus, quæ hactenus dicta sunt, atque unius ambitu ratiocinationis, omnia hoc modo includamus.

Corpus doctrinæ Prutenicum, tantum ad visitationes faciendas

ciendas & Calvinianos, aliosque sectarios aditu Prussiæ prohibendos. Regio Anni 1616. responso permissum est.

Ergo Corpus Prutenicum absolute Recessu Anni 1617. probatum confirmatumque non est.

Antecedens patet ex ijs, quæ hic ex ipso responso adducta sunt; patebitque insuper ex ijs. quæ deinceps adducentur. *Consequentia* quoque evidens est; non eo tantum, quod Recessus Anni 1617. Responsum Regium Anni 1616 aliaquè provinciæ jura & privilegia tanquam basim & fundamentum supponat; sed eo quoq; quod Recessu illo, non aliter permissum sit Corpus illud, quam sub conditione adiectâ, de Articulis Smalcaldicis, scommatisque expungendis. Cui conditioni cùm non steterint adversatij, præsertim Ubiquistæ, videant, ne gratiâ per illum Recessum oblatis exciderint; & quidem omni etiam gentium jure suffragante. *Quia fœdera, & id genus contractus, nisi positâ in re conditione, non obligant.*

810 Denique ut etiam daremus (quod tamen concedi non potest) Permissum fuisse illo Anni 1617. Recessu, non tamen idcirco probatum, confirmatumque videri debet. Neque enim omne quod aliqua causâ vel casu permittitur, eo ipso absolutè probatum confirmatumquè est: alioqui Calvinistæ alijque, qui in *Prussiâ* degere permittuntur, jure probati, & confirmati, ac proinde tum ad jura Provinciæ, tum verò etiam ad honores & Magistratus admittendi essent. Quin & Deus ipse, qui peccata, secundum justissimas ac sanctissimas providentiæ suæ rationes permittit, probare ac confirmare dicendus esset. Quod, quis, nisi Calvini furore ac spiritu impotens animus, unquam admiserit?

811 Alterum repagulum, ex eodem illo Recessu ita objicitur Saturnis nostris-

Recessu Anni 1617. pleraque, quæ in Corpore Prutenico con-

co contenta sunt, prohibentur & damnantur,

Ergo Recessu Anni 1617. *Corpus Prutenicum absolute probatum confirmatumve non est.*

Antecedens, præterquam quod à Bergio supra, non ex vano deductum sit, ipsis insuper Recessus verbis liquido constat. Cum enim visitationis negotium verbis hic n 807. citatis constitutum, Corpusq; Prutenicum, hoc uno ac solo fine permissum esset, subjicitur; *Articulis Smalcaldicis, convitijsque & scommatibus, Religionem Catholicam Rom. (quæ sola ab initio in ea provincia viguit, & quam itidem nunc cuivis amplectendi liberrima potestas permittitur) eiusque Antistites proscindentibus, expunctis & exclusis: Salvo per omnia usu Religionis Catholicæ, cui, eamq; profitentibus, Templis, ac locis sacris illi dicatis, vel deinceps dicandis, nullum hac visitatione præiudicium fieri debet.*

812. Et ad hunc eundem planè sensum, verbis de Inspectorum constitutione ibidem citatis, ita subjicitur. *Ij Inquisitores, in ritus Aug. Confessionis, eiusque Apologiæ, juxta morem in Ducatu receptum, inquirant; potestatemq; Ecclesiasticam duntaxat, non immiscendo se negotijs secularibus, juxta privilegia exerceant modumq; in Articulo visitationum præscriptum sequantur. Ita tamen, nè quid in fidem Catholicam Rom.* & *eos, qui eam profitentur, Iuris ac potestatis sibi usurpent: sed intra limites Aug. Confessionis, & supra dicti Corporis doctrinæ, & secundum eam Religionem profitentium, sese contineant: saluâ igitur per omnia Iurisdictione Episcoporum Catholicæ Rom. Ecclesiæ, juxta Præscriptum pactorum.*

813. *Consequens* etiam patet; si enim Articuli Smalcaldici, si convitia, si scommata, si reliqua omnia, quæ juribus, libertatibus, authoritati, & prærogativis Ecclesiæ Rom. eiusque Antistitum, & consequenter, primo præcipuoq; loco, Pontificis Rom. famæ vel ho-

vel honori qvomodocunque officiunt, & quorum duntaxat causâ Corpus Prutenicum, olim, ut alibi vidimus, conditum est, & nunc á Prædicantibus alijsq; potissimum defenditur, è Corpore expungantur, quis illud absolutè probatum ac confirmatum dicere poterit? Nisi fortè Corpus, quod capite membrisq; præcipuis truncatum sit, sanum integrumque dici possit. Quod quidem nemo dixerit, nisi qui ipse capite destitutus sit; vel caput habeat, de quo merito illud dicas ὦς οἷα κεφαλὴ, καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει! *O quale caput, & cerebrum non habet.*

814. Tertium repagulum è Responso itidem Regio, illo ipso Anno 1617 Ordinum Protestantium Legatis Varsaviæ, 3. Martij dato. *De Religionis negotio,* inquit Rex, *nihil diversum à prioribus pactis & Recessibus, ac Decretis,* (ut vel hinc liquidò constet, Recessum Anni 1617. hisce tanquam fundamentis niti) *Regia Maiestas decernit. Miratur autem, quod nonnulli interdum, hæc decreta, quæ pacis mutuæ, & recti Regiminis causa, dudum sancita sunt, sinistra interpretatione detorquere, ac quodāmodo jura libertatesq; suas, in dubium vocare velle videantur.* Quibus è verbis ita euidens ratiocinatio confici potest.

Recessus Regiorum Legatorum die 5. Augusti, Anno 1617. datus, neque Responsa Decretaque Regia tum Anno 1616. tum etiam illo ipso 1617. die 3. Martij data tollit; neque in causa Religionis quidquam innovat aut immutat.

Ergo illo ipso Anni 1617. Recessu, 5. Aug. dato, Corpus Prutenicum, neq; probatum est, neque confirmatum.

815. *Antecedens* quanquam evidens sit, confirmari insuper potest eodem Anni 1617. Recessu, 5. Aug. dato in quo sub initium ita edicitur. *Decreta Anni 1616. à S. R. M. lata, & per Recessum nostrum, ad postulationem Illu-*

nem Illustrissimi Electoris, ad S. R. M. accepta, Regio iterato Responso Anni præsentis (nimirum 1617. dieq; 3. Martij ut diximus) *roborata & confirmata, publicamus, & vt robur Legis perpetuæ habeant, & ab omnibus & singulis obseruentur, nomine S. R. M. demandamus.* Huc verò plurimum facit, ipsius Electoris Responsum Legatis datum, atq; eodem loco Recessui insertum; quod huiusmodi est. *Quoad Religionem, Celsitudo eius Electoralis adhuc pollicetur, & recipit; quod in ea nihil Novi, multò minus Recessibus & Privilegijs quid contrarium, introducere cupiat; ne quis justam querendi occasionem habeat.*

816 Neque minus evidens est, ipsum quoque *Consequens*: si enim Corpus doctrinæ eo Recessu probatum fuisset; non modo Aliquid novi, verum & Recessibus Privilegijs, pactis, Decretisque prioribus contrarium, & quidem ab ipsis Legatis fuisset introductum: A quâ sive levitate, sive imprudentiâ, ne dicam perfidiâ, legati, gravissimi sapientissimiq; Viri. & qui personam Reip. cum dignitate semper referebant, quam longè abfuerint, ille ipse Recessus docebit.

817. Primum enim edicunt, *Pro Turbatore pacis publicæ habendum, & à quovis conveniendum, accusandumque in judicio Aulico esse eum, qui aliam à Catholica & Augustana Religione docere vel exercere ausus eßet; servandumque in judicio processum summarium, salva ad S. R. M. appellatione.* Deinde ipsum Corpus, supra insanas de Vbiquitate opiniones, plurimis fartum scommatis. & in incredibilem, atque inauditam Supremi Magistratus contumeliam tumore, plus quam hydropico turgidum, non tam veru aut obelo; quam novaculâ hunc in modum circumcidunt, (vel ipso quoque Mislenta pag. X. 6. Manual. referente) *Cùm in Articulis Smalcaldicis multa scommata, in Religionem Catholicam Romanam, Dominus Iaschkius, vnà cùm alijs DD. Legatis Electoralibus*

Anno 1616 *cum decreta S. R. M. tum ferebantur, coram Illustribus Dominis Deputatis S. R. M. contineri Confessus esset; quapropter ea S. R. Maiestas expungi Decreto suo Regio iussit.*

818. Denique cùm expunctio illa scommatum, ab Electore ad Ordines remitteretur, Ordines verò causam, quam animo desertam nollent, corpore declinarent; Legati, præmissâ contra eosdem solenni protestatione, in proposito persliterunt, & Articulos illos ac scommata iterum iterumque authoritate Regiâ ita condemnarunt. *Quam expunctionem scommatum, cùm Illustrissimus Elector ad Ordines reiecerit, & quidquid Nos cum eis, ea in re concluderemus, statueremusve; id Illustrissimam Celsit suam, ratum gratumve habituram: Domini verò Consiliarij terrestres, & Nuncij nobilitatis Protestantes, non data nobis super his declaratione, uti & super alia capita Legationis nostræ, per quod S. R. M. jus in vilipendium venit, discesserint, Contra eos solennissimè protestamur: Omnibus nomine Sacræ R. M, iniungendo, vt omnes Decreto eiusmodi Regiæ Maiestatis inhæreant & scommata penitus expungant, nec ea quisquam amplius vsurpet; Incursurus secus faciens, pœnam Sacræ Regiæ Maiestatis arbitrariam.*

819. Unde, cùm ijdem Legati dicto Recessu, permittunt, vt *Augustanæ Conf. eiusque Apologiæ & Corporis doctrinæ Religio doceatur*: vel iterum, ut expunctis Articulis Smalcaldicis & scommatibus, *salvus in cæteris omnibus sit Libellus Corporis doctrinæ*; vel etiam jubent, *vt qui in posterum ad officia vocabuntur, ij sint vel Catholici, vel certe tales qui Calvinismo & alijs sectis contradicant, & Corpori Doctrinæ Prutenicæ subscribant*: nihil aliud, quam quod hic prop. 4. diximus, volunt: nimirum Systema *Religionis*, in Prussiâ Acatholicis permissæ, sive *Proto prædicanticæ*; ad vnam, solam, eamq; invariatam, & incor-

& incorruptam Conf. Aug. revocandum esse; ut ita aditus præcludatur tum Caluinistis, alijsque nequidquam asylum Confessionis Aug. deposcentibus; qui per Articulos Smalcaldicos, & alia scommata Corpori Doctrinæ, tanquam per *Sinonium exercitum Equo Durateo* inclusum, Dardaniæ Catholicæque Religionis arcem in Prussiâ subversum eunt. Tolle scommata, tolle Smalcaldicos è Corpore Doctrinæ Articulos, quid residui in Prussiâ erit, quàm, quæ Lublinensi Privilegio permissa est, Augustana Conf. eiusdemq; Apologia tantum?

PROPOSITIO. VI.

Ipse Sereniss. Prussiæ Princeps ac Elector, solam Aug. Conf. non verò Corpus Prutenicum, in Prussiâ approbatum esse fatetur.

820. Nemo id verius proponet, quàm ipsum Prædicantum Regiomonti, totâq; Prussiâ nidulantium Concilium, & Senatus universus. In Responso Anni 1617 pag. B. 4. ita scribunt. *Sub titulo Illustrissimi Electoris, audacter scribere non dubitant* (vid Calviniani) *quasi in Regio, Anno 1569 Lublini dato Religionis Privilegio, sola Augustana Conf. & Apologia eiusdem, non autem, quod dissimulant, Anno 1567. conscriptum Doctrinæ & fidei Prutenicæ Corpus sit privilegiatum.* Neque ad rhombum facit, quod hic & alibi dicant, eam Confessionem, non tam ipsius Principis esse, quam sub nomine Principis, à Calvinistis scriptam: jam enim aliàs n. 568, 691. palam ipsos quoq; fatentes audivimus, quod Confessio illa, Principis ipsius sit.

DISQVISITIO XXVII.

An, & quàm iniquè, vt causam Vbiquitatis tueantur, ciuilia iura, & ipsam Regum suorum authoritatem Vbiquistæ oppugnent?

821. SI victi judicio rei, ultrices judicum manus fugâ declinent, faciunt, quod impendentis supplicij metus svadet; sin manus violentas judicibus, legum tabulis, tribunalibusque inferre moliantur, non solâ scelerum conscientiæq; suæ vi; sed vecordis, vel potius furentis animi œstro impelli atque agitari putandi sunt. Quid de Ubiquistis, si non omnibus, saltem ijs, quorum hic propè gladiatoriæ dimicationes spectabuntur, censere viri sapientes possint, suum cuique arbitrium integrum esto.

PROPOSITIO. I.

Vbiquistæ in Prussiæ Ducatu præ suis commentis, Leges quoq; Patriæ contemnere, &, contra jus civile digladiando, periculum sibi ultro videntur accersere.

822. FUit æuo Augusti Cæsaris haud ignobilis vates, qui salibus & adspersis Epigrammati jocis, in aliorum mores famamq́, grassaretur, facetè magis quam noxiè. Rogatus aliquando ab amicis, ut in Cæsarem quoque salis sui micam spargeret, scripto in eundem Epigram-

Epigrammate aliquo: prudentissimè reposuit, *Ægrè in eum scribi posse, qui scribentem posset proscribere.* Si Prædicantes nostri, *micam*, ut aiunt, *salis* haberent, temperarent utiq; , non jam salibus, sed convitijs in eos, quibus non modo scribere, sed & proscribere fas sit. Sæpè leges (uti sæpe visum) Prædicantibus scriptæ, cúm à Magno Poloniarum Rege & Regno; tum à Regijs Commissarijs, Regni eiusdem ac Regis (quem *Naturalem & Hæreditarium Prussiæ Dominum* fatentur) authoritate & nomine; sæpè ijsdem legibus *damnati Articuli Smalcaldici*, aliiq; id genus, Prædicanticornm convitiorum & criminationum Topica.

823 Quid autem hic Prædicantes? Alij compe- rendinari; alij rimas quærere; alij, uti vidimus, *Leges omnes pro tela aranearum ducere*: alij denique, ἐν χε- ρῶν νόμῳ, *lege manuum* agere, & tot tantasque à Rege & Repub. latas leges, propè vi perrumpere! Quod quidē, si Prædicantes scire velint, quid aliud tandem est, quam juxta vetus verbum εἰς οὐρανὸν πτύειν, *in cœlum spuere*? vel, quod in sacris legitur, *contra stimulum calcitrare*?

824. Si quid amicæ postulationi dare Prædicantes velint, moneo atq; etiam oro, meminerint illius veteris ἡ κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων, καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν, *Camelus desiderans cornua, etiam aures perdidit.* Norunt enim tanti sapientiæ magistri, quid Æsopus, quid alij Mythologi, Camelo apud Jovem cornua postulanti, evenisse tradant. Sed neque illud ignorare debent, quod vulgari adagio fertur Βελλεροφόντης τὰ γράμματα. Afferunt enim plerique contra se, perinde uti in sacris Urias, vel in fabulis *Bellerophontes*, *literas*, quia præ nimio contradicendi studio,

studio, ea in medium afferunt, quibus magis se ipsos quàm adversarios lędant. Qui vel unius Mislentæ propp. seqq testimonia exp... lerit, monere hominem cum Plauto poterit.

Tace, nullus homo dicit; hæ tabulæ te arguunt;
Quas tu attulisti; hæ te vinciri jubent.

PROPOSITIO. II.

Prędicantes, ut & Ubiqvisticas nænias tueantur, & Catholicam in Prussiâ Religionem oppugnent, nova Prussiæ Ducatus ac Fevdi jura, libertates item, ac leges Patriæ labefactant.

825. Præter jura, & pacta conventa, fæderaque perpetua, quæ Casimiro cæterisque Poloniæ Regibus, & Regno Reiq; pub. universæ cum omnibus Prussiæ Provincijs intercessere, habet ipse per se Ducatus alia quidem, quæ vetera; alia verò, quæ nova solent nuncupari. Utraq; cum vetustissimâ nobilissimâque gente Brandeburgicâ constitere. Jlla quidem in Alberto I. Duce, quam uulgo Seniorem appellant, & Illustrissimâ apud Franconas Domo Ansbachianâ; ista verò in Joachimo Friderico, vel potiùs filio illius Joanne Sigismundo, cùm Serenissimâ & Electorali apud Marchiacos prosapiâ, quam Regij Comissarij, lib. Privil. pag. 117. Culmbachianam & Onoldinam vocant.

826. Cùm enim Albertus Senior, è Magistro Ord. Theut. primus in Prussia Dux, pro se iuxta ac tribus fratribus suis Georgio, Casimiro, & Joanne, (quartus enim Vilhelmus Rigensem Archiepiscopatum gessit) jus Fevdi ita adijsset, ut ad suos fratrumvè suorum heredes derivaret; nactus quidem est, ac post se reliqvit, ALBERTUM FRIDERICUM è Mariâ Brunsvigiâ, altera

altera coniuge heredem; sed qui, vix adito circa Annum 1569. Ducatu, ad annum usq; 1618. perpetua animi ægritudine laborarit, ut vulgo diceretur **Der Blöde Herr** id est *Dominus æger* vel *imbecillus*; ideoq; sub curatoribus, à Rege Regnoq; Poloniæ rite datis, adusq; obitum suum degeret; quibus etiam deinceps cum vita Jus Fevdi integrum cessit.

827. Primus illius curatelam nactus est Georgius Fridericus patruelis Georgij Ansbachij filius: sed & hic curatela cum Fevdo, annos septendecim administrata sine suis, fratrumve suorum heredibus ullis decessit. Qua caussa reliqua illa apud Marchiacos stirps Brandeburgica, novum sibi jus, tum ad superstitis Ægri Principis curatelam, tum ad universi Ducatus Fevdum, apud Regem, Remque pub. Polonam, quæsivit, & facile invenit *Anno* 1605. (ut diploma curationis lib. Privil. pag. 96. testatur) *cum Ioachimo Friderico S. R. I Electore, & Marchione Brandeburgen. non modò per Legatorum chirographa sed etiam authenticam ipsius Electoris comprobationem*, de eo negotio, *transactum fuit*. Quo Principe sub Annum 1608 è vivis sublato, ad Joannem Sigismundum filium, indeque ad Georgium Vilhelmum, ac denique ad Serenissimum Fridericum Wilhelmum, quem Superi diu felicem fortunatumque servent, ius Fevdi translatum.

828. Quia veró (ut proclive est in rebus humanis, vel Poëta teste Georg. 1.

Omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri:

sub tempus Curatelæ Illustrissimi Georgij ab Anspach (sic enim Commissarij Regij in Actis & decretis Anni 1609. palam scribunt pag. 100 b.) *præter alia multa, in oppressionem Nobilitatis tentata & facta ab Apellationibus quoque subditi Ducatus cuiusvis ordinis arcebantur*; aliaque non-

nulla

nulla, ut pag. 99 b. dicitur, *in eodem Ducatu novata turbataq; erant, oportebat ea, suprema ipsius Regiæ Maiestatis authoritate in pristinum statum reponi.* Quocirca, cùm à morte parentis sui Joachimi Friderici, Ioannes Sigismundus Elector, per se, ac per suos, variorumq; Principum Legatos, jus Curatelæ ac Fevdi, sibi posterisque suis, apud Rempub. Polonam, ac Regem Sigismundum III. gnaviter ambiret, non ante id consecutus est, quám & nova, ut vocant, gravamina, omnibus Provinciæ ordinibus, anxie uniceque deprecantibus, penitus abolita sublataque sunt; & jura ac pacta conventa, fœderaque omnia in integrum restituta, ac nova jurisiurandi religione firmata, atque asserta.

829. Assertum eo tempore, atque in integrum restitutum fuit, Sacrosanctum & antiquissimum in ea Provincia, ius Catholicæ Religionis, tum Regiorum Reique pub. Polonæ Commissariorum decretis, quæ alibi jam recitata sunt, tùm ipsius Joannis Sigismundi Principis atque Electoris juramento. Sic enim Principis legati, non tam suo quam Principis ore ac nomine, in publico instrumento, *de Fevdo Prussiæ* quod privilegiorum volumini insertum est, pag 113 b. aiunt *Religio deinde Catholica Romana, in Ducatu eam profiteri volentibus, libera erit: neque ullus unquam ex Ducalibus, vel jam eam profitentibus, aut in posterum professuris, eam ob rem interpellabitur. Sacella itidem, & oratoria vbivis, tam in confinibus quam alibi, integra, tuta, & concessa illis erunt, in ysdemque liberum pietatis, ex doctrina institutisque Catholicis Romanis exercitium habebunt.*

830. *Nemo eo nomine turbabitur premeturve; nemo Religionis Catholicæ causa ullam vim, iniuriam, contumeliam, molestiamve perferet, aut perferre, perpetique debebit. Ad munera etiam & honores, qui ex Catholicis idonei fuerint, liber aditus erit. Quicunque etiam in Ducatu Catholici Romanæ*

manæ Religionis Barones, Nobiles, & civitates, Iura patronatus à Magistris Ordinis Cruciferorum, vel Serenissimis Poloniæ Regibus; vel decessoribus nostris, Ducibus Prussiæ, habuerint vel præscriptione consecuti sint, integrum licitumq; illis erit, Religionis Catholicæ Rom. exercitium in iisdem introducere, instituere, habereque, &c.

831. Quis isthæc Catholicæ Religionis firmamenta ac jura; novis hisce cùm Electorali Brandebur. Domo pactis, non tam recens instituta aut condita, quam novo fœdere roborata ac restituta, in dubium contentionêve vocet? Vocavit equidem aliquando Andreas Crebsius I C. Calvinianus, sparso in vulgus Pasquillo cuius & mihi exemplar MS. obtigit: sed tulit dignum operę precium, in exilium ea de causâ actus. Fortasse idem operæ precium exambiunt Prædicantium nonnulli, qui maiore etiam audaciâ, ne dicam furore, eadem jura convellunt. Sanè Cœlestinus Mislenta, contra utramquê juris Catholici aciem, in suo Manuali, diu multumque ingenti λογοδιαρροίᾳ cùm detonuisset, tandem pag. X. 2, triumphum ante victoriam ipse sibi ita occentat. *Ex quibus omnibus, cuivis iterum in promptu colligere est; num jure, án potius de facto, Religio Romano Catholica, in Ducatum huncce irrepserit. Si jure, utiq; aut vigore veterum Privilegiorum & Recessuum; aut tenore novorum pactorum. Non vigore illorum; quia ab Anno 1525 usque ad Annum 1605. nil juris pro suâ Religione evincere potuerunt Pontificii in hocce Ducatu, &c. Non tenore recentium pactorum, &c.*

832. Itane verò tu, mi Cœlestine? At non ita Crebsius, prodromus nuper tuus! Ille enim novis pactis tantum juris Catholicæ Religioni tributum in Prussiæ Ducatu ait, ut si Pontifex Rom. per suos ipse legatos rem promovisset, haud sanè plura effecturus fuisse videatur. *Si Pontifex Antichristus* (Sic enim ille colophonem

ſcripto ſuo imponit) *per nuncios ab ſe delegatos, rem abominationeſq; ſuas promoviſſet, vix aliud effecturus fuerit, quàm isti Sympatriotæ noſtri ſponte ſua effecêre. Quo quidem facto, pura ac vera Religio* (Prædicantica) *prope vi, è Provincia exterminatur.* At tu *Tenore recentium pactorum* nihil juris Catholicæ Religioni acceſſiſſe ais? Quæſo te, ſatin' tu ſanus hæc ita proloqueris?

833. Si enim nullus recentibus illis pactis, in cauſâ Religionis Catholicæ vigor ac robur eſt, ne cæteris quidem in cauſis, quæ iſthic agitantur ac ſtabiliuntur, erit. Quæcunque igitur Commiſſarij, Regis, Reique pub. authoritate, pro *oppreſſæ*, uti num. 828 audivimus, nobilitatis, pro civitatum, omniumq; ordinum ſalute & incolumitate decreverunt, vim, vigorem, ac robur nullum habebunt? Si nihil eſt momenti ac ponderis, novis illis cùm Electorali Domo Brandeburgicâ fæderibus & pactis, ruunt omnia fundamenta conſtituti in Pruſſiâ Fevdi; evertitur jus, quod Principes & Electores Brandeburgici in Pruſſiam habent; caniturq; adeo claſſicum abs te, quo cives tui, & quicunque in Ducatu Pruſſiæ mortales ſunt, in Principem ſuum armentur, & civilis belli fax accendatur.

834. Cùm enim Fevdum Pruſſiæ, per Albertum I. eiuſdemq; fratres Caſimirum, Georgium, & Joannem, in Domo Anſpachianâ radices initio fixerit, & non tantùm Alberti hæres Albertus Fridericus, ille animi æger; verum & Georgij, Georgius Fridericus, qui Alberti ægri curatorem primus egit, ſine maſculâ prole deceſſerint, *Ius Fevdi, perinde uti Curatelæ Ægri illius Principis* (quemadmodum in *Diplomate Curationis* pag. 96. & in *Actis Commiſſionis Anni* 1609. pag. 99 imò & in Reſponſo Regio Anno 1606. ab ipſo Miſlentâ pag X. I. recitato, videri poteſt) *ad Sereniſſimum Poloniæ Regem, & Rempub. uti ſupremum, directumque Dominum eſt*

devolu-

devolutum. Quod si Joannes Fridericus Elector Brandeburgen ac deinceps filius eius Ioannes Sigismundus, cùm *Germanis Fratribus suis* (uti in Fevdo Prussiæ pag. 113 scribitur) *Ioanne Georgio, Ernesto* & (qui ad Catholicam Ecclesiam reversus, hodieq; superstes est) *Christiano Wilhelmo*, jus non modo curationis, verùm & Fevdi perpetui consecuti sunt, id quo alio quàm novo jure, & *Recentium pactorum Tenore factum est?*

835. Non mihi credis? Credes, opinor ipsi Joanni Sigismundo Principi tuo: qui in *Cautione Legatorum* [illegible]orum, Anno 1611. datâ, pag 112. fatetur, *De successione in Fevdo Ducatus Prussiæ ab aliquot jam annis partim ab inclytæ memoriæ Domino Ioachimo Friderico Principe parente suo, partem à seipso diversis temporibus actum esse, ac tandem in comitijs Varsaviensibus, Anno.* 1611 *totà de re certis conditionibus* (quibus vid Novum jus & Fevdum Prussiæ nititur, quas inter primo loco censetur pag. 101 & 113 quæ Catholicam Religionem, eiusq; usum, templa, immunitates, iuraq; cætera concernũt) *convenisse, pleneque transactum fuisse: atq; ex vi Transactionis huius, conditionibusque eius, ad Homagium præstandum, à Serenissimo Rege, amplissimisquè Regni Ordinibus, accersitum vocatum, admissumque se fuisse.*

836. J nunc Mislenta, & *Tenori pactorum Recentium*, vim ac vigorem tolle! & unâ eademque operâ Serenissimis Electoribus Brandeburgicis jus, quod ad Prussiæ Ducatum constans & sacrosanctum habent, et per ipsumq; adeo Serenissimum Electorem FRIDERICUM WILHELMUM, Principem tuum, (quem iterum atque iterum, diu sospitem fortunatumq;, ad istum Provinciæ sibi traditæ clavum sedere, omnes Catholici ex animo cupimus) uti fidelis subditus, loco, dignitate, ac jure suo exturba! Facies enimverò opus, tuâ, maiorumq; tuorum indole haud indignum, ac prorsus (si

non omnino vana sunt, quæ Disq. 24. prop. 1 & seqq. gravissimorum virorum calculo asserta sunt) Prædicanticum! Necesse tamen est, meminisse te interim Tui fraterculorumq; tuorum, totiusq; adeo stirpis Prædicanticæ periculi. Neq; enim tu magis in nostrum aut Principum tuorum, quam Tui ipsius, Prædicantumq; tuorum *caput fabam hanc cudis*.

837. Vin' scire quo pacto? Audi, sed semotis arbitris. Tibi enim soli, fratribusq; tuis, ne quà ad vulgus emanet, parabolam hanc in aurem edissero. Nosti Bergij, nosti Agricolæ, nosti Calvinistarum omnium, in te Lutheranosq; omnes, tanquam gemellos Fratres, animum & studia? Præ nimio vestrî studio, separari à vobis nusquam in Prussiâ vellent. Eadem vobiscum in civitatibus municipia; easdem in Academiâ cathedras easdem in templis aras exambiunt, adeoq; jam frequentant. Id tu studium ni laudes, multò quam ille Tuus, qui Ænigma illud, Quid de Calviniano in Prussiâ Prædicante censendum sit Anno 1641. edidit, inurbanior es. Quiritatur ille pag. E. 4. *quod Calvinianus Prædicans 1. in Aula arcensi cathedram erigat 2. omnibus, qui in Prussia sunt Calvinistis Cœnam apparet. 3. Baptismum administret. 4. Fractionem panis non tantum Regiomonti, verum & in alijs Prussiæ locis frequentet. 5. Matrimonijs etiam Lutheranorum assistat. 6. alios actus ministeriales perficiat. 7. absente cùm sua Aula Electore, reliquum Calvinianorum vulgus concionibus publicis reformet. 8. eaq; de causa alios sibi Collegas adiungat. 9. in Girmau catdedram Templi palam invadat, &c.*

838. Quid tu? Si benè te, mentemque tuam assequor, imò si Manuale tuum, non omnino oscitabundus verso, facile intelligo, Calvinistis in Prussiâ, etiam igne & aquâ, si in potestate tuâ situm sit, interdictum [illegible] inurbanus, adeoque inhumanus, mi homo, nimium es?

mium es! Sed audio, quid mihi vel potius Calvinistis, sæpe in Manuali tuo reponas. Ais enim, præsertim pag. X 3. & seqq. *Calvinistas ipso jure, municipijs, totoq; Prussiæ Ducatu arceri.* Idipsum contendit non minus ille Anni 1641 Oedipus, quàm ipse Pater patratus *Ioannes Behmius*; *tum in Parænesi Anni* 1614. *tum in Prodromo Aulico-prutenico suo*, tum alijs chartis! Quâ quidem de causâ, *Acta & Decreta Commissionis Anni* 1609. Recessus, Responsa, & literas Anni 1611. 1612. 1615. 1617. &c. &c. omni ferè paginâ inculcat, ut aliquando evincat, Calvinistas, ipso jure Prussiæ Ducatu excludi.

839. Atqui, ô boni, Acta illa & decreta, uti & Recessus, & Responsum, & literæ illæ, Novum jus, quo Fevdum & ipse Prussiæ Ducatus iterato stabilitus est; sive, ut Mislentæ phrasi utar, *Pactorum recentium Tenor sunt!* Videtis igitur, ut *Iuri Dominij*, quemadmodum LL. CC. loquuntur, *Tenor vester* accinat! Videtis, inquam, ut supremum ac directum omne Dominium Regi, Regnoq; Poloniæ, in Ducatû Prussiæ, & omnem illius administrationem jure competat? Potuit igitur Rex; potuit Respub Polona (etiamsi jus Catholicæ Religionis in Ducatu intercidisset quod tamen ipsum prop. seq falsissimum esse patebit) cùm Restituto restauratoq́, uti vidimus, Fevdo, postliminiò restituere, resarcire, & quod Mislenta imprudenter juxta ac impudenter adimit, *Tenori pactorum recentium*, vim, robur, vigoremq́; conferre?

840. At videamus quæso, quid Mislenta ex adverso obtendat! *Duo*, inquit ille pag. V. 7. *contra novationem eiusmodi faciunt.* Quam tu in primis Novationem hic intendis? Fevdi? an Religionis? an utriusq́? Si utriusque, vel Fevdi solius, Principem tuum ea provincia, quam iure optimo tenet, exturbas & quod inde sequitur, vel stellionatus, vel parricidij crimine te invol-

 uis. Si

u s Si Religionis duntaxat; Ergo tu cætera omnia, quę cum Electorali Brandeburgicâ domo transacta, novata, restaurataque sunt, probas; reprobas tamen, quæ statum causamq; Religionis attinent? Sit ita sane: quid vis amplius, quam ut tibi omnem Gratiarum chorum Calvinistæ obviam mittant?

841. Si enim, quæ in causâ Religionis, non tam novata, quam constituta illo tempore sunt, reprobentur; jam Calvinistæ, qui nullis magis, quam illius temporis edictis è Prussia arcentur, liberum & patentem habent aditum; jam tu, jam cæteri tui, ac præsertim Behmius *in Prodromo*, *Parænesi*, *Instructione super Corp. Prut.* &c. nequidquam de omnibus juris Prutenici Pandectis, lectissima illius temporis arma, Calvinistis objicitis; jam illi; qui novo jure à Prussiâ arceri non possunt, vi irrumpent. & quod alibi fecerunt, Te tuosq; facessere quam longissimè jubebunt. Tu cave contra hiscas! qui *recentium pactorum Tenorem*, quo Calvinistæ teneri possint, nullum agnoscis, ideoq; ad pileum ultro vocas, & ut cum tuis ipse servias, liberos in Prussiâ esse jubes.

842. Sin Catholicæ Religionis solius Novationem obtendis; in primis quid faceres, si non modo Fevdi, sed religionis quoq; Novationem ac mutationem fierj potuisse dixero! Nonne superiore sæculo, cum personantibus in Prussiâ Evangelij Prædicantici tubis, vel potius tibijs, plerią; ab Ordine Ecclesiastico ad secularem, à votis religiosis ad nuptias, à Christo ad Lutherum desultarent, Novatio imò mutatio singularis facta fuit Religionis! Aude negare jure factam, & jam Evangelium Regnumque *Prædicaiticum*, utut ipsa adhuc Ducatu *Provinciæq*. fundamenta salva sint, omne subruisti. Si igitur tunc jure fieri potuit, quod ego interim haud disputo, quid ni, recurrente sæculo, jure quoque factum sit? nisi forte Regi Reique pub. Polonæ, minus

minus hoc, quam superiore seculo tribuas authoritatis, juris, ac potestatis.

843. Quid si verò ego aut mutationem Religionis factam negem, aut novationem quoque inficier? Cùm à Confessione Aug. ad Sacramentariam, cùm à Luthero ad Calvinum, cùm à Religione Catholicâ ad superstitiones affaniasque Prædicanticas transitus fit, Novatio, imo & mutatio religionis admittenda est; quia uti desertâ Catholicâ fide, transitur à Christo ad Belial; ita ejuratâ Confessione Aug. ut Sacramentariæ dicas sacramentum, itur à Belial ad Beelzebub. Cæterum cum religio Catholica (quæ uti prop. seq. contra Mislentæ calumnias & mendacia patebit, in Prussiâ nunquam iure suo excidit) in integrum restituitur, vel à Theoninâ Prædicantum Theologiâ asseritur, neque mutatio, neque novatio dici iure potest, aut debet.

844. Tamen (sic enim Mislenta l. c. oggannit) *Ordinum huius Ducatus Protestatio, exceptio, & ad pristina privilegia provocatio contra facit: vti namque ijs inscijs, Marchitarum promissa in præiudicium nostræ Religionis, impetrandæ Regionis ergo profecta, ita invitis pleraq; complementum ac successum postmodum sortita sunt.* Præclare enimvero! Perge porro Mislenta, & iuxta vetus illud Zenodoti ἄειδε τὰ τέλλῆνος, *Cane Cantiones Tellenis*: Perge, inquam, non modo offucijs, & psevdologijs miscere omnia impudenter; verum & Principum tuorum, Provinciæque iura, authoritatem, ac fundamenta omnia iniquè hostiliterque subruere! Primum enim, quos tu Marchitas ita honorificè in hanc scenam producis? An non eos, qui per se, Legatosq; suos cum Rege & Repub. de jure Fevdi transigebant? Qui verò ij alij, quam Serenissimi Principes atque Electores Brandeburgici? Isti igitur abs te nullam aliam, quàm *Marchitarum* appellationem titulumve meriti sunt? Nolim ego

 lim ego

lim ego hanc, in Principes suos urbanitatem, te magistro quisquam discat.

845. Deinde isti Marchitæ Principesquè tui (neq; enim negare audebis, quæ per Legatos eorum transacta fuerunt, per ipsos transacta esse! cum præsertim suo ipsi iuramento rata omnia grataq; præsentes habuerint ac confirmarint) quo tandem pacto, aut quando *impetrandæ Regionis causâ* Religionis causam prodiderunt? vel, ut tu loqueris, *inscijs, invitisq; Prussiæ Ordinibus, in præiudicium vestræ, imò & suæ Religionis promissa illa proficisci passi sunt?*

846. Primus ille, qui è Marchiâ, Serenissimisquè Marchiæ Electoribus, de Fevdo Prussiæ transigere cœpit, fuit *Ioachimus Fridericus* Elector. Nam, (ut interim *Acta Commissionis* 1609 *Cautionem Legatorum, & quæ de Fevdo Prussiæ* inter privilegia referuntur, missa faciam) tu ipse pag. V. 6. dicis, *Iacta huius rei fundamenta Anno* 1603. & 1605 *per Legatos Electorales Brandeburgicos ex Marchia Warsaviam expeditos. Hi namque de successione sereniss. Electoris Ioachimi Friderici, in Fevdo Prutenico, Regiam Maiestatem solicitantes, cum vrgerentur, in causâ Religionis compromiserunt*, 11 *Martij Anno* 1605. *&c.* Constat porro *Ioachimum Fridericum* non modò, cum anno 1605, possessionem Fevdi adiret; verum & Anno 1608. cùm possessione Fevdi vitàque excederet, Calvinistam non fuisse: nam universum ministerium, in *suâ Anni* 1617 *responsione* pag. C 1. & seqq. inde quoque probat, *Ioannem Sigismundum* Principem atq; Electorem, Calvinianum esse, quod à parentis sui, Joan. Friderici religione longissime deflexerit; imò & contra iuramentum suum, eidem parenti suo, ore manuq; signatum (quod pag. D. 2. integrum recitant) haud sanè aliter, quàm periuri solent, egerit. Si igitur ille, neq; Calvinianus, neque Catholicus, uti constat, fuit; utiq;

Luthe-

Lutheranus, quod facile admittunt, fuit: quo igitur pacto, aut quando tandem, *impetrandæ Regionis causa*, Religionis causam prodidit.

847. Sed mittamus hanc quoq; Prædicantis in Principem suum observantiam atq; urbanitatem; quis enim finis sit, si quæ in *Ioachimo Friderico* expendimus, ad *Ioannem Sigismundum* filium & successorem illius, *Marchitasque* eiusdem, sive Legatos, quorum ope & consilio Fevdum Prussiæ assecutus est, transferamus? Illud tamen nobis unum atq; unicum Mislenta exhibeat, quo tandem pacto, ac tempore, contra Religionis Catholicæ jus atque exercitium, *ab Ordinibus Prussiæ facta protestatio atque exceptio*? Primum, inquit l. c. Anno 1607. *ante immissionem Ioachimi Friderici*: deinde Anno 1611. *ante immissionem & investituram Ioannis Sigismundi*. Tertio in *literis reversalibus* Anno 1612. Deniq; *tum in Formulâ juramenti An.* 1611. *tum in decretis Commissariorum Anno* 1612.

848. Videris mihi, Cœlestine, quasi basilico periphoremate, tot testimonijs stipatus incedere. Age vires exploremus atque robur, exercitus istius tui? Ne tu quidem Manuali manibusque ipse tuis, aliud inde exprimis, quàm *Fevdum illud novum, salvis per omnia, omnibus Prussiæ Ordinum juribus, Privilegijs, libertatibus &c*, collatum esse. Quid verò isthæc, contra jura libertatesque Catholicæ Religionis? Nimirum supponis hîc, quod jam ante præmiseras, vetere Ducatus Prussiæ jure, extincta fuisse omnia Catholicæ Religionis, in eodem Ducatu, iura ac priuilegia. Verum hæc placita, ut tu nusquam nisi in Cretensium Academiâ hauseris, jam tandem seq. propositione patebit.

PROPOSITIO. III.

Etiam vetera Ducatus Prussiæ jura, Ubiquistæ oppugnant, ne Catholicis jura Privilegiaq; sua, salva in eodem Ducatu relinquant.

849. Initio prop. præced. dictum est, vetera Prussiæ Ducatus jura illa esse, quæ cum Ansbachianâ Brandeburgensium Domo, sunt in *Alberto* utroquè confirmata. Quid jam adversus illa Ubiquistæ, cæterique Prædicantes moliuntur? Ex uno Mislenta, ceu quodam Prædicantici illius exercitus in Prussiâ Duce, vel triariorum antesignano, de reliquis judicium esto. Quid igitur Achilles iste magnus; cui scilicet θυμὸς ἑπταβόειος, uti Aiaci clypeus? Si rem, si veritatem spectes, pauca multis: sin psevdologias, maledicta, offucias, multa paucis. Eò verò omnem rei cardinem vertit, ut demonstret, Catholicam Religionem in Ducatu Prussiæ exstirpatam atquè exterminatam olim fuisse.

850. Quo verò pacto id molitur? miris plane modis, aut potius Chrysippeis nodis. Sic enim pag. S. 5. ratiocinando pugnat.

Cui Religioni, detrahitur perpetua conservatio in hoc Ducatu verbo Regio suffulta, ea ipso facto & jure, est proscripta & exterminata.

Atqui Religioni Romano-Catholicæ, perpetua in hoc Ducatu conservatio verbo Regio suffulta detrahitur;

Ergo Religio Papistica ex hoc Ducatu, ipso facto & jure, est proscripta & exterminata.

Ut acumen Chrysippeum latere neminem possit, insistendum est Prædicantis vestigijs. Præmisit enim ille *Lublinense*, ut vocant, Privilegium, quo Ducatui Prussiæ, à Sigismundo Aug. Rege & Repub leges, in causâ Religionis, làtæ; &, ne Borussici extra terminos, *omni vento doctrinæ ferrentur*, meta cancellique fixi

sunt;

ſunt; uti ex ipſo Privilegio ſupra recitato patet. Hinc (ſi forte ego ad hanc Sphyngem Oedipus, hoc eſt, ſi Prædicanticæ ſubtilitatis aciem ſatis aſſequor) ita nos adverſarius petit Sigiſmundus Aug Rex, verbo Regio Catholicam Religionem in Ducatu Pruſſiæ non ſuffulſit, Ergo Religio Catholica in Ducatu locum non habet, ſed *ipſo facto ac jure proſcripta, exterminataq́, eſt.*

851. Non deerit aliquis ſapientum, qui *Prædicantem* argutulum ſuis ità armis iugulet. Religio Prædicantica, quæ ſub Aug Confeſſionis umbrâ Pruſſiam invaſit, *Verbo Regio ſuffulta* nititur: Ergo *facto & jure ipſo proſcripta eſt, & exterminata.* Fixum enim, adeoq; adamante mortalibus univerſis eſt ſcriptum. & á Prædicantibus ipſis, ad ravim uſq; jactatum, Religionem veram alio nullo, niſi Divino Verbo niti oportere: Ergo cum Prædicantica, non Divino, ſed Regio verbo, teſte Prædicante, nitatur, vera Religio non eſt. Et è converſo, Religio Catholica in Pruſſia, verbo humano aut Regio non nititur, ergo nititur Verbo Divino; Ergo ſola illa vera Religio eſt

752. Neque alius fortaſſe deerit, qui non modo rem, verum & verba Prædicantis ad libram vocet, & verſa in hoſtem catapulta ita detonet; *Religionis Prædicantico-prutenicæ conſervatio, Verbo Regio ſuffulcitur; Ergo ipſa per ſe invalida, ipſoque jure nulla, ruit, & evertitur.* Si quid enim divinitus virium haberet, *Regijs*, hoc eſt humanis viribus, ne dicam *verbis*, niti haud neceſſe haberet.

853. Porro mittamus argutias, & pedem hoſti preſſius conferamus. Maiorem quocirca propoſitionem, quam Prædicans *certiſſimam & nulla egentem probatione* ſcribit, ego primum inficior ac nego. Poteſt enim dari, imò ſæpè data eſt, perpetua Religionis conſervatio, quanquam *uerbo Regio nō ſuffulta* Quo enim Neronis aliorum-

aliorumve Imperatorum verbo, Romæ suffulta est religio Christiana, à Petro, Paulo, alijsq; prædicata, ut perpetuam illi conservationem Prædicantes ne inficientur? Quibus Pilati, Herodis, Phariſæorumve senatusconsultis, Christi fides Hierosolymis? quibus itẽ Regum, Tyrannorumve monumentis apud paganos alios suffulta?

854. Deinde, ut de Maiore ne laboremus, ipsa quoque *Assumptio*, sive *Minor* negatur. Unde enim Prædicans evincat, ,Religionem Catholicam, in Ducatu Prussiæ, Regio Augusti R verbo minimè suffultam? (hoc enim, illud est, quod Prædicans intendit, cum ait, *Religioni Romano-Catholicæ, perpetuam in hoc Ducatu conservationem verbo Regio suffultam detrahi*, si fortè ego cum Alcæo

νῦν σφιγγὸς γρίφους ῥηιδίως ἐφρασάμην.

Nunc sphingis nodos Oedipus explicui)

Unde inquam, Prędicans id evincat, ac demonstret? Ex illo ipso Lublinensi Privilegio; unde initio pag. 8,4. quæstionem ipse hic ultra proponit [*Vtrum Religio Romano-Catholica, vigore huius Privilegij ex hocce Ducatu sit proscripta?* Mox subijcit, *Respondemus affirmando; idque probamus ex vtroque Privilegy membro tam* θετικῶ *quam* ἀφερετικῶ *&c.*

855. Hæc si vera sunt, quæ Prædicans ait, Miseros enimvero Catholicos! qui à Rege Catholico, uti & à Rep. Polonâ, Catholicæ fidei laude semper inclytâ, ita facile proditi in Prussià, perditiq; sint! Verumenimverò hoc illud est, quod ab isto vanissimorum vilissimorumq; hominum genere, non in aliorum modò Catholicorum, sed & in Augustissimarum Poloniæ Maiestatum, incredibilem atq; inauditam redundat iniuriam atq; contumeliam: quemadmodum prop. seq. demonstrabitur.

PRO-

PROPOSITIO. IV.

Prædicantes contumeliosè juxta ac mendaciter & iniquè asserunt, Catholicam in Prussiâ Religionem à Serenissimis Poloniæ Regibus, & Repub. proscriptam atq; exterminatam esse.

856. QUæ enim maior sit contumelia, quam de Augustissimis Poloniæ Regibus facere Prædicantes? Nam prædicantem esse, quid aliud est, quam, contra illud veteribus cantatissimum, *procul este profani*, vel, ut Græci, cum Orpheo

-- θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις,

prophanas manus admovere sacris? & cum, ne ad humana quidem ac civilia idoneus sis tractanda, Divina quoque pro libitu ac libidine miscere? Quod mendacium putidius, quam ea de Sereniss. Poloniæ Regibus, spargere, adeoque chartis illinere, quæ, ne fando quidem mortalium quisquam audierit? Age Mislenta, tecum enim mihi iterum causa intercedit! quid tu ita γυμνῇ κεφαλῇ, & prorsum, *nudo*, ut aiunt, *capite*, de pijssimis Poloniæ Regibus; vel sacrilegos facis Ozias, vel atheos Jeroboamos?

857. Quid enim est, cum Religione Catholicâ, verum DEI cultum proscribere, atq; è Provinciâ exterminare, quam cùm impijssimo Ieroboamo, *vitulos aureos proponere* 3. reg. 12. 26? Quid est Regem politicis civilibusq; patriæ curis, causisque natum, sacrorum ac Religionis, non quidem exterminandæ, sed vel fingendæ formandæq; curam ac studium complecti; quàm cum sacrilego Ozia, 2 paral. 26. 16. manum thuribulo, thuriq; offerendo admovere? Habet enim hîc quoque locum illud, v. 18. *Non est tui officij.* Non, inquam,

regij

regij officij est sacrorum administrationi, ne dicam, religioni veræ exstirpandæ, (nam de idololatria, & impijs hæresiarcharum superstitionibus abolitis, Deo ipso Judice plurimi in sacris Regum fastis Principes laudati) manum admovere.

858. Hinc non modo Dilingani Iurisconsulti, Theologos Orthodoxos secuti, verum & ille ipse, quem Mislenta cæteriq; Prædicantes, Catholicæ proditorem Religionis, mendacissimè impudentissimè q; faciunt, exemplo suo docuit; longè à Regis officio esse sacrorum ac religionis administrationem. Memoranda sanè Vox est, eiusdem Regis Augusti, quam Hosius in Epistolis suis, pag. 288. 291. & alibi sæpius repetit; *Regem se non Sacerdotem esse* profitentis; eademq; voce sectariorum, qui ab illo Rege publicam fidei mutationem extundere moliebantur, ora obtundentis atque obstruentis.

859. Quia verò eandem animi sententiam Rex publico scripto consignavit, operæ precium fuerit Hosium eâ de re differentem audire. Sic enim Epist. 134. pag. 188. scribit. *Cæterum fuit in literis Recessus, quod me recrearet. Fatetur enim hoc Maiestas Vestra, quod pij Reges & Imperatores, ex eo tempore, quo Christianam Fidem receperunt, omnes vnanimiter semper sunt confessi; cognoscere de hæresi, vel de causis fidei, non esse sui muneris, nec ad se pertinere. Digna vox Rege Christiano, Catholico, Orthodoxo! Executor enim est Rex in causa Religionis, non judex, aut cognitor.*

860. Quis igitur ferat, Regem Augustum à Prædicantibus non tam Oziam, Joachimum, quam, quod ijs tetrius est, Prædicantem haberi, cùm ille se ne quidem sacerdotem voluerit censeri? Sed & Mislentam, quis ferre possit, tam perfrictâ fronte, quod Augustus Rex, Catholicam Religionem è Ducatu Prussiæ extermi-

narit, ac proscripserit, adstruentem? Deniquè quis hominis eiusdem, & aliorum quorundam patiatur levitatem, & impudentiam? quibus non satis est calumnijs, contumelijsq; ita palam ubiq; in ipsos incursare Reges, nisi easdem maiore, sive impudentiâ, sive potius furore, ut Disq. seq. patebit, tueantur?

DISQVISITIO XXVIII.

An, & quâ pervicaciâ juxta atq; impudentiâ, Vbiquistæ suas, in Catholicos omnes, ipsosq; adeo Principes suos, contumelias & pseudologias tueantur?

861. IAM olim gemina lex obtinuit apud homines, qui vel thesauro, vel municipio Cretensium gaudent. Alteram princeps Oratorum ita vulgavit, *Qui semel verecundiæ fines transiit*, eum benè & naviter oportet esse impudentem: alteram itidem Princeps Philosophorum, dum ait, *Mendacem oportet esse memorem*, ne scil. calidis solum contentus mendacijs, *funem*, ut aiunt, *contentionis*, cum mendacio una abrumpat. *Non enim modum habet iracundia mentiendi*, ut aiebat Calpurnius Flaccus controv. 12. Vtramq; legem sacrosanctam Ubiquistis cæterisq; Prædicantibus esse; è seqq. propp. elucescet.

PROPOSITIO. I.

Catho-

Catholicam Religionem in Ducatu Prussiæ, sub initium Fevdi extinctam, extirpatam, proscriptamvè esse, falso Prædicantes adstruunt.

862. Omnium nomine loquatur is, qui omnium coryphæus videri vult Mislenta Neq; enim uno, sed, vel intra unius Manualis sui metas, plurimis iste Cretensis locis merces suas proponit. Pag D. 3. & seqq. nititur asserere sub ipsum Fevdi, seu Ducatus Prussiæ initium, vid. Anno 1525. πανολεθρίαν, *seu totale exterminium Religionis Romano-Catholicæ ex Ducatu Prussiæ* consecutum esse Pag D. 6. *Extirpatam*, dicit, *divina sic imperante & dirigente providentia, Religionem Romano-Catholicam: dissipatasq; densissimas errorum Papisticorum tenebras, ac lucem Evangelij Prædicantici, augusto jubare, universis incluti Ducatus colonis affulsisse, &c.*

863 Sed hoc Mislenta, non de alijs, quam de ipsis Evangelij Prædicantici prompsit monumentis: quia & historiarum, & juris civilis, ac Privilegiorum Prutenicorum monumenta aliud loquuntur. Pag. 33. & seqq. *Pax perpetua inter Sigismundum I. Polon. Regem & Albertum Ducem Borussiæ*, & prima Ducatus illius exordia affatim describuntur. De exterminio Religionis Catholicæ, toto illo pactorum conventorum instrumento, ne apicem quidem Mislenta invenerit. Quin ex adverso, non modo ius & incolumitas ipsius Religionis, verum & ipsa Ecclesiæ Catholicæ bona, census, iurisdictio, &c à Prædicantum (qui harpyiarum instar mensis Ecclesiæ inhiabant) rapacissimis vngvibus vindicata. Sic enim l. c. expressè scriptum. *Quod ad Ecclesiasticorum bona & jurisdictionem attinet, debet Dux Borussiæ, ad requisitionem Ecclesiasticorum, unicuique iustitiam, ut Christianum, æquum, & justum est, administrare.*

Neq;

864. Neq; verò Catholicis intra Ducis Prussiæ ditionem sitis, verùm & alijs omnibus, præsertim verò Episcopo Varmiensi, eiusdemq; Clero, jus suum in Ducatu, salvum quoad omnia illibatumq; relictum. Sic enim pag. 34. adijcitur *Cæterum bona, reditus, & census sub Duce Prussiæ siti, Episcopatum Varmiensem, vel eiusdem Ecclesiasticos attinentes. debent vicissim omni ex parte restitui. Si verò Dux vel Nobiles sui, curatos vel alios in Ecclesiastica beneficia collocare vellent, qui hominibus christianè prouiderent, eos Episcopus iuxta antiquam consuetudinem instituere ac inuestire debet.* Quod si hunc in modum bona quoque Ecclesiæ, ac Iurisdictio, sub initium Fevdi defensa assertaque sunt, quâ fronte Mislenta, eo tempore exterminatâ è Ducatu Prussiæ religionem Catholicam ait?

865 Quid si verò, in ipsos quoque Prædicantes, ceterosque sectarios in Ducatu sitos, Episcopis Catholicis jus, & iurisdictio ijsdem pactis conventis asserta sit? Audi enim quid l. c. subiungatur. *Item si possint Domini Pontifices constanter docere, quod Ecclesiastici in terris D. Ducis commorantes, secus quam Christiani, ac contra ordinationem & constitutionem, Vniuersalis, sanctæ Ecclesiæ Christianæ; se gererent, debet Dominus Dux, vna cum Dominis Episcopis iuuare, vt tales debitâ castigatione emendentur.* Si qui Ecclesiastici, in terris Prussiæ Ducis cõmorantes illo, quo pacta conuenta cöaluerunt, tempore, aut deinceps fuerunt; atque etiamnum sunt; ij certè vel Catholici, vel Prædicantici ordinis sunt. Si Catholici, impudens necesse sit mendacium, quando Catholicam fidem cum initio Feudi Mislenta alijque exterminatam dicunt. Sin Prædicantici; ius igitur est *Dominis Pontificib⁹* atque Episcopis Catholicis in Prædicantes, vt *debita castigatione emendentur.* Quo igitur pacto extincta dici potest in Ducatu Religio Catholica,

 cum

cum Præsules Catholici, iuri illic dicundo præsideant, & ad castigandos quoque Prædicantes pastorale gestent pedum?

PROPOSITIO. II.

Insigni peruicaciâ ac mendacio Prædicantes asserunt, Catholicam religionem, cum Feudo Anno 1569. renouato, vi Priuilegij Lublinen: proscriptam e Ducatu Prussiæ, exterminatamque esse.

866. AVdiendus hic iterum, suo suorumque omnium nomine Mislenta est. Pag. R. 7. & seqq. cùm Lublinense Priuilegium recitasset, scholijsque suis prædicanticè illustrasset, pag R. vlt. Obseruat tertio loco, ex eo quod Augustus Rex, suo omniumque successorum Poloniæ Regum nomine promittit, *Conseruaturos se Illustrem in Prussia Ducem, omnesque suæ Illustritatis subditos, in ea doctrina, quæ consensu Alberti senioris eiusque subditorum recepta, publicataque fuit; Eam conseruationem non particularem, sed ita Vniuersalem esse, vt nequaquam Papicolis (si qui tunc superfuissent, ast verò nulli amplius in hoc Ducatu supererant) liberum relinqueretur exercitium.*

867. Similiter pag. S. I. Quinto loco obseruat *Mentione vnanimis consensus omnium ordinum, manifestò & palam, in os contradici modernis Pontificijs, S. R. Maiestatem Poloniæ male informantibus* (nimirum necesse est vt Prædicautius aliquis ad Senatum consiliaque Regis aduocetur, qui melius informet) *ac si inter ordines Prussiæ, Religio Romano-Catholica primas illo tempore obtinuisset: & cùm certo certius sit* (quia Prædicans id asserit) *neminem tum tempore ex ordine Prutenico, Romano Catholicæ religioni, addictum fuisse; multo minus aliqua vel probabili* ratione

ratione probari posse, adhuc circa illud tempus, Papistico-Catholicam religionem in hoc Ducatu viguisse &c. Idipsum pag. S. 4. & seqq. iterum atq; iterum inculcat.

868. Denique pag. S. 4. causam dialecticè subtilius discussurus *Hic*, inquit, *quæstio incidit, Vtrum Religio Romano Catholica vigore huius Priuilegij in hocce Ducatu sit proscripta? Respondemus affirmando: idque probamus ex vtroque Priuilegij membro tam* θετικῶ*, positiuo, quàm* ἀφαιρετικῶ *siue Remotiuo.* Cùm porrò multa subtiliter, tanquam Aristophaneus λεπτόλογος aut potius λεπτολεσχής disputasset. tandem pag. S. 6. adspersa, more suo, contumelia atque conuitio, ita concludit; *Papismus est hæresis à Confessione Aug. nec non corpore doctrinæ aliena: Ergo non modò non tolerari, verum etiam penitus aboleri vigore Priuilegij iubetur.*

869. Et poterat hisce contentus esse; verum quia necdum sua in Iesuitas studia expromserat, subito ita pergit. *Quæ cum ita se habeant, mirari satis iterum atq; iterum non possumus, IESVITICAM, eamque violentam planè amplissimi huius Priuilegij detorsionem & deprauationem; qui toti Regno Poloniæ, huicque Ducatui persuadent, Religionem Romano-Catholicam, ceu primaram, in hoc Ducatu, pensi habitam à Diuo Sigismundo Aug. in huius Priuilegij promulgatione &c.* Ita miseri Iesuitæ, quoties occasio, *vel apud Garamantas & Indos quæsita* sese offert, vt pag. S. 8. T. 4. amicé tractantur à Prædicantibus.

870. Quid si vero, non tam Jesuitis, quam Augustissimis Poloniæ Regibus. totique Reipub. eam hoc loco gratiam Prædicans refert? Si enim. vt ille pro sua confidentia asserit, *Violenta Priuilegij detorsio & deprauatio*, aliqua datur. non Iesuitis, sed ijs. qui auctores sunt Priuilegiorum, Recessuum, & Rescriptorum, (quorum vid. detorsio & deprauatio, secundum *Præ-*

dicantem, facta sit) adscribenda erit. Atqui Priuilegiorum, Recessuum &c. authores, non Iesuitæ, sed Reges, & Reipub. Polonæ, Amplissimi ordines sunt; Regibus igitur & Reipub: Pol. Ordinibus Prædicans, detorsionem & deprauationem Priuilegiorum, solitâ in magistratum etiam supremum obseruantiâ, modestiaq; adscribit.

871. Quæ quidem Prædicantum virtutes, quemadmodum & peruicacia iuxta ac pseudologia Mislentæ, vt spectari oculis iam possint, iteranda hoc loco sunt nonnulla, quæ pro causa Religionis Catholicæ, de ipsis iuris monumentis Disq. 25. sunt recitata Ac Primum, in Actis & Decretis Commissionis Anni 1609. decernitur. *Dubium nemini esse Religionem ipsam Catholicam in Prussia primitus institutam, sub Erectione & Institutione Feudi viguisse* Qua igitur fronte Mislenta, vti hic prop 1. & 2. audiuimus, dicit, *extirpatam religionem Romano-Catholicam. postquam Anno 1525.* Prædicantici *lux Euangelij, augusto iubare Prussiæ colonis affulsit?*

872. Deinde 2 decernitur. *Non alio iure & conditione, ipsam primævam Inuestituram ratione Feudi concessam fuisse, quàm ijs quibus Magister Ordinis, Cruciferiq; terras Prussiæ antea tenuerint.* Qui iuris textus, tanquam vnicum Borussicę nobilitati, quin & omnibus in Ducatu ordinibus asylum, summa eorundem ordinum contentione, cùm aliàs semper, tum verò maximè sub Fevdi, cum Domo Culmbachiana renouationem, Anno 1603. & omnibus deinceps consecutis, defensus est; vt vid. (quemadmodum in Responsis Regijs pag 93. 96. 97 in Actis Anni 1609 pag. 99: in confirmatione Priuilegiorum Anno 1609. pag. 110: & 111. denique & in Iuramento Principis pag. 113. expresse habetur) *Iura omnia; Pacta, Priuilegia, Donatio-*

nationes, Libertates, Immunitates, Recessus ac Inscriptiones, quæ Incolis Ducatus Prussiæ ab Ordine Theutonico, & à Serenissimis Poloniæ Regibus, eorumque Commissarijs iustè & legitimè concessæ, in omnibus punctis & clausulis suis, firmissimum robur obtineant, nec quidquam illis, quouis prętextu, derogetur. Cùm verò, inter cætera pactorum puncta, primum præcipuumque locum Religio semper obtineat, cui dubium esse potest, illi ipsi, & omnibus quæ ad illam spectant, primo præcipuoque loco, in omnibus pactis fæderibusque cautum fuisse?

873. Si cui tamen non tam dubium, quam (vt scil. Nodum in scirpo quęrat) dubij alicuius desiderium est, eximetur omnis ex animo scrupulus, si perfrictâ vel potius Prædicantica fronte non negarit *Primævam ratione Feudi Inuestituram, non alio iure & conditione concessam fuisse, quàm ijs quibus Cruciferi terras Prussiæ tenuerint.* *Quos*, vt in Decreto sequitur, *integris Episcopatibus, bonisque Ecclasiasticis, maximè autem Religione Catholica florente, Prouinciam hanc possedisse, uerius est, quam vt demonstrari sit necessum.* Atque hinc est, quòd cum Princeps iuramento suo, pag: 113. omnia pacta, *etiam priora & antiqua*, confirmasset Legati eiusdem, in sua ibidem cautione subiungât, non modò *Religionem Catholicam Romanam liberam fore* &c verùm *&, Catholicis in Ducatu Baronibus, Nobilibus & ciuitatibus, quicunque Iura patronatus, à Magistris Ord. Cruciferorum, vel Sereniss. Poloniæ Regibus consecuti sint, integrum licitumque fore, Religionis Catholicę Rom exercitium in ijsdem introducere, instituere, habereque &c.*

874. Tandem 3 decernitur, Quamuis fuerat Religionis Augustanæ exercitium (vid. *Priuilegio Lublinensi de anno* 1569, vt ibidem subjcitur) *permissum, non tamen Religionem Catholicam, eo submotam*

 sed sal-

sed salua, potioreque Catholica reseruata, penes illam quoque vsum Augustanæ permissum; sed permissum potius quam approbatum vel confirmatum esse. Qua igitur iterum fronte Mislenta pag S 4 & alibi sæpe, ijs, quæ ita de Religione decernuntur, *pleno*, vt ipse ait, ore ac spiritu reclamat? Qua item confidentia, impudentiavè e uestigio subijcit. *Ibi nullo apice Religionem Romano-Catholicam comemorari, multò minus ceu primariam, siue tunc obseruatam, siue imposterum obseruandam. Augustanæ confessioni ac Corpori doctrinæ præferri; quia tunc Religio Romano-Catholica non extitit amplius, sed dudum exstirpata, in Ducatu esse desijt.* Quæ eadem cum pag. T 7 & alibi sæpius recoquat, non iure hic Demosthenes suum illud Mislentę occinat, οὐδ᾽ ἂν σὺ λαῤῥαγῆς ψευδόμενος *neque tu rumperis mentiendo?*

PROPOSITIO III.

Ex ipsis Prædicantum principiis constat, Religionem Catholicam Romanam, neque in Prussiâ, neque in vllâ alia Christiani orbis prouinciâ, extinctam esse, vel extingui posse.

875. NOta sunt omnium huius æui sectariorum diuerticula, ad quæ se (cum vnde venerint, quivè sint, aut quibus maioribus orti, rogantur) soliti sunt recipere. Modò enim *Ecclesiam Inuisibilem*, in qua scil. ipsi, vel potius maiores eorum, etiam ante orbem conditum latuerint, sibi effingunt; modò ad cunas infantum; modò ad Sauonarolæ, Hussij, aliorumque bustuariorum rogos; modò ad Syluanorum, nescio quorum, deserta, solitudinesque, trepidi æstuantesque confugiunt. Quid, si Catholici Ecclesiam quoque Invisibilem, vel *dicis*, vt aiunt, *causa ad*

ta admittamus? Eritnè adhuc Mislenta, vel Mislentæ sociennus aliquis, qui in Prussia, qui in Suecia, qui in alijs Europæ prouincijs, à Prædicantum exercitu subactis, Catholicam Ecclesiam extinctam dicat? Inuisibilis scil. illa est, & lyncæos quoque Prædicantum oculos ita effugit, vt quo videri minus potest, amplior augustiorque in se sit; quippe quæ ad illius Prædicanticæ, atque Inuisibilis morem, contineat in sese etiam eos, qui nusquam sunt, fuerunt, aut erunt.

876. Quid si ad eorumdem morem Prædicantum, adultos omnes missos faciamus, & inter cunas, de infantum cohortibus, Ecclesiæ Catholicæ exercitum statuamus? sane multo id nobis æquius, quàm aduersarijs licuerit. Nostri enim sunt infantes, quantumuis de ipsorum sanguine hæresiarcharum veniant. Nostri, inquam sunt, quia nostris sacramentis initiati sunt. Nostri sunt, quia per nostrum Baptismum, Christo Ecclesiæq; inserti sunt. Nostri sunt, quia quemadmodum secundum carnem *ex voluntate viri*, & *ex sanguinibus nati* suis sunt; ita nobis *ex Deo* renati sunt. Fac igitur verum esse, quod Lutherus in Sympos. edit Francof. *An.* 1571 cap. 9 p. 76, ait, *Nisi puerorum baptismus esset, Ecclesia prorsus nulla esset: adulti enim atque senes, nũquam adducerentur vt baptizentur, ac diabolo renuncient; cum eius tantam sciant potentiam ac robur esse:* fac, inquam, id verum esse, iam Ecclesia, quæ solis pueris inter sectarios constat, tota nostra est, quia illi quoque nostri

877. Quid, si denique (vt Prædicantes solent omnes, quotquot Rom. Pontifici vnquam aduersarij rebellesque fuerunt, in sua castra fastosque accensere) nos quoque de Prædicantum calcitronibus Ecclesiam statuamus? nunquid desunt, quos omni æuo, in dies atque horas singulas, Prædicantes experti sunt aduersarios ac rebelles? Sed quid nobis cvm perduellibus!

 Quan-

878. Quamuis enim speciem boni præferre, ac φαινοπροσωπεῖν queat, qui perduellem oppugnat; nobis tamen opus non est, vt quis μίθαικος ὢν ἢ θεαρίων, ἀγαμέμνονα ὑποκρίνῃ: *Mithæcus cum sit vel Thearion, Agamemnonem simulet.* Satis est nobis, de medio vestri, admittere eos, qui non tam suo merito ac voluntate, quam dolo & fraude vestra vobis accensentur. Annon vel in ipsa Niniue inuenta, Deo censente, *plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram suam?* Ionæ 3, 11.

879. Et ut de alijs quidem Prouincijs nihil memorem; de Prussiâ quis nescit, reperiri etiamnum, quando regnum Prædicantum in ἀκμῇ ac flore constitutum videtur, innumeros mortales, *qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam* (qui (quantumuis furente vbique hæresi, tanquam alterâ Iezabele) *non curuent genua ante Baal.* 3 Reg. 19, 18: Equidem sæpe referentibus alijs didici, sæpe etiam expertus ipse sum, plurimos in Ducatu nunc esse, qui fascino sectariorum à teneris perstricti, cum Catholicę lumen veritatis, vel minimo radio hauriunt, eo se referre parati sint, nisi Prædicantum tyrannide pressi, corpore locum, quo nati sunt, occuparent, animo ad veram Ierusalem peregrinarentur. Istos tu, non magis nobis, quam Prædicantibus accenseas? Quod si nunc quoque tales non pauci, quid ni olim (quando regnum Satanæ ac Prædicantum infirmius erat) multo etiam plures? Quomodo igitur his talibus, alijsque id genus, præsentibus, Catholica Religio in Prussiâ extincta aliquando est, vel extingui potuit?

PROPOSITIO. IV.

Jura

Iura pro Catholicis, & Catholicæ Ecclesiæ incolumitate, vel Regis ac Reipub. Polonæ Maiestate & dignitate, in Prussia facientia, putidè, scepticè, atq; iniquissimè Prædicantes explicant, ac deprauant.

880. QUi, qualesque Sacræ Scripturæ interpretes sint Prædicantes, hactenus abundè patuit orbi. Quid in exponendo, vel, vt non magis ad veterem phrasin, quam ad Prædicantum mores, etymonque respiciam, *in gloßando* jure ciuili, & Principum suorum monumentis valeant, patebit vel ex vnius Mislentę glossis, quas pag T. 7 & seqq. Manualis sui (Baldum magis an Bardum secutus?) alleuit. Textus est, *Exclusa violenter Romano-Catholica in Ducatu Religione, jus S. R. M. & Regni læsum esse.* Reponit I. pag. T. vlt, *Exclusionem Religionis Papisticæ, consensu S. R. M. ac Regni factam esse.* Vnde verò id tibi constat mi Balde? *Si enim Rex Sereniss.* inquit ille, *cum Regno non consensißet, vtique Reclamasset; Reclamasse verò vnde quis probabit?*

881. At! heus mi homo! Nonne satis reclamatum est, quando illis ipsis *Actis* ac Decretis dicitur, *Læsum deinde est jus S. R. M. & Regni ob violentam Catholicæ Rom. religionis exclusionem, Ecclesiarumque Catholicarum in hoc ipso Ducatu antiquitus fundatarum priuilegiatarumque occupationem & bonorum Ecclesiasticorum ademptionem, ac in vsus priuatos profanosuè conuersionem!* Quid opus fuerit maiore, aut frequentiore reclamatione, cum vi huius vnius ac solius, non modò Catholica religio de facto restituta iam sit, sed insuper, *Ecclesiæ Catholicæ in Ducatu antiquitus fundatæ,* & nunc, vid iure Prædicantico iniquissimè *occupatæ*

quemadmodùm & *bona Ecclesiastica*, eodem iure *adempta*, restituenda adhuc sint?

882. Neq; dixeris serò nimis, sub Annum 1609. esse reclamatum, cum & 1605. & 1603. reclamatum sit; quando, ut tute fateris pag. V. 6. *Novæ transactionis pacto cautum est, Religionis Papisticæ liberum exercitium in hoc Ducatu, &c.* At Sigismundus Aug. præsertim Lublinen Privilegio minimè reclamavit! Hoc verò verbo temetipsum iugulas. Doces enim ac fateris jam, (quod alias, & hic n. 866 & seqq. nequiter inficiabare) Sigismundi ævo Religionem Catholicam adhuc in Ducatu vguisse, ut necesse minimè fuerit eius causâ reclamari. Et sanè, quid opus fuerit reclamatione, cum, quanquam serpente hæresi, ius suum obtineret Catholica Religio? Quin imò, etiam sæviente atq; exuberante fortassè iam tum hæresi, non magis uisum est tunc reclamare, quàm apparentia primulum in medio tritici Zizania extirpare ac colligere? Nimirum, valuit tunc etiam Divinum illud *Sinite vtraq; crescere.* Quid si verò deinceps, ipso *Messis tempore*, dictum est, aut insuper *dicetur Messoribus, colligite primum Zizania* &c. Math. 13. 30. Cœlestine, *intellexisti hæc omnia*? Si mihi reponis, *Etiam*; non tu omnino indoctus scriba habebere, in isto Prædicantici cæli regno. At tu

883 Reponis 2. loc. cit *si quis jure suo cedit sponte, læsus dici nequit, quà ius suum. vti enim volenti non fit iniuria, ita nec læsio iuris eiusdem* Tu igitur Regem, atque Amplissimos Regni Ordines, sponte iure suo cessisse ais? Quæso, quo id tandem loco scriptum legeris? Noli enim putare, de te illud esse dictum αὐτὸς ἔφα, quippe, cui iurato quoque, vix quisquam tutò credat. Quo igitur id loco lectum abs te est? aut, si lectum non est, quo abs te iure assertum? Audite hominem, *Orestis Somnium Thessalo* apud Galenum *narranti*, haud dissimilem! Sic

enim

enim fatur *Quia Privilegio Lublinen. Sereniss. Rex cum Ordinibus Regni, exclusionem Papismi, conservationem verò nostræ Religionis confirmavit, pro violento actus ille haberi nequit.*

884. Præclare enimverò argutaris, quia eô, unde abieras, retro redis; sive, ut Dialecticis loqui placuit, *Principium petis.* Quid enim demonstrandum initio receperas? Nim. Exclusione Religionis Catholicæ jus Regis ac Regni læsum non esse. Vnde id probas? *Quia consensu Regis ac Regni facta exclusio.* Unde verò consensum illum deducis? Quia Rex *Exclusionem Papismi,* perinde uti *conservationem nostræ Religionis confirmavit* Exclusa igitur est Religio Catholica, quia exclusa; hoc est, quia tu Cœlestine, cùm *Plautino* illo, *Rem acu tetigisti!* Ego verò, mi homo, ut in præsentiarum non disquiram, an Rex vel Regnum jure aliquo Religionem Catholicam excludere potuerit (jam enim alias divinitus in simili causâ dictum decretumq; est; *Non est tui officij* sup. n. 857.) certè voluisse unquam excludere Nego. Nam quod tu

885. Reponis 3. vel potius, (cum tu id nec dum capere satis videare) Reponi tuâ causa posset, Religio Augustana Privilegio Lublinen. confirmata est; Ergo Catholica, eo ipso, ut incompatibilis, exclusa. Ad hoc paucis sic habe. In pacificatione religiosa Jmperij, Anno 1555. Confessio Aug. in Jmp. Rom. confirmata est, (confirmata, inquam, non tam meâ, quam tuâ tuorumq; sententiâ ac judicio) Ergo Catholica eo ipso ex Jmperio exclusa? Minimè gentium. Idem proinde hic statue; præsertim cùm, jlla conservatio Lublin. Privilegio nixa, non sit pro approbatione, ut tu hallucinaris, sed *pro permissione, ac nuda toleratione* sumenda.

886. Cum enim præclara illa Religio, nullo jure aut fundamento nixa (non tam Catholicis, ob temporis

illius

illius rationem, ius suum vindicantibus, quam ut supra vidimus, Osiandristis, Calvinistis, alijsq; Sectariorum furiis in Prussiam arietantibus) ipsa per se rueret, non equidem tam Privilegio illo probata, quàm contra hostium insultus defensa. Expediebat enim tum pro Provinciæ istius salute, tum pro Regni Poloniæ dignitate, unam potius sectam permittere ac tolerare, quam omnibus ad tam patefacere.

887. Atq; hoc illud est, quod in Privilegio dicitur *statuimus clementer conservare.* Tolle clementiam Regis ac Regni, exterminata est è Prussiâ, tua tuorumq; secta; tantum abest ut iure probata, vel ad excludendam Catholicam conservata sit! Et adhuc tu pag. V. 2. & seq. ἀτέραμνος & ἄτεγκτος obstipo nimirum capite, tuum illud ingeminas, *Negamus quod vsus Aug. Conf. vigore privilegij sit tantum permissus & non approbatus?*

888. Nega, ut lubet, te enim pernegante, valent, vigent, ac robur, vimq; suam, contra omnem, quantumvis Prædicanticam pervicaciam habent, & habebunt Regis ac Reipub. decreta illa. *Et quamuis permissum fuerat religionis Augustanæ exercitium, non tamen religionem Catholicam eo submotam, sed salvâ potioreq; Catholicâ reservata, penes illam quoq; vsus Augustanæ permissus, sed permissus potius quàm approbatus, vel confirmatus est, &c.* Quæ tu dum l. c. potius allatras, quam explicas, vereor, ne malum capiti tuo cudas.

889. Quanto verò magis timere etiam debes, dum pag. S. ult. & seqq. similia Regis, Reiq; pub. decreta putidissimis glossis tuis lancinas, aut etiam laceras? Decretum est, ut ipse fateris, *Religionem, quæ primitus in terris Prussiæ floruerit, jure potiore habendam.* Decretum item te fatente, est, *Primævam Investituram ratione Feudi concessam esse, non alio jure & conditione, quam vt florens Catholica Religio semper in Ducatu sarta tecta maneret.* De-

ret; Deniq; non diffiteris pag. V. 4, decretum esse, *Religionem Catholicam, ut pote quæ suis Fundationibus & privilegiis constabat, violari non debuisse.* Quid tu ad hæc? λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἅπτεις, *Lucernam*, ut aiunt, *in meridie accendis.*

890. Lucernam, inquam, accendis, sed Prædicantico oleo, non tam fulgentem, quam fumantem. Ita insubida, insulsa, & inficeta sunt omnia, quæ affers: ac pleraq; etiam in supremum Magistratum contemptus iniuriæq; plena! Quid enim est, *Negare violationem Catholicæ Religionis ulla ex parte commissam*, ut pag. V. 5. facis, quàm supremum Magistratum, qui expresse *violationem factam dicit*, falsi, ne dicam mendacij, arguere? Et hæc iniuriam atq; contemptum non redolent? Quid illud! aut quam, in eundem Magistratum, observantiam refert, dum pag, S. ult. & V. 4. &c. scribis, Catholicam Religionem, quam Decretum, *jure prioritatis ac fundationum, privilegiorumq; suorum, potiorem dicit*, non secus atq; Ethnicam, Judaicam, Turcicam, ac Scythicam, priorem potioremq; habendam? Non deerunt, ut spero; à quibus tu, neq; mitiora audias, neq; pauciora, *quam*, ut vulgo fertur, *Clinia ex Demetrio.* Ego te paucis expedivero, si te, vel ad Disq. 25. prop 3 & 4. remisero; vel hic quoq; tibi, pro merito tuo, vetus illud cum Hesychio, occentâro ναυκιοσοζεῖς.

PROPOSITIO V.

Protervè juxta atq; impudenter, Prædicantes negant, ulla ab se scommata in Catholicos iactari

891. QUanquam Disq. 26. præsertim prop. 4 abundè constiterit, Corpus Doctrinæ Prutenicæ, vel ob Articulos Smalcaldicos, & Scommata, quæ illis continentur, damnatum in Prussiâ esse! nihilo

hilo tamen minus est *ferrea Prædicantum frons*; ut neq; eo, neq; alijs libris suis (quid enim alij habeant, quod ex hoc quasi fonte haustum non sit?) ulla scommata contineri dicant! Joannes Behmius *in sua de Corp. Pruten. Instructione*; & Mislenta Manual. pag. T. 6 *Convitia & Scommata in Articulis Smalcaldicis, & Corpore Prutenico nulla*, inquiunt, *sunt* Quibus ita protervè negantibus, quid reponas aliud, quàm illud veteribus usitatum, προπετῶς μὴ ὄμνυε? Olim Rom. Imperator, ei qui per genium suum peieraret, id reposuit, nec sine adiecto fustuario, ut testis est Ulpianus in c. 13. de Iureiur.

892. Huius ego auctarij loco, nihil aliud nisi Principis ac Regni placita adiungo In Actis & Decretis anni 1609. pag. 101. *Ita verò permissus Augustanæ Conf. usus, Privilegio Lublinen. de Anno 1569. uti juxta Formulam Aug. Conf & eiusdem Apologiæ tantum, non autem secundum Articulos Smalcaldicos (sicut repetitio Corporis Doctrinæ Ecclesiasticæ, de anno* 1570. quo loco Mislenta falso posuit; Anno 1569. *in se continet) à subditis Ducatus Prussiæ vivatur* Quanti Recessum Anni 1617 Vbiquistæ faciant, ostendimus Disq. 16. prop. 5. Atqui eo ipso Recessu, ut ibidem patuit, iterum atq; iterum decernitur, *ut Convitia, & scommata è Corpore Prutenico, Articuliq; Smalcaldici expungantur.* Si expungenda sunt Scommata atq convitia, manifestum utiq; est, non deesse illic scommata Qua igitur fronte Prædicantes isti aiunt NVLLA ESSE?

893. Anno 1616 (ut ille ipse Recessus Anni 1617. & ex illo Mislentâ quoq; pag X. 6. memorat.) *Dominus Iaschkius vnà cùm alijs DD. Legatis Electoralibus, coram Illustribus, Dñis S. R. Maiestatis Deputatis, confessi sunt, in Articulis Smalcaldicis, multa in Religionem Catholicam Romanam Scommata contineri' Quapropter ea S. R. M. expungi.*

expungi, Decreto suo Regio jussit. Atq; hinc Nobilissimi illi Viri, in suâ Anni 1641 Protestatione contra Ubiquistas, vel potius contra Prædicantes, Regiomonti Actis insertâ, expressè aiunt. *Si res ad cognitionem Romano Catholicorum statuum Regni Poloniæ remitteretur, certi sumus ipsos Corpus istud doctrinæ nunquam probaturos, nec toleraturos. Ejusmodi siquidem in eo continentur sermones, qui non tantum in Aug. Conf. non inveniuntur, sed etiam Romano-Catholicis minimè sunt ferendi v. g. Doctrina de bonis operibus, uti diabolica. & damnati imperij Antichristiani propria, proclamatur, &c.*

894. Quæ igitur frons iterum est Prædicantum, proterve asserentium Nulla Scommata esse, cùm & Nobilissimi in Prussiâ Viri, & Legati Sereniss. Electoris, & Decretum Regium, uti audivimus, multa esse fateatur, adeoq; expungi jubeat? Si fortè nusquam alias, hîc certè Prædicantes Strabonis judicio lib. 13. τρίβειν μέτωπον, *& os ac frontem perfricuisse*, videri possunt ac debent.

PROPOSITIO. VI.

Prædicantes convitia, scommata, & suam in Catholicos maledicentiam, non modo excusare, verum & Scriptura S. tueri conantes, stuporem & amentiam suam orbi spectandam manifestò exhibent.

895. NUllum scomma, nullum gravius in Catholicos probrum, ac maledicentiam iactari & fingi posse, quàm cùm Romanus Pontifex, Ecclesię Christi Pastor, Pater, & Caput, Antichristus dicitur, alibi ostensum est. Nunquid proinde stupore atq; amentiâ laborare censendi, & inter *septimanos*, ut aiunt,

tragedos, apud Abderam referendi sunt; omnium Ministelli sectarum, qui & Rom. Pontificem Antichristū; & , quod inde sequitur , omnes Ecclesiæ Catholicæ Alumnos, summos juxta ac imos, Antichristi satellites, hoc est facinorosissimis mortalium longe posthabendos, proclamant! Quid, si eadem Divinorum oraculorum testimonijs adstruere, ac tueri moliantur?

896. Respice quæso, atque unum ex istâ, *sive Orestis*, *sive Herculis furentis* scenâ, coram hic loquentem audi. Misenta is erit, qui Manual pag. X. 8. Primum ad Marginem Thesin hanc fixit, *Titulus Antichristi*, *non est Scomma vel convitium.* Deinde Thesin hunc in modum propositam, vide ut probet! *Veritas in scripturis sacris patefacta, pro convitio, vel Scommate haberi non debet. Quod autem Papa Rom sit Antichristus, est veritas in scripturis* S. *patefacta*; 2 *Thessal.* 2. *v.*4. 1 *Ioan.* 2. *v:* 18. *Apoc* 17. *v* 14. *&* 19. *v.* 2. *&c.* Brevius aliquanto Behmius Instruct. c: 3. pag G. 1.

897. Quæ ego, aliaq; id genus cùm audio, videor mihi coram intueri, atq; audire, Menæchmum aliquem Plauti; non jam simulatâ, sed verâ insaniâ, patri suo maledicentem, & suæ causas maledicentiæ in Apollinis oracula referentem. Hortetur Pontifex Rom. uti Pater pastorq; pro munere suo, sectarios: hic aliquis ex istorum numero, cum Menæchmo exclamat!

——— *Ecce! Apollo mihi ex oraculo imperat,*
Ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.

si remedia quoq; domando morbo adhibere velit; tum insanus pergit

——— *Nunc hunc ego impurissimum,*
Barbatum, tremulum Titanum Cycno prognatum patre,
Ita mihi (ô Apollo) *imperas; ut ego huius membra,*
atq; ossa, atq; artua
Comminuam, illo Scipione, quem ipse habet.

Sin ad

898. Sin ad mitiora quoq; consilia, pro paternâ descendat pietate; tum enimverò Menęchmus noster, maioribus etiam stimulis furiatum actus, intonat

Multa mihi imperas Apollo! nunc equos iunctos jubes
Capere me indomitos feroces, atq; currum conscendere,
Vt ego hunc proteram leonem Getulum, olentem, [edentulum.

Et iterum —— ——— *Ecce Apollo denuo*
Me jubes facere impetum in eum, qui stat, atque [occidere,

Deniq, si vitam, si mores impios, si prædicanti æ facinora palęstræ eidem exprobret; tum pleno Euripo maledicta evolvet, atq; dicet;

At ego te, sacram coronam surripuisse Iovi scio;
Et ob eam rem, in carcerem tedesse compactum scio;
Et postquam es emissus, cæsum virgis sub furcâ scio.
Tum patrem occidisse, & matrem vendidisse etiam scio.

Quid inter hosceMenæchmos discriminisquæso est, n si quod Plautinus ille simulatò, noster autem reapse insaniat?

PROPOSITIO. VII.

Conscientiæ vi Prædicantes ad Scommata, convitia, & maledicta in Rom. Pont. omnesq; Catholicos iactanda incitantur.

899 QUanta vis conscientiæ sit, Romanus Orator pro Milone docuit. *Magna*, inquit, *vis est conscientiæ, Iudices; & magna in vtramq; partem; vt neq; timeant, qui nihil commiserint, & pænam semper ante oculos versari putent qui peccarint!* Et pro Sexto, atq; iterum pro Sext. Rosc. Amer. *Sua quemq; fraus, & suus terror maximè vexat! suum quemq; scelus amentiaq; afficit, suæ*

 malæ

malæ cogitationes, conſcientiaq; animi terrent. Hæ ſunt impijs aſſiduæ domeſticæquè Furiæ. Pari gravitate Ovid. 1. Faſtorum

Conſcia mens, vt cuiq; ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemq, metumq; ſuo.

Brevius apud Grœcos Menander

Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός

Omnibus hominibus conſcientia, eſt Deus

900. Qui igitur conſcientiâ dictante aliquid patrant, quaſi Divinis quibusdam impulſi oraculis patrant. Jam audivimus Prædicantes, Divinis Scripturæ oraculis ad maledicendum ſeſe impelli, egregiè fingentes; æqvum eſt, vt eoſdem quaſi Divinis itidem conſcientiæ oraculis, ad eaſdem Prædicanticas artes incitari, ex ipſorumet ore audiamus.

901. Joannes Behmius in ſuâ de Corp. Doctr. Inſtructione, cap. 3. initio, pag. F. 1. *E verbo Dei*, inquit, *ſcimus, quin & conſcientiâ noſtra atteſtante convincimur, toto libro Corporis Doctrinæ, quantus quantus eſt, nihil aliud, niſi quod Verbo Dei conſonum ſit, reperiri.* Et clarius aliquantò atq, expreſſius pag. G. 1. *Fides*, inquit, *& Conſcientia noſtra atteſtatur; in Corpore Doctrinæ nulla convitia aut Scommata reperiri. Siquidem pro convitio habendum non eſt, quod cum veritate dici de aliquo poteſt, aut quod è Verbo Dei ego aſſero. Alioqui Scommata quoq; eßent, quod Ioannes Baptiſta, imò & ipſe Chriſtus Dominus, Phariſęos & Iudęos vocavit genimina viperarum, hypocritas glutientes camelos, & culicem colantes, filios Diaboli &c In hoc paſſu, Spiritui S. in officio arguendi & increpandi os ligari non debet* Nam & *hic locum habet illud; Credidi, propter quod locutus ſum.*

902. Hem! Religioſos prorſum homines! qui (ut interim exempla, prætenſamq; ſcripturæ authoritatem in alium locum reſervemus) tantum conſcientiæ tribu-

ribuunt! Et quis sit, qui tantæ authoritatis, Religionis, conscientiæq; tam teneræ Viris, fidem abroget? Ego sanè is non sum. Credo enim, adeoq́ testor conscientiâ actos, etiam ad convitia in Rom. Pontificem, Ordines Religiosos, omnesq; Catholicos iactanda devolvi. Nam & ille apud Plautum, non omnino Prædicanticæ ignarus artis, Iranio *in Mostellaria* ad suâ se facinora, conscientiâ impulsum ita fatetur.

—— ——*Heu! quàm timeo miser!*
Nihil est miserius, quàm animus hominis conscius, sicut me habes.

Quid igitur ille consilij, negotijvè occeptat? Audiendus ipse est.

——*Verùm, vtut res sese habet,*
Pergam turbare porrò: ita hæc res postulat,
Facio quod plurimi alij, quibus res tim da, aut turbida est
Pergunt turbare vsq;, ut ne quid possit conquiescere

903. Hoc nempè, civilis istorum prudentia arcanum sibi extundit, dũ ut alibi loquitur *sibi senatum consilij in cor convocat*; nimirum, ut porro Pergeret Turbare. Factum id à Pericle, narrant historiæ, & cùm ijs, ad hunc locum Plauti Lambinus. Pericles enim pecuniam publicam tractando, cùm in propylæa illa præclara eam coniecisset & insumpsisset, neq; satis commodè se tantarum impensarum rationem referre posse videret; quo pacto rationem non referret potius, quàm quomodo referret, sibi videndum esse existimavit: atquè ita bellum grave, magnum, & difficile excitavit. Nunquid hoc, *Porrô pergere turbare est*?

904. Non incommode eô loci subiungit Lambinus, *Quod nostrâ ætate à quibusdam, ob eandem causam, & eodem consilo factum esse, notissimum est*. Et cui ignotum sit, quâ causâ, quovè consilio, Prædicantes, vi, dolis, fraudibus, convitijs & omni furore grassari in Ecclesiam Chri-

am Christi cœpêre, perpetuis scommatibus, & contumelijs in Catholicos, præsertim verò in Pont. Rom. & Ordines Religiosos detonent! Nimirum, *Pergunt turbare porrò!* hoc enim conscientia, vel potius, ut Cic. aiebat, *assiduæ domesticæq; Furiæ*, svadent.

PROPOSITIO VIII.

Longè aliud est, verbo refellere, quod inter bonos fas est; & aliud, convitijs, maledictisq́, incessere; quod Prædicantibus etsi sit nefas, usitatum tamen & minimè insolens est.

905. Pro retinendâ maledicendi convitiandiq; libertate, non postremum defensionis, vel potius excusationis caput, Prædicantibus illud est, quod Joannes Behmius, Instruct. Corp. Prut. sub finem cap. 2. pag. F. in hæc verba adfert. *Suntne hæc incompatibilia, verbo refellere, & tamen libertatem Papisticæ Religionis non tollere?* Finge hinc Axioma seu maximam ex mente Behmij; potest, salvâ sui libertate, Catholica Religio in Prussiâ verbo refelli, atq; oppugnari.

906. Hanc ille tibi maximam, non sine debitâ præfatione, ità eodem loco probat: *Ergo putant Calvinistæ* (qui scil. Corpus Doctrinæ; quo se velut muro aditu Prussiæ arceri sentiunt, apud Regem Regnumquè Poloniæ damnari contendebant, vt ibidem ait.) *nos Prutenos, cerebrum in capite nullum habere, vt putidas istas & turpes eorum molitiones non intelligamus? Quid ad vivam in Germaniâ praxin dicent? Vbi sæpè in vna eademq; civitate, Lutherana & Papistica religio, libertate sua gaudet; & tamen liberum vtrique parti est, oppositam doctrinam, concionando, orando, canendo, scribendoque refellere!*

907. Non ego multis Behmio hîc repugnabo. Non negabo, *Prutenis cerebrum in capite esse*: quanquam alicubi

cubi Prædicanticæ fumis vanitatis, ita offusum nolim. Neq; magnopere disquiram, an Catholica Religio, atque eius causa ipsi Catholici, verbo quoque refelli, atq; oppugnari in Germaniâ jure liciteq; valeant? Si enim absoluta gaudent libertate, qùo iure oppugnari possunt? nisi forte vrbes, Principes, aliosq; mortales, juribus, Privilegijs, atq; immunitatib' suis securè gaudentes, secundum jus Prædicantum, verbò refellere atquè oppugnare cuivis liceat? Neq; insuper multis contendam, in Prussiâ, nè quidem refelli verbo Catholicam Religionem posse; cùm multò sint in Prussiâ adstrictiores Prædicantum, quam in Germaniâ, termini, vires, & nervi; ubi eorum Confusio nunquam probata, & tantùm permissa, atq; hactenus tolerata est. Num & ipsi, si quem domi suæ peregrinum tolerent, eo ipso jus fasquè eidem tribuunt, de fundi possessione ac jure secum litigandi?

908. Unum tamen illud, Prædicantes ex me velim audiant. Utut fortè illis in Prussiâ liceat verbo refellere, at nequaquam licet convitijs incessere Catholicos. Hoc enim, ἄλλο γένος κώπης *Aliud genus remi*, ut aiunt, est: nisi forte Prædicantum Calepinus Synonyma faciat, Refellere, & convitiari: arguere, & criminari; defendere, & contumelijs verberare. Et sanè rem ita esse, vel ex hoc loco patet. Certum enim, vel è Regis & Regni Decretis est, Scommata, lædorias, convitia, & contumelias non paucas in Corp. Doct. contineri; at Behmius cum suis negat; quodq; Regio Regnique Decreto dicitur *convitiari*, Behmio nihil aliud est, nisi *verbo refellere*.

909. Et quid aliud, vel hic, vel alius quispiam de Prædicantum scholâ diceret, in qua primus præcipuusq; Topicorum locus est, *à convitijs*? Nusquam enim magis viget illa, à Regio vate designata, *Pestilentiæ Cathedra*.

thedra, Ps. 1. 1. nusquam plures, nobilioresvè ab illâ Cathedra, videas *Cathedraticos*, ut alicubi vocantur, *Doctores*. Quid porrò Cathedra illa, aut qualis sit, docebit Hesychius in Catenâ Patrum apud Corderium in Ex. καθέδρα λοιμῶν ὁ τῶν ψευδοδιδασκάλων λόγος *Cathedra pestilentiæ* (vel iuxta Gr: *Pestilentium*) *est sedes falsorum Doctorum*. David enim Rex, vt ibidem præmittitur, *Pestes vocat impostores, qui specie tenus iustitiam colunt, malitiam verò factis exercent.*

910. Etsi verò Cathedratici isti Doctores, varijs ac miris modis impostores dici possint (nam & vox Hebræa *leitsim*, significat derisores, unde & Aquila pro λοιμῶν vertit χλευαστῶν quod ut Hieron. notat, *perversus doctor omnes discipulos illudat*) tamen hoc ævo, vix aliâ viâ magis proficiunt, quam convitijs, quæ in Catholicam Ecclesiam Catholicosq; omnes, *plenis*, ut vulgo dicitur *plaustris* ubiq; devolvunt; ut, vel hac de causa, apud LXX. λοιμὸς idem sit quod λοίδορος, *&* reliquis Græcis, quod ibid. notat Corderius λοιδορία id est convitium. dicatur quasi λοιμορία, sive *pestis*, *&* λοίδοροι *convitiatores*, juxta Proverb. 12. 24. λοιμόι, id est *pestes*.

911. Et mirum sit, eos, qui Doctores de ista Cathedra præsitentes, & uel Lutheri vel Calvini oracula despuentes audiunt, ad hoc ipsum Eloquentiæ Prædicanticæ genus à teneris imbui? Psittacis, ut doctus & gravis apud Pannonios scriptor *in Logis Alogis* notavit, simillimi sunt Prædicantes, Prædicantumq; auditores nonnulli. Ut enim illi nihil aliud, quam quod didicerint, pronunciant; ut, si convitia illos docueris, dies ac noctes perstrepant maledictis; ita hi, in naturam vertere maledicta, hæc illis arma, hæc cantilena est. Possem ego nonnullos memorare, qui cum apud Cathedram

thedram illam, auribus animisq; inter plurima infanda, hausissent, Jesuitas hominibus cæteris dissimiles, cornua capite, & ungves pedibus, gallinaceorum in morem, proferre; ideoq; Satyris ac Faunis, imò geniis malis similiores esse; ubi in conspectum Jesuitarum tandem venêre, supra modum hæsisse attonitos; &, vel ob putidissima illa Prædicantum convitia juxta ac mendacia, ad Ecclesiam Catholicam reversos esse.

912 Ipse adeo Iacobus Marchio Badensis, ut inter causas sui ad Ecclesiam reditus, primo loco memorat, alijq; sive genere, sive doctrinâ Princeps viri non pauci, ut sectis nuncium remitterent; ex agnitis Prædicantum sannis, convitijs, maledictis, ac mendaciis, non leve calcar senserunt. Si qui porro, ijsdem agnitis cathedram illam, stationemquè suam necdum deserunt, eos ego pro depositis habeam; quia vel animi magis, quã corporis cultu ad Prædicantum tribum, quam, de semine levi, alibi meritò vocavi, pertinent; vel incoctis inolitisq; vitiorum sordibus, ac cæno mersi, ne scilicet de suarum volutabro voluptatum, novo Epicuri de grege porci, eruantur, convitiorum arma, aliorum Prædicantum in morem, prætexunt. Hæc enim arma, hæc panoplia est, ab invicto illô Rege psal. 56. 5. depicta. *Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingva eorum gladius acutus.*

913, Joannes Behm. in Oratione funeb. Alberto Friderico Duci Prussiæ dicta, memorat inter heroas Brãdeburgicos Fridericum II. ob incredibile robur & rei militaris laudem, *Marchionem cùm ferreis dentibus*, vulgo dictum fuisse. Doctoribus nostris pro Cathedrâ illa sua residentibus, frontem aliquis ferream, sed dentes, vel cùm Poëtis, *Draconis*; vel, cùm Syracida Eccl. 21. 3. Ioan: Apoc: 9. 8. *Leonis*; vel cùm eodẽ Ecclesiastico, c. 39. 36. *scorpij*; vel quod æquius videtur; *Martichorg*

attribuere iure potest. Martichoram Caussinus Paral. lib 2 c 22 & lib 11 pag 480. ex Æliano, Philone, alijsq; describit. Multa in ea animante nova, ac portento similia. Nam & voces, & sonos omnium animantium strenuè imitando edit: rudit hinnit, rugit, sibilat &c. Ab Asini tamen ingenio minimè recedit.

914. Et Doctorum istorum Cathedraticorum ea indoles, id ingenium est; Omnes lingvas, Græcas, Latinas, sacras, prophanas; &, hoc prætertim tempore, reliquas Orientales, Arabicam, Syriacam, Chaldaicam, Æthiopicam, &c. egregiè imitantur; sed Martichorâ nihilo felicius: nusquam enim ita cauti catiquè sunt, quin vel auriculæ, ut apud Midam; vel, ut minimum vox, & virtutes cæteræ auriti illius animalis, extra Leonis quoquè exuvias, sese prodant, uti sæpè in Aristarcho nostro animadversum. Si quibus etiam cætera, ad illam vocum, lingvarumq; copiam & varietatem desint, non deerunt nati ad convitiandum maledicendumquè dentes & sagittæ.

915. Martichoræ, ut ibidem Causinus, præcipuum in cauda dentibusq; prodigium. Dentium pectinatim coëuntium series, & ordo omninò triplex. Triplex itidem Prædicantum, quoties in Catholicam Ecclesiam pugnant, ordo dentium; prior, qui oculis maximè patet, specie Theologicarum, Politicarum, Philosophicarumq; Disputationum proponitur: reliqui duo, uti magis intimi, ita magis etiam noxij, convitijs & mendacijs, in Catholicos, modò clam, modò palàm directis, constant.

916. Jam verò cauda Martichoræ, eodem teste, magnitudine propè cubitali, asperis undiq; spinis, veluti aculeis scorpionis, spiculata viget; quam teli instar bellua, nunc a tergo eductam protendit ad caput, nunc in terga reijcit, nunc in dextram vibrat vel sinistram;

ſtram; ſimulquè emiſſas, quaſi à pharetrâ ſagittas, ad iugeri ſpacium, terribili fremitu, iaculatur. Quod ſi ſuccenſa rabies altius effervescat, ungves ipſos, de pedibus revulſos, in venatores intorquet. Mira hæc, ſed quid ad Prædicanticam in conviciando calumniandoquè feritatem? Cuius ſi exempla adhuc deſideres, facilius, in quovis fere Prædicantum ſcripto, quam ligna in ſilvis repereris.

917. Interim ſi Typum atquè Imaginem ſui ê profana literatura nolint Marti̇choram, habebunt ê ſacra, Arthuro Piſeo authore: qui ad Matt: 26. v. 8. docens, non omnes diſcipulos ob effuſum à Magdalenâ ungventum *indignatos*; ſed, ut Joan: 12. v. 4. dicitur, ſolum Iudam Iſcarioten; ſicut Matt: 27 v. 44. *latrones* dicuntur Chriſto *improperaſſe*, cùm Luc 23. v 39 unus tantum id fecerit; ita ſubdit. *Calvinus hoc concedit de latronibus; ſed Apoſtolis non ita benignus, ait, Omnes murmuraſſe. Vitia Apoſtolorum Chriſti notat, & libenter exaggerat, tum, vt novi Evangelij ſui Miniſtrorum excuſentur vitia; tum etiam vt inſerviat illi, cui Apoc. 13 v 6. à Dracone datum eſt os beſtiæ, loquens blaſphemias ad Deum ad tabernaculum eius, & in eos qui in cœlis habitant, & datum eſt ei bellum facere cùm Sanctis. Profectò ſi eſſet Calvinus genuinus Apoſtolorum filius, vtrorumq; cooperuiſſet nuditatem, ſi qua eſſet. Sed hoc factum eſt, ne quis ſeducatur, dum ex affectu facile ſit agnoſcere, cuius iſte ſit filius. Iudæ quidem traditoris, nòn aliorum Chriſti Apoſtolorum.*

918 Quod de Calvino Pitſeus dixit, dici poteſt de reliquis Prædicantibus; neq; illis minus apertum eſt os, εἰς βλασφημίαν πρὸς τὸν θεόν, καὶ τὴν σκηνὴν, αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ σκηνοῦντας *in blaſphemias ad Deum*, quem vel authorem peccati, vel alterius iniuſtitiæ reum faciunt; & *in tabernaculum eius*, quando Eccleſiam Chriſti variè criminantur; & *in eos* qui in

qui in cælo habitant; quando Sanctorum non modo in terris merita, verùm & gloriam ac pręmia in cœlo oppugnant.

DISQVISITIO XXIX.

Vtrum Regiomontani, alijq́ in Prußiâ, & Provincijs uicinis Prædicantes, Vbiquistis accensendi sint?

919. Etsi præsens causa, satis hactenus demonstrata sit; ne quid tamen homines istos, in aliorum causis nimium quantum acutos, lateat in suâ; aut ne, pro more, solem mero meridie lucere, negare ausint; suis hic, suorumq́; verbis, iudicantor; & pro rei æquitate, vel absolvuntor, vel damnantor.

PROPOSITIO. I.

Scripta, & libri in publicum dati, probant Regiomontanos Prædicantes esse Ubiquistas.

920. Satis erit Principum, totius Prædicantici in Prussiâ Regni, virorum testimonia audisse, videlicet *Ioannis Behmij*, *Aulæ Electoralis Brandeburgicæ*, ab annis circiter triginta tribus, *Ecclesiastæ*, publiciquè in Academia Theologiæ Professoris, & *Cælestini Mislentæ* eiusdē in Academiâ Collegæ, atq́; Vbiquistici Evangelij in Templo Cathedrali Tubicinis. Ac Behmij quidē cùm aliâs, tum potissimum Disq. 5. luculenta de περιχωρήσει Ubiquistica, audita sunt testimonia. Acipe hîc paucis

paucis lectos, uno loco (membr. 5 n. 3.) Ubiquisticos flores. Quia propter περιχώρησιν *Personalem*, πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, καὶ ἴδια ἀΐδια τοῦ λόγου *Carni realiter communicata sunt: Christus etiam juxta carnem, verè omnisciens est; habetquè independentem, verèque divinam, æternam, ac infinitam* τοῦ λόγου *scientiam: Est etiam verè omnipotens, proindè, etiam, vt Homo, opera veré divina facit: vt homo, peccata dimittit, in opere Redemptionis operatur, vt homo, virtute vere Divinâ, &c.* Ecce Ubiquisticam naturarum, idiomatum, operationumquè communicationem!

921. Quid veró Mislenta, imò quod cæteri, qui *Manuale Prutenicum* Mislentæ, (Opus decumanum, & ingentem illam *Dißertationem Proœmialem*, Disputationibus duodeviginti aggestam, si verba spectes, ipsa *Maisi Amazonide grandiorē*) de cōmuni Theologicæ facultatis consensu, pro more, censuerunt, & publicâ luce donarunt? Vel unica, *de Persona Christi* Disputatio, quæ quartum in ordine locum tenet (ut quintam, & sextam *de Officio Christi, & statu Exaltationis*, ne attingamus) plus satis in hanc causam adferet Igitur thesi 26. n. 4. *Quo*, inquit, *arctior est vnio, eò maior rerum vnitarum oritur præsentia, adeo vt natura* τοῦ λόγου *extra humanam: nec cogitari, nedum eße alicubi sine hac, salva vnione personali, poßit.* Declarat à simili περιχωρήσεως seu immeationis Divinarum inter se personarum Th. 29. n. 7. *Vnio*, inquit, *hypostatica, non est sine vera & reali communicatione hypostaseos, & naturarum, & proprietatum, & operationum Si quidem ad vnionem* κατὰ συνδύασιν *substantialem, rerum vnitarum* κοινωνία *requiritur, sine qua, ne cogitari quidem potest.*

922. Quæ sigillatim dum explicat, Thesi quidem 3. *Humanitati Christi, tribuit cooptationem in consortium*

Sanctis-

Sanctissimæ Trinitatis. Et Thesi 32. ait, *ex vi communicationis idiomatum, propria naturarum, etiam reciprocè communicari; ita, ut quicquid est per naturam proprium Filio Dei id omne, per, & propter vnionem hypostaticam prædicetur de Filio Mariæ; & contra, quicquid &c.* Thesi item 35. & 37. ait, *divinam Maiestatem, gloriam, omniscientiam, omnipræsentiam, & cultum adorationis, propter eandem vnionem hypostaticam aßignari Christo, secundum humanam naturam.* Similiter Thesi 38. dicit *Vtramq; naturam in Christo agere, quod sibi proprium est cùm communicatione alterius; ita vt Christ⁹, secundū vtram q; naturā exerceat actiones* θεανδρικάς *ex vi officij sui tū prophetici, tum Sacerdolalis, tū Regij.*

923. Deniquè Th. 48. Inter Hæreticos, hoc est à sua, Ubiquitariorumquè sententiâ discedentes, numerat etiam *Catholicos sive Pontificios*, cùm alijs de causis, tùm quòd *solam naturam humanam paßam fuiße doceant*, ut ait Thesi 49. Tùm etiam quòd opus Redemptionis evacuent. *Cùm enim* (ut Thesi 50. ait) λόγος *seu Filius Dei pro nobis non sit paßus, & mortuus, juxta sententiam adversariorum* (quòad Divinam naturam) *non etiam nos redemit: Ergò nondùm sumus redempti* Ecce Myslentam Behmij gemellum! imò Behmio, quoad mercium Vbiquisticarum nundinationem, multò etiam locupletiorem.

PROPOSITIO. II.

Totius Ministerij Regiomontani confessione, Prædicantes Regiomontani sunt Vbiquistæ.

924. Ne Mislentæ, plures de eadem tribu testes, sigillatim adiungere necesse sit, omnes totius Prussiæ Ministri publicâ confessione suâ faciunt. Cum enim sub æstatem Anni 1617. Dux Prussiæ, idemquè Elector Brādeburgensis Serenissimus *Ioannes Sigismundus,*

Fidei suæ, ad Calvini Regulam, propè κατὰ μέλλω tornatæ, Confessionem publicis typis evulgasset, Ministri Regiomontani, cæteriquè Lutheranæ *Vbiquitariæquè Dianæ Patres*, eam Confessionem publicò responso, cuius hic sæpè mentionem fecimus, sub hiemem eiusdem anni, cuso, refellendam susceperant. In eo pluribus locis Ubiquitariam illam *sive Dianam*, *sive Helenam*, non tantum oppugnari, verùm & opprimi à Calvinianis procis miserè quiritantur.

925. Inter cætera, ubi ad Calvinianæ, Lutheranæquè fidiculæ Antithesin, sub finem operis ventum est, In Artic VII. de Personâ Christi, inter alios suæ, ut vocant, Religionis Lutheranæ aphorismos, Calvinianis è diametro, contradictoriequè pugnantibus, hoc etiam opponunt *Personalis vnio duarum in Christo naturarum requirit, vt Divina natura Christi, extra humanam, post vnionem sit nusquam. Humanitas Christi in miraculorum Divinorum editione, cùm virtute Divina, realem habuit communionem, atquè ita* θεικῶς *cooperata est. Humanitas Christi, quæ in Deum aßumpta & exaltata est, in Persona Verbi, cùm Divina Omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia. veram & Realem communionem habet: ita vt dicere poßim, Humanitas in Persona Domini est omnipotens, omnisciens, omnipræsens Honor Religiosæ adorationis Christo, etiam secundùm Humanitatem competit: quemadmodum in historia Evangelica videmus, multos Hominem Christum, sive filium Davidis invocaße. Quicunq; aliter docet illum Arius in sua castra trahit.*

926. Item Artic. IX. de ascensione Christi ad cœlos secundum Vbiquitariorum Philosophiam ita argutantur *Cœlum, ad quod Christus ascendit. non est cœlum creatum, & locale, sed ipse Dei honor, maiestas; & gloria. Christus secundum Humanitatem non est supra, in locali aliquo cœlo inclusus, & à nobis absens; sed & secundum Humanitatem suam*

tem suam, nobis præsens est, juxta verissimam promissionem suam Matth, 16. & 28. Ioan 26 Sedere ad dexteram Dei, in hoc articulo, omnibus creaturis non absentem, sed præsentem, vnà cùm Deo dominari atquè imperare, declarat. Taliter enim Deus omnibus creaturis dominatur, & imperat. Christus secundum humanitatem ad dexteram Dei consedit. Vnde consequens est, Christum secundum humanitatem suam, cùm Deo omnibus creaturis dominari, & imperare non absentem, sed præsentem, pro modo Diuini imperij.

927. Eadem de causa, cap 4. pag. C. & sequentibus, extorquent à Serenissimo Principe; vt, si cùm suis, quemadmodum postulat, sub *Augustanæ Confessionis vmbra* quiescere uelit, ad mentem, sensumquè eiusdem Confessionis inter alia, *Credat* (ita enim scribunt) *Christum, quatenùs Homo est, ad dexteram Dei, juxta Humanitatem consedisse, omnibus creaturis æternùm dominari, easquè regere, non absentem, sed præsentem, juxta modum sessionis ad dexteram Dei* Ita isti non modò insaniunt, verùm & ipsi Principi suo, pro Prædicantica scilicet maiestate, insaniam Ubiquisticam *enter, potenter &c.* sed *minùs reuerentèr*, imperant.

PROPOSITIO III.

Regiomontani Prædicantes, à vicinis Calvinianis numero Ubiquistarum adiunguntur.

928. QUid hic *proletarij*, & reliqui de Calvini schola, *capite censi*, producantur? An non satis est, primos de Nobilitate Prutenica Viros, proximo an: 1641. Conventu, die 6 Martij, publica, cuius hic sæpè facta mentio, protestatione, loquentes audire! Pluribus id Disq. 22. egerunt; nunc in genere testabuntur. *Corpus Doctrinæ multa continere, non tantùm à Catholica*

tholica Religione, verum & ab Augustana Confessione alienissima, proinde & Privilegio Lublinensi contraria, in quibus haud dubiè, istud *de Ubiquitate commentum* censeri, Disq. 21 p 20 ostendimus.

929 Libernè Viris nobilissimis, adiungere Joan. Bergium, in Prussia & Marchia Calvinisticorũ sacrorum (quæ sanè vix quisquam mortalium ἀκάπνυς θυσίας *sacra sine fumo* vocet) summum præsidem, aut summo proximum? Verùm is alias (Disq. 22 prop. 6. disq. 23 prop. 1.) animi sui sensa explicuit; neq; quidquam videtur superesse, nisi ut manus operi jungat, & *quod verbo docuit, opere*, ut vulgo dici solet, exequatur.

PROPOSITIO. VI.

Prædicantes Regiomontani, Serenissimi Electoris ac Principis sui calculo condemnantur, & inter Ubiquitarios accensentur.

930. Fatentur id Prædicantes ipsi, in memorato suo ad Principis sui Confessionem Responso. Nàm duodecimo argumento, quo probant Principem Electorem ab Augustana Confessione recessisse, ita palàm scribunt p. D. 5. *Duodecimo, Primores Theologi Lutherani, in scripto Electorali; sarcasmis benè aculeatis infestantur, dùm odioso Ubiquitariorum nomine, non una, sed duabus vicibus notantur. Hoc enim probrosum illud nomen est, quo gens Calviniana fideles Doctores Lutheranos gravat, Flacianos eos, atq; Ubiquitarios appellitans.*

931. Fatentur insuper & octavo argumento, ubi ipsius Electoris verba, in Resolutione Electoratûs Brãdeburgici data accuratè notant, quæ ita habent. *Cum antea nullam aliam doctrinam edocti essemus, quàm Redemptorem, & Salvatorem nostrum Iesum Christum invisibili*

corpore

corpore eße præditum; quo omnibus in locis simul eße poßet; deprehendimus, nos magna illa consolatione (quæ inde nobis haurienda, quod Christus carnem nostram, absq; peccato tamen, assumpsit, inq; ea paßus, mortuus, & resurrexit, ad cœlos ascendit) privatum iri. Si enim Christus Corpus invisibile, & ubiquè præsens haberet, carnem nostram peccati labe infectam, non redemißet, sed tantùm duntaxat carnem, quæ invisibilis, & simul in locis omnibus præsens sit: qualem nos in nobis, quemadmodum & reliqui homines in sese, non habemus.

PROPOSITIO V.

Divinis quoq; signis ac prodigijs Ubiquistarum, aliorumq; in Prussiâ Prædicantum sectæ, quemadmodum & ipsi fatentur, prænunciatæ sunt, antequam essent.

932. Neq, novum, neq, insolens est, futuras in Ecclesia Christi hæreses longè ante divinitus prænunciari. Prius quàm Arrianorum furor è Tartaro erupisset, quidquid deinceps abominationis secuturum erat, tum S. Antonio Abbati, tùm verò etiã S. Petro Martyri, (quemadmodum in Actis Concilij I Nicæni ex S. Athanasio, Evagrio, alijsq; monumentis pag. 497. edit. Venetæ refertur) in visione diuinitus revelatum fuit.

933. Nam Antonius, cùm aliquando Serapioni Episcopo præsenti, ea quæ in Ægypto longè agebantur, narraret, secuta est lamentabilis visio, & omni lachrimarum fonte plangenda; ut ille inter singultus, & lachrimas exclamaret, *melius erat, ô filioli, impendens piaculum cita morte lucrari. Sic incipiens, rursus lachrimis victus, inter ægra suspiria, tandem pectori commodans vocem, magnum, inquit, quoddam, & universis seculis inauditum imminet nefas. Magno Fides Catholica turbine* subver-

subvertetur, & homines iumentis similes, Christi Sancta diripient. Vidi enim altare Domini, mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Nec mora, ut loco citato subiungitur, *Visionem sequitur effectus. Nam post annos duos, sæva Arrianorum erupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc Divinorum temeratio vasorum, &c. Proh scelus! horret animus replicare quæ gesta sunt. Virginum matronarumque ereptus pudor, sanguis ovium Christi, in Christi Templo effusus, veneranda respersit altaria: baptisterium pro voluntate gentilium pollutum est. Nihil defuit. Visionis veritatem probavit eventus, quod calcitrantium mulorum, indisciplinatorum Arianorum esset impietas.*

934. Jam verò S. Petrus Alexandrinus Episcopus & Martyr, cùm in carcere, à Maximino Tyranno positus, ab Achilla & Alexandro Presbyteris viseretur, &, ut Arium (qui pænitentiam nequissimè simulabat) ad Ecclesiæ unionem reciperet, rogaretur, *cum ingenti gemitu lachrimans ait, pro Ario me obsecrastis, dilectissimi fratres, qui sponsam Christi violare conatur? In hac horâ noctis, cùm ex consvetudine, Sacras Deo orationes offerrem, ecce subitò video apparere mihi, in habitu Pueri, Iesum Christum Dominum nostrum: qui indutus erat tunicam lineam candidam nimis, sed conscissam, à summo usque deorsum, quam ambabus manibus constringebat circa pectus suum, cooperiens quodamodo nuditatem suam. Quem cùm sic vidissem, cùm summo timore deprecans eum dixi, Domine, Domine, quid est hoc? Quare sic video tunicam tuam, à summo usquè deorsum conscissam? Qui respondit mihi: Quotidie ipsam tractas in Ecclesia, & nescis quomodo scissa est? Arrius mihi hanc scidit; quia separavit à me populum meum, quem mihi in hæreditatem acquisiveram per Crucis patibulum. &c.*

935. Poterant hæc eadem portenta, quibus Arriana quondam lues significata est, ad Lutheri, Calvini,

aliorumq; sectariorum hæreses, ac schismata, orbi præ-nuncianda sufficere. Quid enim sub istorum exortum, vel ad Tunicæ Christi scissionem, vel ad mulorum in altare Christi calcitrantium sævitiam defuit? ne ipse quidem Arius, si ab inferis emergeret, discernere satis posset, à se, an à Luthero, & id genus furijs, per orbem Christianum deinceps grassantibus, ea schismatum bellorumq; incendia nata sint?

936. Poterant igitur illa eadem portenta, quæ illam ab Ario Ecclesiæ, orbisquè calamitatem denunciarunt, etiam hanc á Luthero & Lutheri nepotibus satis denunciare; sed placuit Divinæ providentiæ, avorum quoq; nostrorum memoria exortam luem, congruis designare, &, antequam oriretur, denunciare prodigijs. Quæ cùm Florimundus Ræmundus, libri primi initio recenseat, nobis satis erit ea, quæ in Prussiâ contigere, paucis attingere.

937. Anno circiter 1508. *sub Friderico Misniæ Principe, & Generali Ord. Theut. in Prussia Magistro*, inquit Henneberg. in expl Tab, pag 35. *triticum purum à Præfecto Brandeburgensi, Ioanne de Gablentz, terræ mandatum fuit, quod cùm in herbam prorupißet, animadversum est maiorem partem in Allium degenerasse: cuius quidem Allij capita aliquot, Magistro Ordinis in Misniam vsq; mißa sunt.* Miracula cæteroqui Prædicantes vix admittunt, hoc tamen loco non possunt non admittere; ita ut Hennebergerus, prius quam rei seriem recitasset, expressis verbis titulum signarit, MIRACVLVM.

938. Et ne nobis duntaxat divinandi locus solis esset, jam olim alij, ipseq; adeo Hennebergerus, haud vanus augur vel aruspex, Ubiquistarum, aliorumq; in Prussiâ sectariorum, tam degeneres ab orthodoxâ fide, & virtute animos, quantum tritico distat allium, signatos aiebant. *Mali id ominis loco*, inquit Henneber-

sub Al-

sub Alberto Marchione Brandeburgico, qui Friderico successit, à quibusdam habitum. Ego autem puto; Evangelium quod hîc, sub Alberto Marchione prædicari cæpit, esse figuratum.

939. Rem acu tetigisti, etiam me judice, mi Hennebergere. Dicesnè etiam aliquid causæ, istius, Allium inter Evangeliumq́; vestrum affinitatis? *Fætet*, inquit ille, *Evangelium impijs; & nos quoq́; odor mortis in mortem ijsdem sumus* 1. *Cor.* 2. 16. *Et tamen Evangelium, præstans est contra animæ venena antidotum, contra errores & abominationes Papatus, &c. quemadmodum & allium contra alia venena, præservativa est.*

940. Non expendam, quibus Evangelium istud vestrum fæteat, aut quibus, tu cum tuis, odor mortis in mortem sis? pijs an impijs? Patebit enim Disq. seq. quàm fædum odorem ac Mephitim, cùm alibi, tum in Prussiâ, Evangelium istud vestrum, vosq́; ipsi inhalaritis. Neque magnopere repugnabo, si tu tuos magnificè iactes, allio isto contra Papatum obarmatos.

941. Lubens enim ego, volensq́; dabo; vos non modò obarmatos, verùm etiam, ut veteri dicto locus sit, *Allio pastos*, adeoq́, ἐσκοροδισμένους esse. *Iucundum enim est*, (ut jam tibi non meis sed Cælij, Rhodigini lib. 16. cap. 13. verbis, parabolam hanc edisseram) *quod observatum hac in parte non reticebimus: Gallinaceis mox compugnaturis, Allium in cibis obyci solitum, quo acrius decertent. Ex quo facetissimè in ueteri Comædia* ἐσκοροδισμένος *id est allio pastus; pro vehementi, ac nimis in pugnam proclivi dicitur.* Quid pugnacius omni Prædicantum natione? ne galli quidem gallinacei tam martios habent animos! Et mirum sit, Allium ijs in delicijs esse, quos Allio constat reddi pugnaciores?

942. Sed tu adhuc *antidotum & præservativam contra venena Allium dicis*. Etiam hic facile tibi assentior,

 quan-

quanquam possem emunctissimæ naris vatem, Horat. epod. od. 4. producere; qui tibi, *Allium cicuta nocentius*, affirmet. Sin & Ambrosium dicentem audire velis, vide, quid apud Rhodig lib. 4 cap. 14 scribat. *Mirum est, allio delectari homines, quod fugit leopardus. Nam sicubi parietes litu infecerit, exilit protinus, nec resistit Cuius venenata fera odore nō patitur. in mensam admittunt pleriq; ac internis infundere visceribus non desinunt!*

943. Ego tamen patiar Allium, non modò cibum, verum & medicamentum dici: sed (ut hinc quoquè Prædicantici indolem vilitatemq; Evangelij agnoscas) hominum, infimæ sordidissimæq; conditionis, ac sortis: ut jure Galenus lib. 11. Therapeut. Meth. τὰ σκόροδα τῶν ἀγροίκων θηριακὴν *Theriacam agrestium* a *rusticorum vocarit Allia*. Stilpon quoq; Philosophus, nullâ aliâ causâ, nisi extrema necessitate, ad Allij esum se adactum fassus est. *Cùm enim*, teste Rhodig, l. c. *apud Græcos lege cautum esset, uti qui allio vesceretur, sacrarium Matris Deûm ne ingrederetur, Stilponi, qui ea lege neglecta ingressus erat, oblata per quietem Deæ species fuit, coarguens quod legem exculcaret: cui ille respondit, Da, quo vescar, & Allijs abstinebo.*

944. Si quis igitur istud Prædicantici Evangelij Allium, cibi, aut etiam medicamenti loco habet, eum necesse est, vel natura, ingenio, atq; indole; vel certè institutione, præceptis, & moribus agrestem, & ad istam *rusticorum theriacam*, singulariter factum, fictumvè esse. Quibus enim generosior aliquantò est animus; vel quibus non deest, unde honestius vivant, nusquam se ad hanc ἐσκοροδισμένων scenam, nusquam ad Prædicantici mensam Evangelij abjecerint. Cæterum, uti apud veteres, teste Joanne Hartungo, Decuriâ 3. cap. 8. §. 2. ex Interpret: Aristoph. in Ramis, apud Janum Gruterum in Crit. *Pueri ingenui, & liberi alliorum cæparumq:*

rumq; caulibus cædebantur; ita hoc Prædicantici Evangelij Allio, etsi ingenui, liberi, liberalesquè orthodoxorum animi refici ac recreari non possint, possunt tamen cædi, flagellari, & ad coronam exerceri

945. Interim taceam, quod ijdem sic exerciti, magno adversarijs suis, usui commodoq; sint, quemadmodum & Allia florum quorundam propinquitate eximiè feruntur adiuvari. Tradunt enim peritissimi agricolarum, ut ait Cælius Rhodig l. 8. cap. 17. *Allium & cepas, bonitate præstare, si Rosis violisq; applantentur; quod in eas acrimonia, & quod olidum est, secernatur.* Unde Cœlius idem probè subdit. *Eodem ipsi modo, inimicum* (etiam hæreticum) *ex propinquo patiamur; quo feliciter agente. commoveamur exacuamurq; ac ita consurgamus, vt ex æmulatione connitamur pari industria perfungi.*

946 Atquè hæc, aliaq; quæ de Allio Evangelioquè Prædicantico, ex profana literatura dicuntur, illustrari Divinarum literarum monumentis singulariter possunt, Num. 11. 4. *Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens & flens, iunctis sibi pariter filijs Israel; & ait. Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriquè, & cepe, & Allia; anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Credas Prædicantes nostros, aut in populo illo, *ad vivum*, quod aiunt, adumbratos; aut certe populum illum studiose esse imitatos: ita vix ovum ovo similius sit.

947. Principio enim, qui de populo Jsräel flagrarunt desiderio carnium, cucumerum, peponum, Allij, & Ceparum, aliarumquè id genus Ægypti cupediarum *vulgus promiscuum*, sive, ut Tremellius ad marginem notat, *Colluvies* & fex, ac sentina populi erant; indigni prorsus, qui filiorum Jsräel populo, quo cùm de

Ægypto *aſcenderant*, accenſeantur; quippe, qui vel alienigenæ, &ut Tremellius vertit, *Convenarum turba*; ut Paginus & Vatablus, *exteri & advenæ, qui ſe populo Iſrael adiunxiſſent*. erant: vel, ſi ſanguine Jſraelem contingerent, vita, moribus, & incircumciſis animorum deſiderijs, ab illa Filiorum Dei indole, libertateque degeneres, recutitos magis Ægyptios, quàm Jſraelitas referebant. & quemadmodum Martinus Barrhai inComment. ad hunc locum notat *ſecundum terrenum hominem, concepta de cæleſti cibo nauſea, Allia Ægyptia cæleſti Mannæ præponebant, &c.*

948. Quo quidem etiam pacto, in omni Prædicantum populo, ad illud Evangelium, quod cepas & Allium duntaxat oboluit, initiato; vix eſt, quod ingenuum, liberalem, liberumq; animum, pectus, & indolem quæras. Et tamen iſti, ſive cupiditatum ſuarũ, ſive etiam populi Jſräel ſervi, ac mancipia, filios quoque Jſräel junctos ſibi habent. Tanta enim ad ſubvertendos etiam probos, exempli pravi vis eſt! Vid. Diſq. ſeq. prop. 17. Deinde illa ventris mancipia, quanquam Manna, hoc eſt, cœleſti illo cibo undiq; affluerent, (*pluit* quippe *illis Manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis: panem Angelorum manducavit homo, cibaria miſit eis in abundantiâ Pſal:* 77. 24. profanis ad carnes, pepones, cucumeres, porros, cepas, & allia deſiderijs exæſtuarunt; &, ut Regius vates canit, pſal. 105. 14. *Concupierunt concupiſcentiam in deſerto.*

949. Non ſecus iſti, cùm poſſint in caſtris filiorum Dei, Angelorum pane, & cæli delitijs affluere, ad cepas, allia, pepones, & huiuſmodi bellaria Ægypti anhelant. Illic cupedias, illic delicias inveniunt ſuas; ut in ipſo quoque Evangelio nihil, niſi allia, cepas, pepones, &c. ſomnient.

950. Vel hinc diſces, nuſquam iſtos, ex mente Pauli Eph

li Eph. 2. *Cives & domesticos Dei, super fundamenta Apostolorum & Prophetarum ædificatos, sed hospites & advenas*, exteros, & prorsum allophylos; neque inter filios, liberali indole, ingenioq́; natos, sed inter vulgus promiscuum, colluviem, fecem, sentinamvè populi censendos esse: vt non veriùs de ijs, qui sordido uterentur commeatu, quàm de istis, vetus illud σκόροδον ἐν δικτύοις *Allium in retibus*, usurpari possit.

951. Denique, cùm & Hennebergerus, ut vidimus, & alij fortassè Prędicantes Evangelio suo Allium obolente, & egregiè referente, ita magnopere gloriantur, quid aliud faciunt, quàm (quod à Galeno, proverbij loco quibusdam est) *Allio, & cepe nares extergunt*? Satis ad istam Evangelij Prædicantici vilitatem erat, quod Allium & cepas, & pepones redoleret: nunc, quando Allium, & in Allio Evangelium suum tanti faciunt, vix est dubitandum, quin (quemadmodum sacris Ægyptiorum eximiè initiari volueruut) cùm Ægyptijs Allia & cepas, Deûm loco, censeant & adorent: audiantque proinde illud, cùm Iuvenale, Sat 15. initio, aliquem sibi, occinentem.

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina!

Allium enim, ut ait Plin. lib. 19 cap. 6. *Cepasq́; inter Deos jureiurando habet Ægyptus* Hoc igitur tantum deest, ut agant. Quod si, pro sua scil. indole, agere renuant, satis erit nobis, quod tantopere hactenus, ut Disq. seq. illustrius patebit, *Allium oboluerunt*.

DISQVISITIO XXX.

An Vbiquitas Bullingeriana, in Prædicanticâ apud Prutenos, aliosq; populos Ecclesiâ, locum habeat?

952. QUæ de Ubiquitate Corporis Christi, moderni juxta ac veteres Lutheri in Scholis Magistelli comminiscuntur, ferè universa hactenus refutata sunt, Nihilnè igitur Prædicantibus, tanto studio obnitentibus, concedendum erit? Dabitur equidem illis hâc Disq. si non quod volunt, tamen aliquanto plus etiam quam volunt, aut velle debent.

PROPOSITIO. I.

Ubiquitas Bullingeriana, nihil aliud est, nisi omnium in Ecclesijs Prædicanticis vitiorum redundantia.

953. Si mihi ad Prædicantum mentem disputandum, & nudis verbis, ad eorum morem, allinendæ essent chartæ; multa mihi de data definitione, de genere & differentia definitionis; de subiecto, obiecto, adiunctis, coniunctis; cognatis, oppositis, antecedentibus, consequentibus, definiti dicenda essent. Multa item de causis, tum Efficiente, eaquè vel principali, vel impulsiva, intrinsecus, extrinsecusvè moventes: tum de materiali, formali, finali, &c. Hoc enim Mislenta, per omnes Collegij Prutenici Disputationes

tiones, hoc fere cæteri omnes agunt.

954. Ego, qui non modò Doctores, *eadem*, ut aiunt *chorda oberrantes*, vel *cramben recoquentes eandem*, invitus, & gravissimo cùm fastidio ausculto, verùm & in hoc disserendi genere minus exercitatum me, ac prorsus rudem fateor, adeoque eis deinceps esse velim, ad rem citra ambages aggrediar: ne, dùm per universales, & genericas abstractiones. τὸν κώνωπα διϋλίζω, τὴν κάμηλον καταπίνω, *culicem excolo, glutiam camelum*: præsertim cùm plerique hunc in morem, omnia minutissimas in partes dispescendo, & prorsus, ut vulgo dicitur τὰς κέγχρους τρυπῶντες ἢ ἀποτορνεύοντες, *grana milij terebrantes, aut torno exsculpentes*, omnia intelligendo, id agant, ut nihil intelligant.

955. Quod igitur ad Ubiquitatem Bullingerianam & assertionem nostram attinet, brevi narratione expediam. Henricus Bullingerus inter primos Calvini discipulos, non vile neque postremum nomen, cùm Brentio Ubiquistarum Achille, multis de Ubiquitate prælijs congressus, tandem eo libro, quem titulo *Repetitionis, & dilucidioris explicationis consensus, &c.* Anno 1564. Tiguri edidit, pag 57. quasi herbam adversario porrecturus, Vbiquitatem in hæc verba admittit.

956 *Qvando Brentius, omninò disserere vult de Vbiquitate, utinam placeret ei, alia ratione de ipsa disserere, vnde ad Ecclesiam uberior fructus promanaret. Nam ita diceret VBIQ; gentium in Ecclesia ingravescunt morbi varij & multi, VBIQ; enim ingravescit fastus, & superbia, VBIQ; ingravescit avaritia, vel vsura; VBIQ; ingravescit blasphemia, calumnia, & spurciloquentia; VBIQ; ingravescit ebrietas & crapula, VBIQ; ingravescit luxus, libido & incestus, VBIQ; deniq; ingravescit ira, cædes, contentio & invidia. Res itaq; poscit, vt VBIQ; ab omnibus, in primis verò Ministris Ecclesiæ cogitetur de medicina. Ideoquè*

omissis curiosis noxijsque de Vbiquitate Corporis Christi ad dexteram Patris, altercationibus, in hoc ero totus, ut consilio & auxilio juvem omnes Vbique Ecclesiæ Ministros fideles; quo Corpus Christi, quod VBIQ; gentium est (Ecclesia enim, quæ Corpus Christi in Scriptura nuncupatur, ad fines vsque terræ diffunditur) ab huiusmodi morbis ingravescentibus, doctrina innocentiæ & sanctimoniæ curetur. Hoc enim bonum & acceptum est coram Deo Servatore nostro, qui fædam illam abominatur impuritatem morum in Ecclesia.

957. Ecce! novam juxta ac veram in Ecclesia Prædicantum *Vbiquitatem*! quam Osee 4. 1. egregiè video adumbratam. *Non est enim Veritas, & non est Misericordia, & non est Scientia Dei in terra. Maledictum, & Mendacium, & Homicidium, & Furtum, & adulterium, inundaverunt; & sangvis sangvinem tetigit.* Quid enim aliud est: *Non esse veritatem, aut sciëntiam Dei in terra*: vel, ut Tremellius vertit, *Nullam esse fidem, nullam benignitatem, &c.* quam id, quod Bullingerus dicit, *VBIQ; gentium in Ecclesia Prædicantica ingravescit Blasphemia, Calumnia, & spurciloquentia?* Quid est *Maledictum & mendacium; & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt*; quàm quod idem subdit, VBIQ; in Ecclesia Prædicantum ingravescit Ebrietas, & crapula VBIQ; ingravescit ira, cædes, contentio, & invidia? Quid est, *sangvis sangvinem tetigit*; quàm UBIQ; ingravescit luxus, libido, & incestus, ut idem dicit: vel ut Gregor. hom. 11. in Ezech. *sangvis sangvinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos; adiunctis iniquitatibus anima cruentetur.* Denique quid est memorata, aliaque id genus scelera *inundavisse*, quam, uti Chald. & Vatabl. exponunt, *instar diluvij erupisse*; ac proinde quid est Bullingerianam in Ecclesijs Prædicantum UBIQVITATEM dari, quam *Omnium in Ecclesijs Prædicanticis, vitiorum redundantiam ac diluvium esse?* ID QUOD DEMONSTRANDUM ERAT.

PROP-

PROPOSITIO. II.

Ipsi superioris ævi hæresiarchæ, ac Prędicanticarum Ecclesiarum architectones, fatentur amplissimum in suis Ecclesijs Ubiquitati Bullingerianæ locum esse.

958. Vlricus Zvinglius, is qui Sacramentariorum, & Calvinistarum Patriarcha semper est habitus, (quæ enim ova Calvinus deinceps exclusit, Zvinglius pleraque posuit) tomo 1 pag. 115. *teste Leon. Lessio in fine append. Consult.* suo suorumque Symmystarum nomine, literas exaravit; quibus, ut facinora, & libidines in primis suas, Apostoli Pauli authoritate excusaret, nō potuit sua, suorumque flagitia palam non accusare. *Apud Paulum*, inquit, *non aliam matrimoniorum causam, quam carnis ac libidinis æstum, reperire licet; quem in nobis feruere, negare non possumus, cùm Huius Opera, Nos coram Ecclesijs Infames reddiderint.*

959. Si quis Catholicorum Zvinglium æstu libidinis furentem: aut Calvinum, à Sodomæ ignibus, stigmate adhuc fumantem: aut Bezam non modo de Cynthiæ verùm & de Audebertuli (quod Christianę aures vix ferant) complexibus, ita, uti carmina eius personant, hinnientem: aut Lutherum, proculcato omni pudore atque honesto, fractisque votorum omnium repagulis, ad sacrilegas, Vestalis suæ nuptias convolantem, atque intra sacrilegos thoros animam denique efflantem, INFAMES dicat, Convitium! Convitium! subito inclamatis! Ecce! vox eadem ab hominis Evangelici, imò Evangelicorum omnium Patriarchæ ore, hic proficiscitur! jamne tandem creditis, & Zvinglium, & cæteros maiores vestros, vel ob sola *libidinis opera Infames coram Ecclesijs fuisse?*

An vul-

960. An vultis idipsum, amplius etiam à Zvinglio confirmari? Faciet ille, & quidem Leone Judâ, Erasmo Fabricio, & Balthasaro Tracselio suffraganeibus. Omnes enim isti scriptam nomine ac manu suâ, ad Episcopum Constantien. supplicationem, cùm exhiberent, fassi ingenuè sunt, *se tam valde arsisse, vt multa indecorè gesserint, homines quadragenarij*. Sat indecore, quia non sine manifesto furore; ut primâ illâ Epistola fatetur Zvinglius. Sic enim teste Lessio pergit, *Æstum libidinis, eas carnis cupiditates & affectus intelligimus; quibus homo, tantum non accensus, carnis libidinosæ studia animo suo versat; in his solis omnes cogitationes suas insumit, hæc meditatur, totusque in hoc est, ut carnis furori satisfaciat.*

961. Atque hunc in modum, de se suisque Zvinglius, quantum ad Bullingerianam, Ubiquitatem, & vitiorum omnium in Ecclesijs Prædicanticis regnum, vel potius diluvium attinet. Quid Calvinus, Zvinglij successor, & plane *discipulus supra magistrum*? Producet illum Barclaius Parænes. lib. 1 c 4. *Calvinus, in c. 12. Daniel. v 34. In exiguo illorum numero, qui sese ab idololatrijs Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidiæ & dolis. Præclarum quidem Zelum simulant, si tamen intus excutias, reperies plenos esse fraudibus.* Consonat hic Calvino, Calvini discipulus Pareus, qui ad illud Isai. 52. & Rom. 2. 24. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes*, apud Contzen ita subiungit. *Nos cogitemus, hæc ita in Iudęos dici, vt in nos maxime competant, qui Christiani, Evangelici, orthodoxi cognominamur. Audiunt hæc Papistæ, & Iesumanitæ, sed vident mores professioni parū congruos, imò contrarios: plerosq; vitam agere impuram, lucris, fraudibus, imposturis incumbere, &c.*

962. Videtur Pareus, ad ipsius Calvini mentem, cum hæc scriberet, respexisse. Nam & ille, l. 4. c. 1. § 3. eam suorum vitam fatetur, ut inde, nil nisi scandala, & alie-

& alienarum vulnera conscientiarum sequantur. Sic enim scribit. *Alij dum apud eos quibus Evangelium nunciatur, ejus doctrinæ non respondere vitæ fructum vident, nullam illic esse ecclesiam statim judicant. Iustissima quidem est offensio, & cui plus satis occasionis, hoc miserrimo seculo præbemus. Nec excusare licet maledictam nostram ignaviem, quam dominus impunitam non sinet, ut jam gravibus flagellis castigare incipit. Væ ergò nobis, qui tam dissoluta flagitiorum licentia committimus, ut propter nos vulnerentur imbecilles conscientiæ!* Velim hæc, à Pareo, Caluinoq; illi potissimũ audiat, qui oculos pravis Catholicorũ quorundam moribus, præsertim verò Ecclesiasticorum, ita saucios habent, ut ne doctrinæ quidem æquitatem, respicere æquo animo possint. Quibus cum lis nobis prop 17. seq erit; interim audiendũ Lutheri de se, suisque oraculum.

963. Quid igitur Lutherus? Joan. Spangenbergius, non humile inter Lutheri posteros nomen, *lib. de beneficiis Germaniæ per Lutherum præstitis* apud Hadrianum Jungium, in Synopsi, de doctrina & moribus Evang: li. 2 cap 22. referet. *Posteaquam admirabili quadam, & singulari Dei gratia, Antichristianismi sive Papatus horenda mendacia, ac doli deceptionesq; manifestatæ sunt, incipiunt jam homines nihil credere. Et posteaquã à vinculis, Papatus se liberos esse vident, volunt etiam esse liberi, & soluti ab Evangelio, & præceptis DEi. Et volunt, ut deinceps rectum sit & justum, quidquid unicuiq; visum fuerit &c &c.*

964. Quàm hæc vera sint, vel ipsius jam Lutheri oracula, & quidem de Cathedrâ, vid. Dom. 1. Adventus in Postilla ipsius Lutheri, Concione. 2. fusa docebunt. Sic enim magnus ille, & vel hic tandem verus prophetes. *Mundus ex hac doctrina,* quam ipse cum Prædicantum aliorum choro, orbi Christiano propinavit, *quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis diabolis*

diabolis possidentur, cùm antea, in Papatu, *unico tantùm diabolo obsessi fuissent. Diabolus jam catervatim in homines ingreditur; ut nunc in tam splendida Evangelii luce, multò sint avariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, multò deniq; deteriores, quàm prius in Papatu.*

965. *Alio loco,* (ut scribit Hosius Tomo. 1. pag. 492,) *idem Lutherus suos increpans, dicit eos decies Sodomitis esse peiores.* Sed, & in Colloquiis, cap 22, quod inscribitur *de Prædicantibus.* Pag 221. a. *Olim, inquit, inter Papistas horrenda erant vocabula Iustitia, DEI Veritas Misericordia: nunc in Epicureismo & belluina ista vita* (hoc enim Sgnificat ein Sewleben) *minæ minimè curantur* &c. *Olim Principes & Domini coram Monacho, pediculis obsito, & quovis sacrifico tremebant, nunc quivis etiã pagus pro libitu, Prædicantem deponit. Et quid tandem agendum?*

966. Quæ porrò de Epicureismo dixit, ita confirmat eadem pag. *Discipuli nostri, majorem partem sunt Epicuræi: conciones nostras suo judicio metiuntur, & ducunt in bonis dies.* Et mox: *Nobiles, cives, & rustici nostri audiunt nos & credunt nobis; quod vero, quæ cuivis libent, faciant,* inde *est, quod Epicuræi maneant.* Et pag. 220. b. *Admonitoriæ, proh dolor! conciones* aiebat Lutherus, *raræ nimis sunt: scelera interim & omnis licentia ita radices egerunt, & in dies augentur, ut nemo Pędicans reprehendere ausit &c.* Etsi verò idpsum, quod Lutherus hic de se, suisq; testatur, experientiâ quoq; ipsa constet, juvabit tamen aliorum quoq;, Lutheri Caluiniq; discipulorum sententias in eadem causâ audire.

PROPOSITIO III.

Alij quoq; Prædicantes, Bullingerianæ Vbiquitati locum apud se suosq;, facilè concedunt.

966. NImium nos tenerent, si omnes ad dicendã hoc loco sententiam admitterentur. Tantum igitur

tur admittentur, qui post Lutherum & Calvinum, primas in Ecclesiâ prædicanticà tenuerunt: quales omnium judicio fuerunt Melanthon, Bucerus, Smidelinus, Brentius. Ac Melanthon quidem, in cap 6. & 7. Matthæi, Ventris ingluviem & quæ eam consequũtur, apud suos vitia, non paucis perstringit. Cùm enim dixisset, *Eam in populo barbariem esse, ut plerisq; persvasum sit, si unũ diem jejuni sint, noctem omnino sequentem non posse vivere*, subdit inter alia, *Alii Homerico Grillo similes, qui a Circe in porcum mutatus, recipere hominis figuram noluit: adeo delectantur immunditie, sordibus, & illuvie; ut in morem lutulenti suis, quaslibet res, panem, carnes, cerevisiam, & id genus alia corrumpere & contaminare soleant.*

968. Ne porro nesciremus, quo pacto ab istis non jam Homericis, sed Prædicanticis Grillis, *panes, carnes, aliæque res corrumpantur*, præsertim quando, ut ibidem Philippus aiebat, *omne studium ebrietati, & conviviorum apparatibus, immanibusquè poculis impenditur*; vicina nos è Prussiâ exempla docebunt; unum duntaxat memorabo. Sub exitum Anni 1543. in Ducatu Prussiæ, dies funeri, nobilissimi cum sua conjuge viri dicta, pro vetere more & officio, non paucos evocavit, &, more jam olim illic recepto, accepit. Jllud tamen, ut mihi videtur, præter morem fuit, (quis enim credat, homines ingenuos, & quasi in publica patriæ luce positos, eo more solitos esse ita insanire?) quod, ubi ebrietate, immanibusque poculis certari est cæptum, vir genere dignitateq; inter suos, atq; utinam etiam prudentia! non postremus, sumpto ingenti poculo (quod congium Romanum prope superaret) vinum, mulsum, cerevisiam, mel, & carnium, piscium, aliorumq; ciborum varia jura, garumq; una confundit, miscet; atq; ita Soteriam conviviis omnibus, propinat in orbem.

969 Satis erat mali, virum tantæ notæ, immemorem fuisse illius inter Symposia præcepti ἀπωδάκωτον

τῷ δ' τραπεζοῦται κύλιξ.

Fundo carens mensis non infertur calix:
at ille malum malo geminavit, ut tanto maiorem notæ suæ inureret notam. Et quia ipse congium totum strenuè hauserat, hauriendus fuit cęteris quoq; vel invitis. Possunt enim, imó debent homines isti (qui præcepta, qui ritus Ecclesiæ, ac Dei servare non possunt, ne quid aqualiculo scilicet suo, aut cuti ægrius accidat) hominum imperiis omnia, etiamsi animæ corporisq; saluti adversa, exhaurire, atq; exsorbere. Factum proinde est, vt soteria illa, quam salutis causâ propinatam oportuit, quia ad Evangelij Prædicantici rationes ac regulas temperata fuit, alios quidem in Grillos Homericos, vel potius Prædicanticos, alios verò etiam in cadavera propè mutarit. Nequè enim defuerunt, qui letali inde morbo, perstricti, propè animam egerint.

970. Quæ quidem hoc loco memorare par fuit, non modo vt Melanthoni dicenti maior esset fides, verùm etiam ut novi isti Grilli ab insanâ ista, ac prorsum belluina commessandi intemperie, sibi aliquando temperent. Quâ etiam de causâ, parsum est nominibus & famæ eorum, ut, sciant, vitia apud nos, non homines vapulare. Etsi homines quoquè, quibus ita palàm improbis esse libet, palam vapulare jus fasq; semper est, ac fuit. Nisi fortè Luthero quoq; suo, id ademptum velint: qui tamen tomo 7. Wittemb. pag. 162. & seq. etiam nobilibus minimè parcit. *Diabolicam enim* dicit prorsus esse *malitiam* (vid. inter suos) *atquè odium, quibus neq; in historijs gentilium simile quid invenias; invenies tamen ibi, atque apud eos, apud quos Verbum Christi* (secundum Lutheri Evangelium) *prædicatur. Quos quidem necesse est meros diabolos fieri; multò deteriores quã omnes Ethnici. Ea verò malitia, in Nobilibus, civibus, & rusticis invenitur: qui ante* (in Papatu) *vti homines, multò erant*

erant modestiores: nunc verò planè sunt insani & amentes, non secus ac meri Diaboli.

971. Cæterùm Melanchtoni Luthero-Calviniano (constat enim hominē, vel ad Calvinistas omnino defecisse, vel hermaphroditum, hoc est, ex Lutheranâ juxta ac Calviniana lerna, monstri instar compositum obiisse) qui primas ubique Lutheranis præripiunt, succedere hoc loco debent Calviniani: sed Erasmus Roterodamus, quasi jure suo postulat, ut qui multo etiam magis quam Melanchton, juxta Chiliadas suas ἀναπαζιάζειν καὶ ἀμφαξονεῖν, vel potius (ut de Cicerone Liberius Mimus apud Macrobium inquit *duabus sellis sedere*, esset solitus, Melanthoni proximus hoc loco succedat.

972. Impetrabit id, eo quoque Erasmus, quod a Magno Hosio tomo. 1 pag. 491. & a Tannero Demonst. 8. Anatomiæ §. 2. Brentio testis ex adverso statuatur. *Vos*, inquit Erasmus epist. in Pseudoevang. *strenuè clamatis in luxum sacerdotum, in ambitionem Episcoporum, in tyrannidem Rom. Pontificis &c. At, quid interim nobis profertis melius, & Evangelio dignius? Circumspice populum istum Evangelicum: & observa: num minus illic indulgetur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm fecerunt hi, quos detestamini. Profer mihi, quem istud Evangelium ex commessatore sobriū ex feroci mansvetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.* &c. *Nunquam eorum Ecclesias sum ingressus. sed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo afflatos spiritu; vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præ se ferentibus! Sic opinor, discedunt milites, a concione duce ad prælium exhortati Quis unquam vidit in eorum concionibus quenquā fundentem lacrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem?*

973. Et infra. *Circumspice mihi sodalitatem istam*

Evangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames! Et hos habent etiam in deliciis, tantum abest ut vitent! &c. Paria sunt, quæ ex eadem Epist. inConfess. Petricou cap. 54 idem Hosius hunc in modum citat. *Iste populus tam Evangelicus etiam Turcarum Principi dicitur esse detestabilis: quem ait seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat? quoties, quàm levibus de causis procurrit ad arma? Ne suis quidem Ecclesiasticis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus; profligandi etiam si in vitam eorum liberius invehantur, aut ab opinione dissentiant.*

974. Atque hæc, aliaq; plura, ab Hosio ll. cc. & alibi sæpius adducta, in ipso novi istius Evangelij exortu notavit Erasmus, qui Anno 1536 extinctus est; quanta consequentibus deinceps annis (quando & vires sectariorũ, & unà, per impunitatem scelerum, in horas crevit licentia peccandi) idem Erasmus aliusvè notasset? præsertim, cùm, ne ipsi, quidem Prædicantes, dissimulare aut perferre, immania suorum facinora possent, quin stylo, & publicà detestatione configerent? Audi enim jam vel unicum è Caluini schola Bucerum lib. 1. de Regno Christi cap. 4. referente Jungio lib. 2 c. 22. *Maxima Evangelicorum pars,* inquit ille, *visa est id tantum ex Evangelio Christi petiisse ut jugum qualiscunque disciplinæ, pænitentiæ, & religonis (quæ, in Papatu reliqua fuit,) abijcerent; proque carnis suæ arbitrio ac libidine, instituerent, agerentque omnia.* &c.

975. Bucero adjungam Paulum Eberum, Lutheri ac Philippi in Schola Vitembergensi successorem; qui in Præfat. comment. Philippi super Epist. ad Corinth. cùm Prædicantum doctorumque vitia, de quibus n. 900. percensuisset, *Rursus* inquit *si ad auditores oculos convertas, videbis Religionis & libertatis Christianæ*

stianæ abusum, disciplinæ laxationem, effrenem contumaciā juventutis, & aliorum uitiorum segetem in dies uberrimè succrescentem. Quæ mala intuens, non potest non vehementer animo percelli, & interdum quaßari fluctibus dubitationum, ambigens, an hic cætus possit esse Ecclesia in quo tantum sit distractionum, confusionum, & enormium vitiorum?

976. Quid vero Andreas Musculus apud Marchiacos, Saxonicæ fidicen lyræ? In lib de Prophetiâ Christi, teste Adriano Iungio lib, 2, c. 12. pag. 190. *Nusquam* ait, *ne quidem apud Ethnicos & Turcas. tantam inveniri barbariem, quantam apud Evangelicos* Et in libro de noviss. die pag. 78. apud Roestium pag. 176. *Quod si*, inquit *quemadmodum cogimur. veritatem fateri velimus; iam hoc de nobis Evangelicis testari cogimur, magis quàm nos gulosos, scortationibus, usuris, circumventionibus. fraudibusq; deditos, in toto jam mundo nusquam inveniri.* Et concione 1 Advent *si quis* inquit, *videre volet, ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, fornicatorum; civitatem aliquam adeat, in qua Evangelium pure prædicatur. Catervatim tales ibi reperiet.*

977. Quid Ioannes Vigandus? Anno 1566. De Bonis & malis Germaniæ, hoc est, de fructibus novi Prædicantum Evangelij, librum edidit. Et cuperet ille quidem, bona malis uberiora atque ampliora proferre, (quid enim ab eo promittebatur aliud sperabaturque Evangelio?) sed enim secus cecidit. Nam cum bona pauca admodum, nec nisi fuco sublita, invenerit, malorum interim seges, teste Adamo Tannero demonst, 8. §. 3. Anatomiæ, & Surio in Comment. pag 662. 669. immensum excrevit. Inter alia, pag 664. sic ait. *Blasphemare veritatem, ignominia afficere Ministros Verbi, rapere Ecclesiastica bona, scortari, inebriari, rapere usuras exercere, homicidia aliaque innumera peccata, eo magis inualescunt, quia libertatem crescendi habent.* Et pag 670 *Lu-*

xuria, inquit, *omnes verecundiæ fines perrupit, atque ex-cessit*; *& inter summos, mediocres, infimos excrescit* &c

978 Quid, ut cæteros omittam, Vbiquitatis protoparens Smidelinus de suis? Concione 4. de terrenis planetis quemadmodum a Iungio lib. 1. c. 8 & Tannero Demonstr. 8. Anat. § 3 producitur, ita scribit, *Altera pars Germanorum, suum quidem locum Verbo DEi, ut prædicetur, tribuit; nulla verò interim sentitur in eis morum emendatio: sed horrenda, Epicurea, animalis, & belluina eorum vita, cernitur in commessationibus, compotationibus, pompis, blasphemiis &c: Atque, ut totus mundus agnoscat, eos Papistas non esse, nec bonis operibus quidquam fidere, nullum penitus bonorum operum exercent Iejunij loco, commessationibus & perpotationibus nocte dieque vacant. Vbi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt & excoriant. Precationes vertunt in juramenta, blasphemias, & divini nominis execrationes: idque tam perdite, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demũ pro humilitate regnat passim apud illos superbia, fastus, elatio, luxus vestium, quæ aut sumptuosissimè, aut etiam stultissimè sint elaboratæ. Atque hoc universum vitæ genus ab illis Evangelicum dicitur institutum. Interim sibi homines miserrimi persuadent, rectam se, veramque in Deum fidem retinere, & Deum sibi propitium esse &c.*

979 Quid huic Smidelini hypotyposi addi possit luculentius? Cui, ne quis fidem derogare possit, ipse Joan. Brentius, Smidelini & omnium Vbiquistarum Magister, calculo authoritateque suâ accedit. Dicit enim homil. 35 in 20. Luc. suos, ita vitæ hujus voluptatibus esse immersos, ut ne animæ quidem immortalitatem, aut futuram resurrectionem credant. *Etsi enim*, inquit ille, *nulla apud nos publica confessio aut doctrina sit, quæ tradat animam simul cum corpore mori; aut nullam mortuorum resurrectionem esse: satis tamen id docet ac demonstrat, supra*

modum

modum impura & impia, quam major pars nostrorum agit, vita, quod post hanc vitam nihil aliud credant. Sunt etiam nõ pauci, qui id ebrij juxta ac sobrij familiari interdum colloquio minime diffitentur. Et in cap. 3. Matth. apud Tannerum l. c. *Tanta* inquit, *est morum corruptio his temporibus, & tantum studium injustitiæ, ut nullam videamur habere occasionem confidendi bonis operibus. Quid enim confidas his, quibus cares?*

PROPOSITIO. IV.

Non tantum plebs, & promiscuum vulgus, verùm & ipsi Prædicantes, & summi quiquè Evangelij quinti Antistites, Bullingerianam Ubiquitatem obvijs vlnis admittunt.

980. Docent id, ipsorum etiam Prædicantum, cum de adversarijs, tum de domesticis quoque fidei, dudum edita testimonia. Synopsis Adriani Jungij, quæ vel Lutherani de Calvinianis censuerint lib. 2. cap. 22. pag. 235 lib. 3. c. 20. pag. 411: vel Calviniani de Lutheranis lib. 1. cap. 9. pag. 58. & alijs locis, cumulatè dabit. Nos hic audiemus, quæ tum Lutherani, tum Calviniani de semetipsis, afferant. Sebastianus Castellio, de Calvini scholâ progressus, & ad promovendam Calviniani Evangelij sementem Biblia novo studio ex Hebræo interpretatus; adeoque ab ipso Calvino ad munus pastorale designatus; quanquam deinceps, vt Basileenses, in Epigrammate ipsius Biblijs præfixo, canunt

Lemano cælo invisus,
Rauraco maximè gratus,

in Epistola ad Calvinum ita scribit. *Dicunt te, Calvine, & tuos discipulos, ferre multos fructus Dei tui. Esse enim plerosquè litigatores, vindictæ cupidos, immisericordes superbos, immites, invidos, sanguinarios; calumniatores,*

 sedi-

seditiosos, contentiosos, avaros, voluptatis magis quàm Dei amantes, cæterisq. vitijs, quæ Deus tuus suggerit, præditos.

981. Et in lib. de Calumnia. cap. 16 apud Jungium lib. 2. cap. 22. Prædicantes Calvinianos Pharisæis egregiè comparando, *Conferamus*, inquit, *nunc nostros; inveniemus simillimos. Certè avaros esse, & voluptatibus deditos, & supra mortales omnes ambitiosos, notius vulgò est, quàm vt multis verbis opus sit, &c. Si quis, eorum conciones aut sacramenta parum diligenter frequentat; si doctores interdum inscitiæ damnat, etiamsi verè id faciat; aut, si eos parum diligenter visit, & colit; aut si cùm eorum adversarijs colloquitur; is putre Christi membrum judicatur, tanquam qui in Spiritum S. peccaverit. At, si quis avarus est, scurra, mendax, aßentator, maledicus, gloriosus; modò in illis non peccet, quæ modo enumeravimus; presertim si Magistros nostros colat, & sæpè conuivijs excipiat; is fidelis, is electus, is Christi membrum habetur, &c.*

982. Ne verò aut odio, aut partium studio, videatur ea de suis enunciare, propè juramento quæ attulit, ita firmat. *Sed, ego te, ô æterna Dei filia veritas, testor, hæc ita esse, & hæc me certò scire; id quod mihi facilè confitebitur, qui illos noverit.* Deinde, profert librum à Calvinistis, de vitâ moribusq; Prædicantum editum, in quo vitiâ quædam, privatione officij puniuntur; alia verò tolerantur, ut *scurrilitas, adulatio, mendacium, obscænitas, fraus, avaritia, joci, scommata &c.*

983. Fortaſſe Castallione purior aliquanto Calvinista fuit, Henricus Bullingerus Zvinglij succeſſor. Quid igitur de suis Evangelicis Bullingerus? Posteaquam in cap. 20. Matth. docuiſſet *Magistatum hodie ex Evangelio quærere dispensationem, utinam non direptionem bonorũ Ecclesiasticorum*, de Prædicantibus ita pergit: *Concienatores quoque ipsi, prædicatione Evangelij venantur honores*

res, opes, vulgi favorem, & gloriam hujus seculi At promiscua plebs (quo alio, quam Prædicantum suorum exemplo docta?) *sperat, se in libertate Evangelica reperturam, quod decimas & census nullo jure divino pendat.*

984. Sed ipso quoque Bullingero, quo magis Calvinista fuit Calvinus ipse, eo quoque exactius Calvinisticorum Prædicantum mores in libro de scandalis pag. 65. referente Jungio lib 2 c. 22. depinxit. Cum enim in Pastorum, symmystarumque suorum mores, accuratius prospexisset, *Alij*, inquit, *benignè hospitio excepti, vel Furto onusti* (ecce prima virtus Prædicantum!) *clam abeunt: vel aliis modis hospites defraudant: vel* (quæ secunda virtus est) *solicitant ad stuprum ancillas, ac interdum etiam uxores tentare audent: Alii* (ecce Tertia, quarta, & ceteræ eorundem virtutes!) *ad captandum miri artifices, nudatos relinquũt, quibus aureos montes pollicebantur Alij in mutuo fallunt: alii abnuunt depositum: alij in societate perfidi. Alij, quã eleemosynæ nomine pecuniam, a bonis frugique hominibus abstulerunt, vel in scortationem consumunt, vel in aleam, vel profusos alius luxus. Alij quod ad iuuandam eorum industriam mutuo datum fuerat, heluantur in otio. Alij conjugium, deceptis uxoribus & abjectis liberis, violare non dubitant. Plura sunt ejusmodi facinorum exempla, quàm quibus recitandis brevis catalogus sufficiat Fieri certe non potest, quin grave acerbumque ingenuis animis uulnus, infligat istorum hominum perfidia: præsertim verò consternari bonos viros necesse est, qui cum tenue haberent peculium, Evangelij prætextu non secus, ac si in prædonum manus incidissent spoliatos se vident, atque ad inopiam redactos*

985. Neque aliud est Lutheri, Lutheranorumque de suorum virtutibus symmystarum judicium. Lutherus comment. 2, ad Galat in c. 1. cum dixisset *Nunc cùm tam magno incremento Verbi, non infeliciter sit repurgata doctrina pietatis, plerosque ex Discipulis fieri contemptores*,

 qui

Qui etiam omnes bonas literas & liberales artes oderunt, fiuntque plane PORCI ET VENTRES *: digni certe, qui* ἀνοήτοις *Galatis conferantur.* Tandem ad cap. 5. referente Tannero demonst. 8. Anatomiæ § 2. ait. *Libertatem Evangelij, ita a suis transferri in occasionem,* vel potius licentiam *carnis; ut præ rei indignitate sæpè optarit, ejusmodi* PORCOS (intra caulas Prædicanticæ Ecclesiæ stabulantes) *qui margaritas pedibus conculcant, adhuc esse sub tyrannide Papæ. Impossibile enim est, hunc* POPVLVM GOMORRHÆ, *Evangelio pacis regi.*

986. Ac, ne putes ipsos cætera plebe sanctiores esse Prædicantes, audi quid subjungat. *Deinde nos ipsi, qui docemus verbum, non tanta diligentia & ardore, jam in luce veritatis, facimus nostrum officium, ut prius in tenebris ignorantiæ illud fecimus.* Quàm igitur impudens tuum, tuorumque mendacium est, in Tenebris Papatus neglectum penitus fuisse Verbum; cum majore etiam diligentiâ, vestro circa Verbum officio functi sitis? Sed perge, uti cæpisti *Quo enim lætiores sumus de libertate illa, a Christo nobis parta, hoc rigidiores, & segniores sumus, ad tractandum Verbum, orandum, benè operandum, ad mala ferenda &c.*

487 Atque hinc illud ejusdem Lutheri stratagema natum, in mens. Colloquiis cap. 22. pag. 219. edit. Francofordien. An. 1572. Cùm enim publicum suorum odium, quo Prædicantes ob inquinatissimos mores vulgo ardebant, restinguere aliter non posset, vide, quo pacto ad Cathedram Mosis, quo tamen perfugium nullum Catholicis esse voluit, ipse recurrat! *Ah domini mei,* inquit ille ad fratres suos; *persistamus tantùm in Verbo, ut super Cathedram Mosis sedeamus. Quanquam enim vita, non usquequaque ad amussim exacta sit, propitius est Deus, & patientiam habet nobiscum, potestque connivere; dumodò præsumptione non peccemus.*

988. Philippum Melancthonem si in [Epistolis à Peucero

Peucero editis, de suorum moribus Prædicantum querentem audiamus, longo nobis otio opus sit. Vel una ad Camerarium Epistola, quales ille Ministellorum mores, in suâ illa Anni 1527. Visitatione, jussu Saxonis Electoris susceptâ, invenerit, docebit. *Inventi passim* (Vlembergius in Vita Melanch. c. 4. p. 29.) *qui Pastorum munere fungebantur. homines inepti, & improbi ab ingenio; futiles & perjurio infames Apostatæ; quorum tribunitiis vociferationibus, perstrepebant cathedræ; nec aliud ferè quàm sannæ convitia, tonitrua in Pontificem, in Episcopos, in Papistas audiebantur, ut genuinos Lutheri discipulos*, ad nulla magis, quàm ad convitiorum & criminationum topica politos, *agnosceres.*

989. QuidMelanchton vitiorum, a Prædicantum vitâ alienum negaret, qui sibi, ceterisquè Prædicantibus nullam virtutem, sed voluptatem, ambitionem, & avaritiam, quasi triplicem scopum ob oculos positum fatebatur? *Factum enim aliquando est*, quod in colloquiis Lutheri cap. 22. pag. 222. b. scriptum est, *ut Pastori Isenacensium de sua paupertate quiritanti, responderet Philippus; Patientia, mi Domine, aliquantum opus est. Hactenus enim decertavimus ob sacerdotum conjugium*, (sacrilegi Apostatæ caninas, nuptias & carnis licentiam conjugij nomine velant) *quod cùm simus consecuti, de honore & dignitate decertabimus*: Tandem *etiam de opibùs erit nobis decertandum.*

990. Succedat hic, uti quondam Vittembergæ in scholâ & cathedrâ Melanchtoni successit Paulus Eberus. *Tot, & tantis confusionibus*, inquit ille præfatione in Comment. Philip. ad Corinth. apud Jungium lib. 1. cap. 1. *& scandalis deformatur cætus* Evangelicorum fratrum, *ut nihil videatur minus esse, quàm quod profitetur.* Nam *si ad docentes* (quo titulo potissimum gaudent Prædicantes) *respicias, videas quosdam* 1. *uel. Ambitione, vel curiositate,*

 doctri-

doctrinam corrumpere, & falsam doctrinam audacter spargere aut pertinaciter tueri: Aliquos non necessaria certamina fovere implacabilibus odiis; 2. Aliquos religionem inflectere, & fingere ad nutum & cupiditates vel dominorum, vel cætuum, quorum gratiam pluris faciunt quam veritatis propagationem, 4. Aliquos verò universum id, quod vera docendo extruxerunt, morum LICENTIA ET TVRPITVDINE VITÆ *rursus destruere. Isti nævi* (quæ enim in inCatholicorum vitâ carcinomata aut vulnera dicuntur, inter eximias Prædicantum virtutes, nævi duntaxat sunt) *conspecti in Ordine profitentium doctrinam cælestem, non possunt non contristare pios, & multos ab Evangelij studio reddere alieniores.*

991. Existimabam ego, satis hactenus multos, pro innocentiâ & virtute Patrum, Fratrumq́, Evangelicorum auditos esse testes; ut necesse non sit, cùm alios, tū præsertim Mennonem Anabaptistarum coryphæum ad hoc judicium acciri. Sed ille, ultro, ac propè vi irrumpit: & calculum suum ex eo libro, quem de Christianâ fide mulieris scripsit, non humili voce, referente Tannero Demost 8. Anat. §. 2. ita promit. *Si ad Prædicatores*, Evangelij novi præcones, *veneris, qui de verbo gloriantur, invenies quosdam apertè mendaces: quosdam ebriosos & vinolentos; quosdam fœneratores, quosdam superbos & fastuosos, tum habitu, tum gestu, quosdam calumniatores & convitiatores: quosdam proditores & persecutores innocentum.*

992. At, mi Menno, si Ebero, proximè ante te audito, credendum sit, isti tantum nævi Prædicantum sunt, quia carent illâ, quàm Clero Catholico, quovis loco, ac tempore obiectant, Veneris gazâ, & inquinatissimis libidinum sordibus. Quid igitur tu, de Prædicantum castimoniâ; & vernantibus intra eorum geniales thoros puritatis lilijs? *Quo jure etiam ac fide*, inquit

quit Menno, *nonnulli matrimonia contraxerint, cuius notæ domi vxores habeant, Domino atq; ipsis concedo.* Et quid agant miseri, qui tantum in Evangelij prædicatione operæ, laboris & sudoris impendunt, nisi intra suæ alienæquè mulierculæ amplexus refocillentur? Atqui, subiungit testis noster Menno, *agunt inertem, quietam, & ignavam vitam: aluntur meris seductionibus, & blanditijs, ex Antichristi prædis ac rapinis.* Tantum docent, *quantum ventri dedito Magistratui placet, quantumquè ille iusserit*

993 Benè sic, non quidem columbinæ, sed tamē Anabaptisticæ simplicitati tuæ Menno: jam enim accedente tuo, ad tantorum calculos testium, quos quasi coram audivimus, suffragio, non gravatè credi possunt, quæ de inquinatissimâ S. P. Quistius Evangelici vitâ, præter Catholicos, Erasmus quoq, in Epist. ad fratres Germ. infer. tom. 9 pag. 1308, scripsit, *Quid Argentorati fiat, nescio,* inquit Erasmus, Tannero quoq; referente Demost. 8 § 2: *alicubi scio, nusquam fuisse maiorem luxum, plus adulteriorum, quàm inter Evangelicos, sic enim appellari gaudent* *Hoc* (quemadmodum ex ore calamoq; eorùm hactenus auditum, deinceps exemplis quoquè probatur) *nec ipsi negent Evangelici. Vtinam omnes ad bonam frugem sese recipiant, vt hic habear vanus.* *Nonne Lutherus coactus est Visitatores mittere, qui populum in omnem licentiam ruentem cohiberent? Nonne* (ut vel hic n, 985. audivimus) *idem dixit, se malle pristinum Papæ, ac Monachorum regnum, quam hoc hominum genus, sub Evangelij prætextu, in Sogdianorum vitam sese proripientium? Nonne idem suis ad me literis deploravit Melanchton? Nonne idem in colloquio fassus est Oecolampadius? Quin & ipsi, non semel in hoc libro,* quemadmodum & in hac, alijsq; Disquisitionibus nostris, *deplorant, plurimos esse perditissimè viventes sub Evangelij titulo.* Hoc mihi loco de Academicæ, apud Prædicantes, juventutis vitâ

tâ, moribusq; aliquid dicendum esset: sed, cùm hi non tam suâ, quam (quos infelicissimè nacti sunt vitæ magistros) Prædicantum culpa mali sint; censuram hanc declinabunt. Non tamen declinant sui Iacobi Crucij, non postremi, interBatavos, Ministelli, qui in Mercurio Batavo lib. 1. Ep. 1. & lib. 2. Ep. ad An. Rivetum, quæ scripsit, in adversaria conieci: alio fortasse loco, ac tempore memoranda.

PROPOSITIO V.

Ne ipsi quidem Vittembergensium Prædicantes, quãquam editis nuper Thesibus id agerent, inquinatissimos sui, suorumq; mores tueri, excusare, vel inficiari satis possunt.

994. Singulari atq; eximio hominibus facinorosis collyrio opus est, vt facinora sceleraq; sua agnoscant; neq; minore animi sive candore, sive etiam fortitudine, ut agnita fateantur, & fatendo abolere curent. Sunt tamen vitia quædam ita enormia, ut in oculos incurrant omnium, adeoq; ne ipsos quidem sui authores latere possint. Tales sunt Prædicantum hujus ævi noxæ; ut nusquam magis habere locum videatur, illud tritum *Tinctura Cyzicena.* Jta enim cunctis patent, ut, quantumcunq; simulando, excusando, vel tegendo Prædicantes ipsi laborent, videantur, quod vulgò dicitur, ἀσκὸν βαπτίζειν πνεύματος πλήρη. *Vtrem mergere vento, sive spiritu* (unde & isti vocantur spiritales) *plenum.*

995. Anno 1633. *Paulus Röberus D. Pastor, & Superint. Witemb. Consist. Assessor, ac Elect. Conc. Ephorus Generalis* (quis hic longe verius, quam *Ioan. Himmelius Disputatione Antibellarminiana prima*, ad modestissimos

mos Bellarmini Card. titulos, admirabundus non exclamet,

Ceu Vituli, Tituli passim venduntur in vrbe
Wittberga)

suo, Respondentumq; suorum, (*M. Simonis Vrsini Ecclesiæ Francof. ad Oderam Pastoris, vicinarumquè Superintendentis, Michaelis Behmij D. Ioan Filij Regiomontani Prussi*) nomine, Disputationem Theologicam practicam, *De vitę Evangelicorum Emendatione summè necessaria*, &c. ad 23. Aug. publicè habitam, typis excudi fecit. Vide, quid in eâ, vel invitus, scribat!

996. Primùm igitur, ad ipsum Disp. exordium, Author, & cum illo Respondentes, totaq; adeo Academia, cuius Authoritate ac nomine Disputatio illa publica facta, palàm fatetur; *Tam esse perversos hominum suorum mores, Evangelio minus digne viventium, tantaque invaluisse vitia passim in prædijs, villis, opidis, vrbibus, scholis, cænobijs, Academijs, alijs: per convivia, festa, per itinera, per navigia, vt nemo pius sine anxijs suspirijs, & columbinis gemitibus aspiciat.* Túm producto S. Chrysostomo, in sui seculi mores gravissimè detonante, ita pag. 2. *Quam*, inquit, *querelam, de suorum hominum moribus instituit sanctus Pater, eandem ad nostra etiam ultima tempora, eheu! accommodare, cogimur; eos vid. qui ab impuro Papatu secessionem fecerunt, Papistis impuritate morum nihil cedere, sed palmam fere præripere.*

997. Deinde, veritus fortasse, ne quispiam adhuc uel ita surdus esset, ut se dicentem non audiret; vel cæcus, ut quæ in omnium oculos incurrunt, unus ipse non videret, Plura Lutheri testimonia, superioribus admodum gemina profert. Nam, ut ille pag. 2. ait, *Lutherus magno cum dolore spiritus, sæpè sæpius deplorabat, Antichristo detecto, homines dissolutissimam vitam acturos*, Præter ea, quæ ex Præfatione ad Danielem in Bibl. germ.

præfixa

præfixa afferuntur, Tomo quoque primo Ienen. pag. 443 & ult. ita à Luthero scriptum est. *Nostri cum à legibus Papæ liberi sunt, uolunt etiam à lege Dei liberi esse: nihil nisi politica sequi: sed sic, vt sub illis quoque pro libito sint &c. Ex ijs sunt, qui diem hominis desiderantes (vt in luce hominum glorientur & exultent) nobis cœperunt decalogum quoque ex Ecclesia deturbare, vt juxta Petri prophetiam, secundum proprias conscientias ambulent, & securi sine timore Dei agant, &c.*

998 Et in Præfatione, in partem Æstivam Postillę Ecclesiasticæ, *Papistæ*, inquit, *non desinunt agnitum Dei Verbum calumniari & persequi: Nostri verò nonnulli septemplici Diabolo obsessi, ac deteriores, quam in Papatu vnquam fuerint, facti sunt.* Et Domin. 26 Trinitat: *Antea, quando sub Papæ seductione, bona opera facienda erant, omnes parati alacresque erant, ita vt Princeps vnus vel civitas, maiores fundationes, vel Eleemosynas facere posset; quam nunc omnes Reges ac Cęsares possint. Mundus nunc nihil aliud didicit nisi rapere, furari &c. Ita in gratiam Evangelij, necesse est homines extremè improbos esse, vt modò, non jam humano, sed diabolico prorsus modo sint immisericordes, &c.*

999. Adhæc pag. 24 pluribus alijs istiusmodi locis è Luthero, tum per se, tum per Justum Calvinum Veteracastrensem, (qui è Calvinismo ad Catholicam Ecclesiam reversus, & ab Illustrissimo Card. Baronio familiæ suæ insertus, Justus *Baronius* dictus fuit) citatis, potissimum è Tom. 1. Jen pag. 289. Tom. 2 pag 471. Tomo 3 p. 351. & 529. T. 1. p. 62 tom. 6. p. 304. & 350. additur Smidelini testimonium supra n 978 recitatum: ac mox ad Franzij sententiam, ita se Roberus accingit, proferendam. *Audiamus etiam, & perpendamus insignis* (vid. Franzij disp. 10. in A. C. thesi 29) *in hac olim Academia, Theologi. Hic sunt inter Auditores, qui to-*

qui totum annum furtis, vel scortationibus, vel similibus peccatis contaminant. & in fine anni, vnum sibi diem deligũt pro participanda Cæna Domini, &c. & postero die á participata cæna, redeunt ad priora peccata duplo plus continuanda: idque continuo repetunt quolibet anno, vsque ad finem vitæ suæ, citra omne à peccatis pristinis desistendi propositum verum.

1000. Atque hæc Röberus aliorum duntaxat verbis: quid jam ipse per se? Pag. 25. *Nimis* inquit, *quam vera esse hæc suspiria illorum, qui anguntur super contritione Ioseph, testatur experientia: clamant flagella & supplicia publica; innuunt tot prodigia in his regionibus: coarguunt multa, de vltimis temporibus vaticinia, &c. Quibus aliorum Theologorum gravissima monita coniungi possunt, etiam qui hâc ipsa in Academia sederunt ad clavum, &c. E quibus, quo loco sint res nostræ, quæ Ecclesiæ facies, animadversio facilis: vtinam tam facilis & parata conversio! vtinam saperet populus, & intelligeret!*

1001. Porrò, ne sibi suisque, ita liquido testantibus, fidem lector derogare posset, suis ac Prædicantum suorum testimonijs, adhibet alios ex omni ordine, etiam civili, testes dicam an potius prophetas, qui, de imminente Regno Prædicantico ruinâ palam vaticinantes? sic enim pergit. *Nec Theologis saltem nostris sed & politicis, imo ipsis militibus, animus præsagit fore, vt nisi vitæ rationes melius instituamus, & Ecclesia nostra, & politia evertatur. Taceo acta judicialia, statuta provincialia, instituta varia, consilia singularia è quibus seculi nostri malitia satis elucescit, Ex vnico tractatu pij cuiusdam Achioris noviter germanicè scripto,* (vid ex Menippo satyr.) *paucissima hæc ita reddere placet. Video plerorumque Lutheranorum pietatem esse meram hypocrisim, populum accedere quidem ad Templum, sed sine omni vitæ emendatione a sacris reverti: Video populum, cum fæminis, adeo se non demittere*

coram

coram DEo, ut potius omnes facultates suas in luxum vestium impendant. Video, non jejunare in his augustiis & miseria fratrum, non domare corpus, sed beluari per diem. In omnis generis immunditie, adulteriis, scortasionibus &c. vivere; membra Christi efficere membra meretricis; &c. expilationibus, usuris, mendaciis, & circumventionibus proximi studere. idque sine omni metu, pudore, aut dolore; ut potius doleant, quod deteriora patrare, uti vellent, non possunt.

PROPOSITIO. VI.

Etiam in Prussiâ, apud novam Prædicantum Ecclesiam, amplissimus Vbiquitati Bullingerianæ locus est.

1002. POsteaquam Vittembergenses, uti vidimus, coacti sunt palam fateri, inquinatissimos esse hominum suorum mores, causas deinceps ejus rei non paucas expendunt. De quibus ac præsertim de Doctrinâ, an, & quantum ea, e Lutheri Prædicantumque ore, vel scriptis hausta, vitiorum fomitem addat, disquirendum infra prop 14. paucis erit. Interim, quia Joannis Behmij F. Michaël, cũ Röbero, aliisque Vittembergensibus, negare Vbiquitati Bullingerianæ in suâ Ecclesiâ locum non potuit, audiendus est ipse parens, qui dudum filio viam hanc, aut præivit, aut monstravit. Nam, ut cætera desint, est præ manibus illius concio, pro Funere Alberti Friderici Principis, Anno 1619. defuncti, publice dicta, typisq; vulgata.

1003 Quid igitur in eâ Concione primùm, quid secundum, de suorum virtutibus Prædicantum? *Atque hinc*; inquit ille pag C. *non sine gravi dolore audire, experientiaq; teste cognoscere cogimur, quando illi* (Prædicantes, de iis enim sermo) *pro concione, pro confessione, & aliis locis ac tem-*

temporibus homines omni convitiorum, contumeliosorumque verborum genere onerent; à confessione, sacramentorumque usu reijciant, quin & pugnis ac fustibus benè multent. Istiusmodi Prædicantes, sive concionatores, causa sunt adversariis, ut Ecclesiarum nostrarum disciplinam blasphement. &c: Existimabam ego hactenus, Prædicantes dentibus & linguâ duntaxat armatos esse; at jam video, *Pugnis quoque, ac Fustibus* non minimum valere; ut jam, non modò de suis Topicis contumelias, & id genus convitiorum apparatum, verum & de silvis, novum genus argumentorum atque armorum promant; quandoquidem & apud eos, ut ille canit Æneid. 7.

Stipitibus duris agitur, sudibusuè præustis

1004. Quid verò, de reliquo in illâ concione Prædicantum populo? Vtramque Decalogi tabulam, speculi instar proponit, in quo suorum mores contemplatus, ita deinceps (ut compendio agamus) eosdem Prædicantici in Prussiâ populi mores, calamo depingit. *Quod primam Decalogi tabulam attinet, multi Ducatus hujus incolæ Religionem adulatione & sycophantia; multi quæstu metiuntur. Illi, in gratiam hominum, tanti hanc, quanti & aliam contrariam religionem faciunt, & in utramque partem claudicant. Isti, ut aliquam partem pecuniæ, vel fundi ferant, omni vento doctrinæ in religione circumferuntur. Et quotusquisque est, qui aliquid patiatur super contritione Ioseph. Amos 6. v. 7. Si decimus quisque id agit, centesimus profectò, nihil minus agit. &c.*

1005 Estne præterea, quod contra primam hanc tabulam afferas? *Maledicta,* inquit, *& periuria, veneficia item, mendacià & omnis generis doli, ita in hoc Ducatu vulgaria sunt, ut plerique, quoties impurum os aperiunt, toties vix aliud, quàm sacramenta, DEi vulnera, & id genus maledicta ac blasphemias effundant.* Multa paucis, mi Behmi complexus es; vide ut omnia vero consona sint

Et, quid ni ſint! ſic enim videtur reponere, qui ita deinceps ſubjungit, *Profana & impia jurandi pejerandique, conſvetudo, atque in Deum blaſphemiæ, ita per Ducatum vulgares ſunt; ut piorum mentes, ad iſta, non jam Chriſtianorum ſed gentilium imo plus quàm gentilium facinora, attonitæ obſtupeſcant. Veneficia quoque exterminari non poſſunt; eo, quod multi, in ſuis neceſſitatibus, a DEo fiant apoſtatæ; & Saulis atque Ahaſiæ exemplo apud veneficas, ariolos, augures, magos ideoque apud ipſum Diabolum, opem & auxilium quærunt, & Baptiſmum ac Chriſtianiſmum ſuum turpiſſimè negent, imò cum anima & corpore ſeſe Diabolo mancipent.*

1006. Eſtne, quod contra ſecundam decalogi tabulam afferat? Et quidem, nimium quantum! Si populi in Magiſtratum, ſi liberûm in parentes officia, & obſervantiam, apud Prædicantum populum requiras, reſpondebit Behmius, utroſq; in Pruſſiâ, regno Prædicantum ſubiectâ, jugum maiorum excuſſiſſe; adeo, ut *liberi non modo ſuo nutu ac voluntate ferantur, verùm & ipſo parentum ſuorum capite altius aſſurgant, eoſdemquè quaſi pedibus proculcent.*

1007. Si homicidiorum, & id genus, in quintum decalogi præceptum vitiorum, inire rationem velis, reſpondebit, *Alias, atquè alias inſuper cædes in Provinciâ patrari, neq; quenquam eſſe, qui in id animadvertat, aut juſto ſuppicio vindicet.* Unde verò iſtud probat? *Inventi hactenus*, inquit, *ſunt mortui infantes, diabolico planè modo ab inhumaniſſimis beſtijs* (matres, quæ ex fornicatione, & impuriſſimis cubilibus liberos ſuſceperant, intelligit, quarum infra ſpectabis exempla n. 1010. ſeq.) *occiſi: & quis eſt, qui id penſi habeat, aut in id, uti decet, inquirat, &c.*

1008. Itane verò lupæ illæ in partus ſuos ſæviunt? Ergò in illo Prædicantum grege, quem iſti ob Babilonicæ,

nicæ (uti impudentissimè aiunt) meretricis scortationes, ad novas Ecclesiæ, vel potius synagogæ suæ mandras, segregarunt, non desunt etiam lupæ? Et, quid quæso desint? cùm, ut Behmius subiungit, *Immundities, fornicatio, & adulterium per Provinciam exundet; ac peccata contra sextum præceptum tam multa sint, vt enumerari hoc loco non possint.*

1009. Neque solus id Behmius asseverat; sunt alij qui suo calculo huc accedunt. Unus nunc Hennebergerus paucis audiatur. Pag 166. & seq. verbo **Zeelen** (qui pagus est, duobus passuum milibus Angerburgâ dissitus) refert immane facinus ac supplicium, quatuor illius pagi hominum, duorum scil virorum ac totidem fæminarum; qui omnes anno 1564. ut infandis unà fruerentur libidinibus, intra unius casæ tecta, obseratis arctè foribus, sese abdiderant: & omnes quatuor elisis, vel potius fractis â diabolo faucibus, ita ut solâ cute reliquo corpori modicè hærerent, ambustisq; insuper nonnullorũ corporib⁹, reperti, iugulati ibidem sunt. Id, cum Hennebergerus recensuisset, & erecto ante pagum monumento latinâ, germanicâ, Polonicâ, Litvanicâq; lingvâ inscripum dixisset; non alio fine erectum id monumentum dicit, nisi, ut caveantur tam horrenda facinora. *quæ*, ut ibidem subdit, *in provincia jam vulgaria sunt.*

1010. Pari sensu ac censurâ pag. 218 inter facinora Regiomonti patrata, refert & illud, quod Barbara **Preussin** Anno 1552 superstite viro suo, prolem ex adulterio conceptã iugularit, & cinctorio suo involutam, in silva Brandeburgensi defoderit. Erutum est paullò post â porcis cadaver, & cinctorium, cui nomen immanissimæ matris acu inscriptum erat. Unde illa agnita & carceri mancipata: sed Prædicantum ope, justo, quin & necessario supplicio, exempta est. Nam Osiander

ander captivam è carcere eruit, Joachimus vero Mör-linus, publicâ in templo Cniphaviensi pœnitentiâ, ac supplicio egregiè multatam! (coacta enim misera illa fuit, Dominicâ Trinitatis, & quartâ, quintaq; consequente feria, ante summam aram stare, atq; ita stando, justam scil. tantaq; illâ immanitate dignam pœnam decoquere:) omni crimine, atq; insuper supplicij periculo, metuq; exoluit:

1011. Quid potius mireris? immanitatem, diritatemq; flagitij? an pœnam flagitio destinatam, & ad justitiæ Prædicanticę libram ritè depensam? Et vide, quæso, quantopere supplicio illo, vel istiusmodi scelerum impunitate, non alia modo, verum & illud ipsum flagitium, vires in *Prussia* jam tum sum pserit! Sic enim eo loco Hennebergerus subdit. *Crudele hoc, & immane in suam carnem sangvinemque latrocinium, quod, ne efferatissimæ quidem belluæ admiserint: ita hoc tempore per opida, & pagos grassatur; ut ipsa commoveri ad misericordiam saxa possint. Et magistratui quidem incumberet, quam severissime in id animadvertere, vel exempli in alios statuendi causa: sed ita sæpè evenit, ut jam vix in numero censuquè peccatorum habeatur.* O crudelem misericordiam!

1012. Nolo pluribus istam hoc loco movere camarinam: præsertim cùm & ipsorumet exempla Prædicantum, quæ prop. 7 & seqq. necessario producenda erunt, aures animosq; ab hisce sordibus carnis, ad virgineam puritatem defæcatos, justâ admodum nauseâ percellant; & reliqua de Behmij catalogo percensenda supersint crimina. Audi enim, quid ad septimum Decalogi præceptum enunciet! *Furta ita sunt pervulgata, ut nihil possit esse vulgatius.* Parum abest, quin cum Philosopho addat, minores fures in nervo & compedibus sunt, maiores verò in auro & torquibus. Sic enim pergit. *Pleriq; administri Præfecturarum, juxta Sacramentum*

mentum ab se dictum, Domini sui commoda promovere & curare debent: at quo tandem pacto ab ijs provincia diripiatur atquè expiletur, nimium, proh dolor! omnium oculis jam patet.

1013. Quid vero jam ad octavum? *Testimonia*, inquit, *falsa magno numero regnant, &c. præcipue tamen* (ut, vel hinc, Prædicanticæ fructus Eloquentiæ, vel novi illius Evangelij flosculos, sementem, &, quæ toties inculcamus, Prædicantum Topica, coram quasi spectare liceat) *Domina Calumnia per provinciam dominatur, ut jam verum sit quod gentilis ille dixit, Calumnia hodie in convivio pro obsonio est; &c. &c.* Quid denique ad nonum & decimum? *In id omni conatu, fraude, dolo, & insidijs vulgo incumbitur, ut proximus bonis suis, etiam hereditarijs excutiatur, atque evertatur, &c:*

1014. Estne præterea quod ad hunc peccatorum cumulum addi possit? Est sane, & quidem illa, quæ in fundo flagitiorum solet residere securitas, vel potius confirmata in malo durities. Sic enim Behmius catalogum suum claudit. *Et in tantâ tamq; confertâ peccatorum mensurâ, incolæ hujus provinciæ, ita securi agunt, ut se longè adhuc a die Domini positos putent; quin & cum Iudæis Ierem. 5 12, Negaverunt Dominum, & dixerunt, Non est ipse; neq; veniet super nos malum..*

1015 Cæterùm, hęc in DEum, Deique legem scelera quæ Behmius in Prussiâ tantopere dicit regnare, si non modò in Prussiâ, verùm & alibi terrarum, æquè, aut etiam magis, Prædicantum, quàm Vulgi plebisq; animos possederunt, nunquid jure aliquis illud ejusdem Jerem. 5 v. 4 hic mecum usurpet? *Ego autem dixi, Forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viam Domini, & judicium DEi sui: Ibo igitur ad optimates* (quales quidem esse, ac videri volunt inter suos *Prædicantes*) *& loquar eis, ipsi enim* (qemadmodum vulgo jactant) *cogno-*

verunt viam Domini, judicium DEi sui Et ecce! magis hi simul confregerunt Iugum, ruperunt vincula! Quod, quomodo verum sit, ipsa deinceps exempla loquentur.

PROPOSITIO. VII.

Vbiquitatem Bullingerianam, in Ecclesiâ Prædicanticâ, non tantum populi & plebis, sed ipsorum quoque Prædicantum vitia, potissimum verò fædissima, ac propè inaudita libidinum exempla confirmant.

1016. SApienter admodum, & verè juxta, ac cordatè Barclajus Paræneſ. lib. 1 c. 2 sectarios affatur. *Fingamus*, inquit, *ut somniatis esse: Iudaicam nempe fidem, inter tot populi temeritates semper puram in sacerdotibus, & corpore synagogæ constitisse: at posteaquam velo sublato, rerum veritas umbræ successit, & Pontificem CHRISTVM habuimus pro nobis assiduè orantem; Christianos vix quadringentis annis in officio duravisse; adeoque pessundatam fidem, ut deinceps nullibi publicè sincera coleretur: orbem ea caligine fuisse sepultum, mille ut minimum annis; voluisse tandem DEVM in splendorem Evangelium reducere. Hic judicia invoco vestra, omniumque mortalium; an tanto destinatus officio credi possit, nisi qui POTENS VERBO ET OPERE, non Eliam modo, sed Moysen, quàm magnitudine muneris, tam signis æquaret, uni CHRISTO secundus?*.

1017. Quæ Barclajus de Luthero, postulare ego de omni Prædicantum senatu possum. Vt enim ille primus extincti dudum, ac deinde renascentis Evangelij Lucifer, suis dicitur; ita cæteri Prædicantes, si non Luciferi, certe sidera, a quibus renati lux Evangelij propagatur, dici debent. Quanta igitur sive Vitæ, sive doctrinæ luce fulgere istos necesse est, qui Christianum quoque

quoque orbem accendere, & ad splendorem Evangelij promovere debent? At enim isti, apud Pruteno prædic Anticyras n 164, demonstrati sunt *infausti feralesq; Cometæ*; vel potius *stellæ seductrices, & fatui ignes*: quemadmodum & n 195 *Æra cymbalaq; sonantia*, ac *Pharus faculæq; vitiorum esse*.

1018. Negabunt id? at fortasse suo tempore ac loco *Pharus Anticyrana*, negantes ac pernegantes arguet. Interim verò locum habeat illud, quod Franciscus Costerus, Apologiæ, contra Gasp. Grewinchovium, cap 66. pronunciat *Longè proh dolor! aliter se rem habere, cum Novatoribus nostris*, quàm cum Sanctis Patribus, alijsque Ecclesiæ Reformatoribus, *conspicimus. In quamcunque enim vel Germaniæ, vel Galliæ, Angliæve partem oculos conjicias, vix è tot millibus hæreticorum Ministris, vel unicum duntaxat reperies, qui sit integer vitæ scelerisque purus*.

1019. Negat hoc cum suis Respondentibus, in citatâ apud Vitembergam Disputatione Röberus, quin & *convitio se, suosque à Costero peti* quæst: 2 pag. 15. clamitat. Ego vero, si non saniorem, certè magis aliquanto ingenuam Röbero mentem voveam! Si enim negare pronunciatum Costeri, si se convitio ab eo peti, docere vult; neget vnâ, quæ à Costero afferuntur Prædicantum exempla: doceat falsa esse omnia, quæ de Ministellorum vitâ moribusq; non ex vano vtiq;, sed è libris, vel testibus fide dignissimis, Costerus adfert. Quod, cum neque ausit, neq; possit; sequemur nos per Scotiam, Angliam, Hollandiam, aliasq; Europæ Provincias, præeuntem Costerum: ut demonstrata extra Prussiam, Bullingeriana in Prædicantibus Ubiquitate, eandem in Prussiâ deinceps adstruamus.

1020. Quid igitur de Scotia Prædicanticarum virtutum affert Costerus? *Vivit*, inquit, *etiamnum in Scotia se-*

tia septentrionali nobilis quidam, Robertus Iunesius, qui cum & vxorem, & vxoris filiam, privignam suam, *gravidam effecisset: jamque per Ministros, ad Consistorium res deveniret, ille actutum in sceleratissimos Prædicantum singulorum mores, omni studio inquirens, comminatus ijs est, se singula eorum flagitia in lucem prolaturum, ni se missum facerent. Sic, etiam hoc tempore quiete illic degens, à nullo Ministrorum interpellatur.* Hæc, si vera sunt, quemadmodum Röberus minimè potuit vera esse negare: quantam oportuit omnium, tota Scotia Ministrorum, esse morum impuritatem, vt nullus eorum repertus sit, qui homini illi, tam nefario incestu adulterioq; polluto dicam diceret? eô, quod unusquisque sibi ipse cõscius, non magis Iunesium, quam semetipsum accusaturus esset? Hic nempe locum habuit, illud Menandri apud Hertelium pag. 119.

ὁ συνιστορῶν αὐτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.

Qui conscius sibi est, sit audacissimus,
Timidissimum faciet eum animus conscius.

1021. Ecce autem geminum priori, aut etiam primo fædius, quia à Ministro patratum, in eadem Scotia flagitium! *Georgius Leslæus,* vt ibidem Costerus ait, *ex Advocato factus Minister in pago Mortle, cum pessimè sibi conscius vereretur, se in Synodis accusandum; comminatus est Ministris cæteris, se, si quis porro sibi molestus esset, singulorum vitam, tali penicillo delineaturum, ut orbi vniverso stupori essent. Itaque qui illum sceleris argueret, repertus est nemo.* Nempe, & isti omnes, ad magnum illud (ut Chrysostomo Hom 26. ad Rom, vocatur) conscientiæ forum damnati, damnare, quanquam sceleratissimũ hominem minimè poterant, ne vnà & in se, lege ostracismi desævirent. Nam, vt vetus habet Trochaicus

Stare

Stare non potest, quem sua destituit conscientia.
Et alius ille
Istud habet damni vitium inter cætera, quod mens
Palpitat assiduo flagitiosa metu.

1022. Gravia sunt hæc: sed illud multò etiam gravius ac fœdius, quia perditam flagitiosorũ conscientiam manifestius prodidit. *Edinburgi*, quæ *Scotiæ* metropolis est: *Minister quidam*, referente ibidem Costero, *Anno Domini* 1588 *duas ex ancilla sustulerat proles, superstite vxore. Etiamsi verò in Synodo, mense Februario coacta, reus esset proclamatus; immunis tamen evasit. Cuius rei causam, cum nobilis quidam serio percontaretur, responderunt Ministri, se id ideo facere, ne vnius culpa, infamia sit multorum.*

1023. Itane verò, ne vnius culpâ infamia sit multorum, culpa impune abit? an verò potius, quia quemadmodum culpa fuit, ita & pænam culpę, oportuit communem esse omnium? proinde, ne omnium esset, ab illo quoq; uno, per summum nefas, remota est? Sed utut pæna longè sit, infamia certè, longè ab ijs esse non potest, cum ipsi hæretici (ut cap 25. pag 147. idem Costerus & infra Libertus Fromondus refert) multis locis, filias suas Prædicantibus nuptui tradere nolint; veriti, ne liberi quoq; ex ijs nati infames adeoq; exhæredes sint. Constat enim in Anglia & Scotia, liberòs Prædicantum, diu ad Parentum hæreditatem admissos non fuisse.

1024. E Scotia, in vicinam nos Galliam & Germaniam duci per Costerũ oportuit; sed ille, qui ad suos Hollandos festinaret, cætera compendio decurrit, aut potius, transitu quodam, quasi declinat. *Hæc*, inquit, *sæpènumero etiam in alijs hæreticorum opidis eveniunt: adeo vt hac de re, stupenda admodum me legisse meminerim, in libello quodam Gallico, cui titulus Passavant: licet multo adhuc plu-*

huc plura contineat alius quidam tractatulus, Passes par tout, indigitatus : ubi Gallicorum Ministrorum res scelerate gestæ, egregiè perstringuntur. Germanorum porrò Ministrorum flagitia Ioannes Nasus, ex proprijs eorundem centurijs in lucem protulit.

1025. In Hollandia porro, (jam enim eo nos idē Costerus ducit) Ministrorum flagitia, ne quid officiant, summo premuntur silentio *Ante annos octodecim* inquit sub 1598 annum Costerus, *Flissingæ ~~Mattiacorum~~, cum Minister qvidam iuvenculam quandam imprægnasset, eamq; penes se detineret. innotuit quidem res tandem Consistorio; verum ita suppressa silentio, vt nihil inde incommodi bonus ille Prædicantius, Dominus Ioannes (id namq; homini nomen) sustinuerit. Quin jmò postmodum ad Dunkerkanos, atq; Ostendanos, liberrimè divertens, eadem inibi flagitia, vti ex relatu cuiusdam inibi commorantis habeo, identidem immunis frequentavit.*

1026. Jta nimirum, bonus iste *Dominus Ioannes*, (perinde vti mulier ille Joan. 8, 3) in adulterio déprehensus, ex lege λιθοβολεῖσθαι debuit; sed cum toto consistorio ἀναμάρτητος, & fortasse sine simili peccato repertus esset nemo, absolutus est reus: non tam de sua, quam de Iudicum suorum conicientia, scilicet Innocens! sed ita absclutus, ut nusquam à suis Rhadamantis videatur illud Christi audisse, *Vade & noli amplius peccare*; quippe, qui etiam alibi eadem flagitia (uti audivimus) identidem frequentarit.

1027. Non minor innocentia. Lugduni Batavorum circa idem fere tempus, conspecta fuit, in Capellio Prædicante, quia à Matthæo Launoio, tanquam aurito juxta ac oculato teste, publicis literarum monumentis consignata. Venerat Capellius è Gallia Roterodamum, *ob morum venustatem, verborumq; affabilitatem (his namque virtutum dotibus, præditi plerumque esse solent delicatuli isti*

isti Veneris catelli) Prædicans *Formosus vulgo appellatus.* *Launoio autem Lugdunum Batavorum ad Intersignium uvæ divertenti, conquesta est diversorij illius hospita: quod puellam quandam, quam à Præfecto militum constuprandam verebatur, in tutelam Capellij commendasset.* Nempe, Agnam lupo: *Ecce enim,* ut Launoio hospita querebatur, *Formosus ille concionator, puellæ virginitatis florem primus excussit, gravidamq; effecit.*

1028. Neque hic stetit facinus. *Capellius enim*, ut Costerus subdit, *litem intenturus hospitæ videbatur, quod ejuscemodi sibi meretricem commendasset: facinus clamitans, se ab ea pro lenone habitum.* Sed altera quoque hospita ad intersigniū *speculi, dolens eidem quoq; Launoio questa est, quod,* præclarus ille dux gregis caper Capellius, *uni ancillarum suarum vim intulisset.*

1029. *Ibidem etiam vixit*, referente eodem Costero *alius quidam Minister Petrus Hæckius, satis utiq; illic notus, qui germanā secundæ uxoris suæ constupravit, & cum uxore primarij fæneratoris, quem uulgus Lombardum nuncupat, rem sæpe numero habuit.*

1030 Cæterùm, ne quis negare jam possit illud Barclaij Paræn. lib. 1. c. 2. *Horum temporum sectas, tanquam lenocinium exercentes non iniuria IMPVRORVM SACERDOTVM LVPANAR* appellandas: quæ Costerus exempla subjungit, veritati plurimum suffragantur. Quot enim, & quàm impuri, non jam Verbi, sed Veneris Ministri, vel in una Hollandia, ut liberius Veneri litarent, ad illud Lupanar, brevi provolarunt? *Thomas Tiletanus*, Liræ Cisterciensis quondam religiosus, ad novi Evangelij istius tubā, Veneris castra secutus, non modò pellicem, verùm & quatuor talerorum millia furto sublata, (ne scilicet indotatus ad dotandum illud lupanar veniret) secum abduxit.

1031. *Cornelius Antonisius*, patriâ Vltrajectinus, pro-

professione vero Benedictinus, præter famulam quandam, duas incestavit moniales; cum quarum altera ad idem lupanar profugus, in pago Seyst/ditionis Vltrajectinæ concionatorem Evangelicum ita egit, ut non paucos liberos, quos è pluribus sustulit scortis, clanculum enecuerit.

1032. *Iacobus Vinsenius* Monachus itidem excucullatus, ne in eodem lupanari inglorius decederet, præter sex liberos, quos è famulâ sua Theodora (præsente Magistratu Anno 1596 tandem uxoris loco ducta) susceperat, ex alia quadam, Ventgenia dicta, plures alios sustulit.

1433: *Gulielmus Swertius* è Monasterio Hierosolymitano apud Culenbergenses Apostatata, ut eodem loci Evangelicus apud Calvinistas concionator hæreret firmius, non scorto duntaxat suo, verum & rotarij cujusdam uxori, sacrilegus juxta atque incestus adulter adhæsit. Inde circa Annum 1595 haud dubie scelerum suorum veritus supplicia, Gorcomium confugit, & in pago Scharluino, *eodem functus est*, ut scribit Costerus, *prædicandi simul & adulterandi munere.*

1034 Quid Joannes Bogardus, ex Monacho, itidem Harlemij Batavorum Evangelicus fidicen? Ne incomitatus ad illa Veneris castra veniret, Vestalem quandã, uxoris sibi nomine potius quàm loco adjunxit; quæ tamen ita se habuit, ut videretur vel a dæmone, vel a panico timore agitata, vitam perpetuò agere.

1035. Satis hæc, opinor, erunt ad præsentem causam. Nam (ut cum eodem Costero finem faciam) *de aliis hæreticorum Prædicutiis, qui & ipsi fugitivi fuêre Monachi, minis foret longum, ne dicam tædiosum, ulteriorem pertexere catalogum: nempe de Fratre Ioanne Velmio Gorcomiensium, Ioanne Damiò Daventriensium, Everhardo Bommeliò Benschopiensium concionatoribus, aliisq; compluri-*

bus

bus Monasteriorum desertoribus. Vnde nolim hîc res eorum oculis objicere. Illorum namq; numerus tam est frequens, ac flagitia tam fætida, ut nauseam mihi pariat, si diutius hisce enarrandis immoratus fuero. Porro paucula hæc silentio præterire nolui quod inde jam ad oculum constare queat, utrum hoc genus hominum condignè possit collapsam Christi Ecclesiam Reformare?

PROPOSITIO VIII.

Borussicorum, & vicinorũ in Provincijs Regni Poloniæ Prædicantum, vita ac Vitia, in primis verò fæda libidinum exempla, Bullingerianæ ad Ecclesiam Prædicanticam, Vbiquitati januam aperiunt.

1036. QVi Prædicantem brevi compendio effingere, aut uno symbolo ponere sub aspectum velit, statuat eum, manu facem accensam præferentem, adjecto lemmate, *In utrumque*. Nam & fax illa, & ipse qui facem gestat, æquè ad Martis ac Veneris castra, promptus est; & non modò ad seditionum, verum & libidinum æstus in populo suscitandos, illa novi Evangelij fax peridonea est. Quantum in Prussia seditionum accensum ea face sit, Disq. 24. pag. vidimus; videbimus deinceps, quantum in ipsis Prædicantibus, ab ea face ortum libidinum, aliorumque scelerum incendium; ut in Prussiâ quoque locum habeat illud, *In utrumque*. Sive enim bellum & castra cogites, adsunt isti cum suâ face, ut Bellonæ vel ut Furiæ; sive Thalamos & cubilia, aderunt ijdem vt Cupidines, vel Daduchi.

1037. Stanislaus Hosius, in Prussia Episcopus Varmien. & rerum Prussicarum admodum peritus, tomo 1. pag. 492. De legit. judic. rerum Ecclesiast. lib. 2.

Brentio,

Brentio, Ecclesiæ Catholicæ, propter Ecclesiasticorum peccata, judicandi potestatem abroganti, ita respondet. *Nihil est Brenti, quod nobis potestatem hanc judicandi adimas, quòd non sumus omnes absque crimine: cum nihilo sint vestri nostris meliores: quin, si vestro Idolo* (vid Luthero, cujus testimonium ex Postilla Domin. 1 Advent. produxerat) *credimus multis etiam partibus deteriores. Quod si scriberet etiam nullus, res tamen ipsa clamat*

1038. Si res ipsa clamat, age proferat Hosius in medium exempla; ut cęteri quoquè clamorem istum audiamus Et sane, sunt Hosio exempla in promptu; sic enim pergit. *Possem historiam tibi proferre Brenti, de quodam, qui trium superstitum uxorum esset maritus: à vestris tamen magno cum plausu fuit exceptus, & in pretio habitus: ob hoc solum, quod contraria Christianæ fidei Lutherana vestra dogmata, in vulgus spargebat.* Satin' iste Veneris, Cupidinumque face instructus fuit, qui trium pellicum, quasi totidem Furiarum choro cinctus, & ipse ardebat; & alios exemplo, quin fortasse etiam verbo, ad omnem libidinem inflammabat? Et tamen, quia eadem illá simul face, dum contra Christianam fidem, Lutherana dogmata spargit, bella in Ecclesiâ seditionesque accendit, plausu & precio inter Prædicantum greges dignus fuit!

1039. Ecce autem alterum quoque, & quidem priore illo, pro munere officioque scilicet suo, *In utrumq;* etiam paratiorem! *Possem & alium,* inquit idem Hosius, *in eadem civitate nominare, de quo publica fuit fama, quod è schola Carnificis,* ideoque ad Martis faces gestandas jactandasque non ineptus, *itidem non unius uxoris maritus*, ideoque inter Cupidines & alios Veneris feciales numerandus *Quamvis unam secum tantùm adduxisset, undecunque tandem raptam, (nam variè res narratur) inter scorta nihilominus,* ut tanto augustius Prædicantici fax Evangelij, tum per se arderet, tum & aliis illucesceret

luceſceret, *perpetuò volutabatur, uxore etiam inſpectante. Adeo, nec uxoris commercium, ullum ei attulit contra fornicationem remedium. Fuit tamẽ habit⁹ præclar⁹ & idoneus cũ primis Evangelij veſtri Miniſter.* Neque ſecus decuit, ut ſimiles haberet labra lactucas.

1040. Vin' plura etiam ab Hoſio exempla? Et quid pluribus opus, cùm, vt ibidẽ pergit, *ſic hoc eſt in moribus receptum, apud Evangelij veſtri præcones, ſimul ut duas aut tres uxores habeant; ut jam pro crimine non habeatur ac modò non in laude ponatur.* Præclara enimverò laus, & novo iſto Evangelio, atq; Evangeliſtis digniſſima: quam ut Hoſi⁹ auctum est, quid ni etiã hîc ſubjungat, quod l. c. ſubjunxit. *Poſſem & Carnificem Paſtoris apud vos officio functum recenſere.*

1041 Sed, quid intereſt hoc loco Paſtorem memoraſſe, qui & carnifex fuerit? Nunquid id novum in illa Eccleſiæ Prædicanticæ hierarchia? Paucos ante annos, ut Mercurius Elyſio-Boruſſus n. 100. refert, Prædicantis alicujus filius, carnificinam Regomonti, non ſine populi plauſu, ſpectatiſſimè exercuit; quid mirum, ſi a carnificina quoque ad Prædicanticam aliquis progreſſus ſit? Certe Stanislaus Sudrovius (ut præter alios, Reſcius in Atheiſm. pag 69, & Wargocius cap. 6. memorant) Leopoli, ob furto ſublatam argenteam quadram, in furcam tollendus, ad carnificis officium, inde quaſi per gradus Avernum verſus iturus, primum in Reydany, deinde Vilnæ, ad Prædicantis munus ſede demiſit.

1042. Sed & alius, eodem Vargocio teſte, in Raciborз opido Sileſiæ Prædicantem egit, qui alibi egerat carnificem; agnituſque a Religioſo, Ord. Præd. viro, ne proderetur, oblato plurimo ære, præſentis officij dignitatem, conatus eſt, quanquam incaſſum, precio redimere.

Quid

1043. Quid igitur Prædicans ille ab Hosio citatus (quanquam carnificinam exercuerit) hoc loco, quo de libidinibus & impura Prædicantum Vita disquiritur, loci habet? Multum enimuero: siue quia Regiomonti, totaque adeo Prussia, tanti splendore muneris floruit: siue quia ad cæteras, Prædicantum ordini proprias dotes, singularia libidinis exempla adjunxit. Hunc enim eundem (nisi Prædicantes pro sui gloria nominis alium insuper esse velint) opinor a Rescio in Atheismis, de Sacram: Ordinis, pag 69. ita descriptum. *Regiomonti in Prussia, ante aliquot annos, Ministrum agebat; Carnifex quidam, homanorum corporum lanista*, & (quod quidem hujus loci proprium est) *septem præterea, diversis in locis, Vivas uxores habebat; idque testatur Hosius.*

1044. Non facile divinaris, quod iste, aut quale siparium, tantis libidinum sordibus, vel tanto pellicum, vel potius juxta Evangelium Matth. 12. 45. *septem spirituum immundorum* gregi, obtendere etiam apud suos potuerit; nisi forte, ut istis, pro novi Evangelij indole mos est, in odium, contemptum, & invidiam Papæ ac Papistarum, id ab se factum dicat. Nam hoc ipsum, alius quidam Prædicans Vilnæ obtendit; de quo ita Rescius l. c. *Vilnæ habita est, Anno superiore* (fortasse 1595.) *Pseudo-synodus Evangelicorum, Majo mense: deprehensus est unus ex Ministris, ultra pontem, ut vocant, Bernardinorum in adulterio; atque a lictoribus castrensibus captus; in carcerem compactus est. Cùm de facinore reprehenderetur, respondisse fertur, Quod in despectum Papæ; qui matrimonium vult esse sacramentum, adulterium commisit. Atque ita evasit, ne quinque quidem grossis, pænæ loco persolutis, quos a Pōtifice exigi procuj uslibet facinoris expiatione, impudentissimè mentiebatur.*

1045. Pari supplicio, quanquam longe dispar flagitium, in Vilnensium quoque Patrum istorum Evangelicorum

gelicorum Synodo, alterius Prædicantis expiatum; ut facile conijcias, eandem fortaſſe prætenſam fuiſſe ſceleri cauſam. Quid enim grave, quid horrendum, quid juſtâ caſtigandum Nemeſi ſit, quod a Prædicantibus, vel Prædicantum populo, in odium, contemptum, & deſpectum Papæ, vel Papiſtarum geſtum ſit? Itaquè referente eodem Reſcio. l. c. *Teſtatur Andreas Iurgevicius* Canonicus Vilnenſis, a literis libriſque editis longe clariſſimus, *in Anatomiâ libri Volani; quod Miniſter quidam Litvanicus Turobolski, propriam filiam per ſummum ſcelus, conſtupraſſe dicebatur, fueritque hoc nomine a ſancta, ſcilicet, ſynodo Evangelica, nihil aliud quàm reprehenſus.* Digna ſcilicet tantâ furiâ Nemeſis! Quocirca, haut ſatis Evangelicè, judices illi videntur egiſſe; qui, teſte eodem Reſcio pag. 80. Miniſtro cuidam in Onoltzbach/ furcam & laqueum præmij loco detulerunt. De quo, aliiſque pluribus, infra prop. 13. n: 1140. uti de quibuſdam Polonicorum Prædicantum flagitiis Jungius lib. 3. c. 20. p. 417. & hic. prop. 18.

PROPOSITIO IX.

Ipſi Prædicantes Boruſſici, cùm cætera vitia, tum præſertim vagas & impuras fratrum ſymmyſtarumquè ſuorum libidines, & adulteria, celare ac diffiteri, amplius non poſſunt.

1046. QVæ Hoſius, quæ Reſcius, quæ alij ſcriptores Catholici, de impuriſſimâ Prædicantum vitâ memorant, quanquam veriſſima ſint, tamen vel eo nomine, quod ab adverſariis memorentur, negari a Prædicantibus ſolent. Quid ſi verò eadem, aut paria Prædicantum facinora, aliquis de Prædicantum ſenatu ſpectanda orbi exhibuerit? Erit is Caſparus Henneberger us, vel ab edita explicataque, ingenti volumine,

Geographicâ Prussiæ tabulâ, magnum ac propè augustum totâ Prussiâ nomen, ut Strabonem Borussicum jure vocandum nonnulli putent.

1047. Et videbatur sanè oppidò conducere, ne Catalogus ille Behmij prorsum hic negligeretur: ut, quæ ille suorum facinora, ad Decalogi seriem, quemadmodum Prop. 6 audivimus, narratione recensuit Hennebergerus exemplis illustraret. Sed quis esset finis, si omnium ordinum exempla, ab illo solo consignata, velimus percensere? Nam, si ipsorum duntaxat Prædicantum, eximia ad omnes Decalogi leges facta, vel obiter perstringamus, tempus nos deficiat. Missa proinde cætera faciamus; &, quæ sextum Decalogi præceptum, Angelicamque novorum istorum Evangelij præconum concernunt puritatem paucis referamus.

1048. Primus in hoc campo sese ostentat, qui & doctrina & autoritate, in aulâ Principis non postremus floruit, Ottomarus Eplinus. Si hominis doctrinam requiras, tanta fuit, ut Oratorem atque Ecclesiasten Aulicum in Arce deceret, adeoque vires homini ad scribendũ in Catholicos librum, *Postilla* dictum, & Mislentæ in *Manuali* non illaudatum, suggereret. Si authoritatem, vel potius fastũm *Prędicante* dignum; ea vel inde patebunt, quod homo nauci, Serenis *Poloniarum* Regi, centones suos, contra Magnum Card. Hosium aliosque Regni Poloniæ Episcopos, de Sacramento Eucharistiæ, sub utraque specie sumendo, consarcinatos, Anno 1560 dedicare sit ausus. Quin ad initium centonum eorundem palam gloriatur; *Expositas ab se nuper, & quidem coram, S. R. M causas; cur opus, ab se in Evangelia, ut vocant, Dominicalia, e Patribus collectum, eidem S. R. M. dedicarit.*

1049. Quid igitur, de tanto inter Prædicantes Prussicos heroe, Hennebergerus? *Paucissimis verbis*, mul-

tam

tam facinorum silvam; quando pag 183. palàm vocat, *per lustra & popinas illustrem concionatorem Aulicum.* Hoc enim, adeoque plus volunt illa theutonica; *Ottomarus Eplinus*, der versoffene / verhurte Hoffprediger / id est, *Ebriosus, & meretriciis, vel potius adulterinis sordibus infamis Eccelesiastes Aulicus.* Adulterinis, inquam, potius quàm meretriciis tantùm. Quis enim dubitet, fuisse aliquam Prædicanti illi meretriculam ad latus, quam uxoris vel concubinæ loco habuerit? & tamen quia præter hanc unam pleras que alias, per lustra & lupanaria venabatur (quis enim scortatorem. ne dicam per lustra illustrem diceret, si vna, quantumvis intemperantissimè, fuisset abusus?) meruit a suo collegâ etiamnum superstes, eum titulum quem cæteri Prædicantes, ijsdem facinoribus haud rarò merentur.

1050. Eplino adjungi posset Christianus Burchard Leunenburgensis in Prussia opidi Prædicans, quem viri nobiles, (quamvis laruati irrupissent, e relicta casu lancea agniti,) domi super lectum deprehensum, fune ad obscœnas corporis partes alligato, sublimem in alto suspenderunt; atque ita, cùm ad ostij aperti crepitum, fugam cepissent, pendentem reliquerunt; quoad filiâ etiamnum virgine domum reversâ, solutus liberatus que est. Quia tamen Hennebergerus pag 256 Prædicantem non castigandæ libidinis, sed explandæ arcæ domusque causa, suspensum memorat (quasi alia ligandi & tantisper coercendi hominis ratio defuisset, nisi *per quæ quis peccarat*, secumdum vulgi dictum, *per eadem* viris nobilibus videretur *puniendus*) fides penes authorem esto. Qui dum Prædicantis innocentiam tueri laborat, viderit quo jure, non modò avaritiæ acfurti, sed & immanissimi latrocinij, Vicinæ utique illi oppido nobilitati, notam inurat!

1051. Succedat igitur, quantumvis anonymus, non

tamen, in Prædicantum Borussicorum fastis, omnino ignobilis Evangelistes, & in pago Schmauch quondam pastor. Ipsius Hennebergi verbis, quantum quidem pudor & ratio honesti sinet, rem pertexam; ut aliæ Prædicanticæ virtutes, quæ in uno facinore eluxerunt, patere liquidò possint. *Hujus loci*, inquit ille pag. 424. *Prædicans è Lobaviensi tractu oriundus duxit uxorem tabernarij sive cauponis filiam.* Dignam sanè eo Jove Junonem, quæ scilicet ex æquo illud Iliad. 4. usurparet;

καὶ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι, γένος δέ μοι ἔνθεν, ὅθεν σοί.

Ipsa etiam DEa sum; unde tibi, inde mihi quoq, stirps est! Quid enim affine magis quàm Prædicans cauponi? quando illud è Plutarchi legibus τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλε, *æqualem tibi Vxorem ducito*, æquius iustiusque impletur? quàm quando Prædicans de cauponâ, *adjutorium similè sibi* ducat ad ambonam? Sed quid tandem, ubi iste suam *cascus cascam* duxit? Audi iterum Strabonem Borussicum.

1952 *Cùm Bacchanalia advenissent, obtenta à viro potestate, uxor ad propinquos in vicino pago demorantes, cum alia quadem abiit: sed* (haud dubie ut exploraret, veranè essent, quæ de impura Prædicantis, viri sui uita ac libidinibus spargebantur) *mutato habitu, operuit vultum suum*, quod in simili casu, etsi dissimili causa, de Thamar Scriptura dicit Gen 38 14. & 15: *& ad tabernam primo Vespere divertit, Ibique Prædicantem suum invenit. Prædicans* ad cæteras virtutes suas, pro more, *jam ebrius, uxorem non agnovit; accedit tamen, alloquitur, & occultis susurris, blandiciis, lenociniis, meretriciaque eloquentia domum suam invitat, eò quod uxor sua domo excesserit.* Quis neget verum Verbi Ministrum fuisse! *subito persvasit, & voto potitus est,*

1953. Quæ ab eo Prædicans alius in thoro gesta scribit, pudor & verecundia referre vetant. Illud tamen

sileri

fieri non poteſt. *ſimulata, ac mutata prorſum voce, rogatur a ſcorto ſuo, an id ſæpius patrarit. Confeſſus eſt & non negavit* Neque, ita confitenti, abſolutio ſua defuit. *Cùm illuxiſſet, mulier abitum ſimulat, ſed diſtinetur tantiſper a Prædicante, quoad is è taberna,* forte ad diluendam facinoris noxam, *crematum afferret. Abit ille, & cum cremato de taberna reverſus. inventam ad colum uxorem agnoſcit. Quæ cum facinus ſilentio premere non poſſet,* ad Doctorem *Georgium Venetum Pſeudo-Epiſcopum fama criminis delata eſt Conjectus in carcerem reus, hebdomadas aliquot exegit; & niſi, pro homine ſcil. innocente, multorum preces intervenuiſſent, officio movendus, multanduſque exilio fuit.*

1654. Quid ad tam Prædicanticum facinus, Prædicans Henneb ergerus? Non in ſe, aut Prædicantem ſuum, ſed in Papatū, & Papiſtas culpam reijcit. *Tales,* inquit, *homines e Papatu habemus!* Veriſſime dictum! Neque enim. ſi alij eſſent, ad vos profugerent: ut vel hinc pateat, verum illud eſſe, quod n. 1030. è Barclajo dictum, *ſynagogam Prædicantum, non injuria impurorum ſacerdotum lupanar appellari.* Quotus enim eſt, qui aliâ, quam libidinis cauſâ, eò tranſeat? Quoad vota, quibus ſe DEo & Eccleſiæ ſanctè obſtrinxerunt, integrè ſervant; aut quoad, pro humana imbecillitate, ſervare ſatagunt nuſquam a nobis ſecedent. At, cum effuſis in omne flagitium habenis ruunt; vel, cùm ſupplicia declinare amplius non poſſunt; tum enimverò ad publicum illud lupanar, omni virtute, atque adeo etiam ſpe ſalutis, cum pudore excuſſa, provolvuntur; tantò impudentius, ſceleratiuſque victuri, quantò ſub nuptiarum planè caninarum ſpecie, immaniſſima quoque ſacrilegia, lupanaris illius lege, permiſſa probataque impunè patrant.

2055. Ne verò Prædicans, fratrum ſuorum ſentinas in nos, uti hoc loco fecit, exonerare quoquo modo

possit; habeat jam aliquem de suis, quem & libidinibus illustrem: & tamen, nusquam ad synagogam suam e Papatu transiisse fateri debet. Describit Auream plane legendam de vita moribusque ejus. pag. 138. Verbo Georgenburg: quam iisdem referre hoc loco verbis operæ precium fuerit. *Paucos ante annos, fuit Georgenburgi Pastor animi elatioris, & de Calvinismo suspectus. Duxerat uxorem in Aula non ignotam, quæ* (ut scil. illud vulgi ore protritum *Prædicantibus raro aliquid puri, atque ingenui obvenit*, locum haberet) *multo maturius, quàm & hominum opinio, & nuptiarum ratio ferebat, parturire ac parere cœpit. Prædicans ea causa, Venerem suam minoris facere, & ad aliam, quæ cauponis sive Tabernarij uxor erat, adjungi; frequentius ad eam itare;* & *biduum sæpe triduumve apud suas delicias exigere.* N*equè minus tabernaria*, vel potius Clytemnestra illa quadrantaria, *officij, visitationis, humanitatisque vices rependere; quoad peste è vivis sublata est.*

1056. Ita divina justitia sceleri imposuit finem, quem *Prædicans*, qui inter alia Pœnitentiæ Sacramentum e mundo sublatum ibat, nunquam imposuisset: sed & vitæ Prædicantis ante, quàm sceleribus, finis venit. Audi enim quid Legendæ aureæ scriptor subjungat! *Anno proximè sequente, qui erat 1572. Pastor quoque ægrotare cœpit, & subitò,* (quis obstinationi hæreticæ exitus alius debebatur?) *in Desperationem lapsus est. Misit tamen nuncium Insterburgum,* quod oppidum vix M passibus inde situm est, *ad ejus oppidi Capellanum. Qui cùm venisset, ligatum,* vinculis nescio quibus, *inuenit, & unà, tum e verbis, tum ex aliis circumstantiis, aduertit, hominem inquinatæ esse conscientiæ; ideoque ut consolari,* & Prædicanticum illud malagma, quo suorum mentes ac sensus in somnum æternum componunt, adhibere Prædicanti *posset, ad exomologesin hortabatur.*

1057. Bonum factum! Jam & Prædicantes, qui

Fide

Fide & fiduciâ, aut potius præfidentiâ plusquàm insanâ omnes suorum morbos, ita levabant ut Sacramentũ Pœnitentiæ de medio tollerent, ad Pœnitentiam ægri recurrunt! sed qui, partim docendo, partim etiam prædicantice vivendo effecerat, ut in multis *Pænitentia* admodum esset *sera*, putas in se perfecturum fuisse, ut vel sua esset *Vera*? Audi. *Cùm homines è conclavi excessißent, videbatur quidem confiteri velle; sed nihil aliud in medium attulit nisi, quod magnus peccator esset; quod plurimum peccasset; quod peccata nimium magna essent. Iam verò perpetrata facinora quamvis sæpe cæpisset, referre in specie non potuit, quin semper obmutesceret:*

1058. Ergo etiam Prædicantes, qui suis suorumque conscientiis lenocinando, particularem omnium peccatorum manifestationem, carnificinam appellare conscientiarum, ideoque eliminare ab se solent, cùm tandem ad *Triarios res venit*, assumere id genus armorum ipsi quoquè volunt? Forte aliqui vellent; sed, uti meriti dudum erant, DEo vindicè sic permittente, non possunt. At, sunt Prædicantibus, quibus magnificè se jactant, sua de scripturis solatia, paræneses, & (quæ vulgo appellant Trostsprüch) lenocinia; ut, vel dormientes, vel etiam exanimes, ad spem erigant vitæ, veniæ, salutis, incolumitatis, regni quin etiam æterni.

1059. Sunt fateor, sed; quæ in *saliva* ut ajunt, *natent*. Nam ut vera sint, aut vere ad salutem prosint, nostri Prædicantis exempla obstant. Sic enim historiographus noster pergit. *Illi Capellanus multa ad solatium dicta admovit, adeoque illud* (quod isti Paracleti summum Achillem ducunt) *pronunciavit, Deus misit Filium suum, & pro peccatis mundi totius donavit; item, Gratiam Dei longè esse majorem, quam mundi totius peccata &c: Verùm (proh dolor!) omnia incassum, Ille enim semper respondebat, Majora esse peccata sua &c:*

1060 Parum abfuit, quin iste, (cum præsertim Prædicantum sit, nil nisi scripturas loqui) cum Caino exclamarit, *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Gen. 4. 13. Ne tamen sine omni criminum suorum confessione decederet, aut potius, ne posteri sanctimoniæ Prædicanticæ exempla desiderarent; vide miram, insolentem, & nonnisi à Prædicante expectandam, confitendi rationem! *Vbi Capellanus domum sese recepit,* inquit Legenda, *vocat Pastor uxorem suam, & in certo fenestræ loco arculam, sive riscum, sive cistulam sitam digito monstrat: & unà imperat, ut ephemeridas, sive calendaria aliquot, uti & epistolam quandam, quæ illic asservarentur, fidissimo amicorum, post suum obitum, legenda tradat, lectaque sine mora comburat.*

1061. Dictum, factum; Poterat enim mulier, relictam sibi a viro hereditatem, vel *absconditum, etiam in agro thesaurum,* ijs monumentis consignatum existimare. Quocirca, ut est in historia, *simulac Prædicans, exhalavit animam, Prædicantissa illum ipsum ad se Capellanum invitat; qui etiam assumpto ludi literarij rectore, ilico aduolat, cistulam, epistolam, ephemeridas, resignat, promit & qua potest diligentia legendo pervoluit,* Avidè mulier illa Prædicãticæ ἀποκαλύψεως μυστήρια expectat: sed, quod Jul. Cæs. Scaliger in Idea sua cap. 14 olim dixit, etiam hic evenit. *Femina aut minus quàm canem, aut plus quàm senionem jacit* Jacta utique fuerat alea, sed jactus, minus etiam quàm canem dedit. Audi enim, atque obstupesce, quæ, Hennebergero teste, illis ephemeridum epistolarumque monumentis, Capellanus rectorque ludi invenerint! *Invenerunt,* inquit ille, *utrobique consignatum, quo pacto, quo loco, ac tempore, extinctus ille Prædicans, non modo cum tabernarii uxore, verùm & cum Ancilla sua flagitium perpetrasset!*

1062. Hem

1062. Hem fastos Prædicantum consulares! hem calendaria, à facinoribus, vitâ, gestisque Prædicantũ rebus, memoranda! Sanè cùm eæ res, ab obitu Prædicantis, memorari cæpere, quid sequeretur aliud, quàm illud, *Obstupuère omnes &c.* Sic enim Hennebergerus Legendæ colophonẽ imponit. *Silentio res omnis involuta, est quoad caupo ille aliam ducturus, præsente ludi rectore, ad pocula defunctam uxorem, laudare eo magis cæpit, quo minus nosset, qualem deinceps esset habiturus. Cum autem rector, quæ prioris virtutes,* ac beneficia vel in ephemerides juxta Senecæ præceptum referenda, *fuissent, memoraret, caupo furore correptus, sævire in defunctam quoque voluit. Et fecisset, nisi ab alio Prædicante, imò ab ipso Arcis præfecto, placatior factus esset.*

1063. Estnè, quod in omnibus historiæ Prædicanticæ monumentis, præsertim in Prussiâ nostra, simile videamus! Est profectò, atque eó etiam grandius, vel potius dirius, quo in unum Prædicantem, & eum quidem non postremæ notæ, plures aliæ sordes vitiorum, quasi in sentinâ aliquam, alluvione conjunctæ, libidinibusque mixtæ sunt. Erat is *Ioannes Vernerus*, cujus Acta Hennebergerus pag. 246. & seq. Verbo *Landsberg*, diffusè prosequitur. Rem paucis ita habe.

1064. *Ioannes Vernerus natione Saxo, Lubeca (ubi tempore belli Prædicantem ad classiarios egerat) Regiomontum venit, & in* **Kaymen** pago, a rusticorũ in heros magistratusque suos rebellione, quod Disq. 24. prop. 2. vidimus, inprimis nobili, *Pastoris Prædicantisquè officio functus est. Cùm autem & aliis excelleret dotibus, & carmen non insulsum scriberet, Regiomontum Vocatus, & Capellanus in Arce, in Academia verò. D. Vigando,* (jam supra nobis memorato Pseudo-Episcopo) *promovente, Magister creatus est.*

1065 Vel hinc agnoscas, quantus fuerit Vernerus,

qui ab ipso Vigando, in tantâ tamque publica, tum Academiæ, tum Aulæ luce positus est; ut utrumque illic locum, novi luce Evangelij illustraret! Et illustravit sanè, sed ut Prædicantem decuit. Nam, ut Hennebergerus ait, *Vita & mores in homine admodum erant suspecti; eò quod cum alienis tum uxoribus, tum etiam Virginibus commercium haberet. Qua de causa & Ministerio Arcis exclusus est.*

1066. Prima hæc Verneri, de Prædicanticis, virtus fuit, Virgines, & uxores alienas Venari. Mirû porrò est, Evangelicum hunc caprum per adulteria, & omnium castra libidinum infamem, nullum crimen sed suspicionem duntaxat criminis incurrisse; & tamen, vel ob suspicionem solam, officio, & arce exturbatum esse! Sed audiamus, quid de Vernero suo Hennebergerus attexat.

1067. *Cùm aliquandiu vagus, primum in* Lichtenhagen/ *deinde verò in opido* Landsberg / *à L. B. Ioanne Iacobo Truchsesio a Valdburg, Pastor esset creat⁹; in ejusdem sese Baronis gratiam ita insinuavit, ut omnium arcanorum, adeoque & thesauri conscius esset. Moritur interim Baro Regiomonti; heredes domo, & rebus domi, præsente Vernero, compositis, adeoque manu Verneri signatis, ad deducendum funus, Mulhusium usque progrediuntur omnes. Vernerus, dum fenestræ ac Valuæ Domus occluduntur, unam submoto repagulo, clam patentem reliquit; qua etiam noctu introgress⁹, arcam ferream cum omni thesauro abstulit.* Ita scilicet hero atque Evergetæ suo gratiam rependit, qui illi *Ovem*, ut ajunt, *lupo commiserat.*

1068. Estne, quod ad tantarum libidinum, furtorum, vel potius latrociniorum, & aliorum vitiorum cumulum, adijci in uno Prædicante potuit! Est profectò, idque non planè leve; nisi fortè, apud Evangelicos istos Patres, levia delicta sint, Perjuria, Execrationes, mixtę libidinibus commessationes, Desperatio,

Vene-

Veneficia, ac denique omnium coronis αὐτοχειρία. *Cùm enim heredes*, ut ait Hennebergerus loc. cit., *domum reversi, furto & tanta domus calamitate consternati, authorem facinoris inquirerent; & Pastorem suum Vernerum, in inquirendo operam suam ne negaret, orarent, ille omnibus ad populum concionibus; illud unice & quidem magna severitate, ac supercilio prorsum Prædicantico, Deum rogari postulabat, ut author furti tandem proderetur.* Quid ista hominis fraude impudentius? quid impudentia fraudulentius cogitari potuit?

1069. *Verum-enim-verò Deus non irridetur! Cùm nemo omnium Prædicantem in suspicionem criminis vocaret, (quo tamen tempore multi innocentissimi vocati sunt) ille demum ipse sese ita prodidit. Domi juxta ac foris magnificè ubique se gerebat; grandes numos & auri pondera, pro occasione ostentabat, vel etiam donabat; emebat non modò libros multos ac præclaros, verum, cum Medicus ipse esset, multa etiam preciosa pharmaca; sed & puellas juniores* (ne scil. miles, in castris Veneris ita exercitatus, neglexisse artem videretur) *donatis sigillatim numis aureis alliciebat &c. Quæ cum essent animadversa, missis a Principe satellitibus ac ministris 18. Febr. Anno 1588 ipsis Bacchanalium diebus, cùm filio recens edito epulum geniale magnificè apparasset, comprehensus; & nequidquam diu vitilitigando, in currum conjectus Eilaviam est abductus.*

1070. Nescias, an eo curru Veritas de tot mendaciis, strophis, & fraudibus; an potius Dæmones de ipso Prædicante triumpharint! *Cum enim itinere toto, veste pellibus vulpinis suffulta sese involuisset, & satellites, frigoris causa, ad Viri nobilis aulam deflexissent; ille curru sese non movit. Redeunt illi, & Prædicantem vultu sursum erecto, oculisque manantibus, horridùm tuentem & ingemiscentem inveniunt, Viamque prosequuntur. Ecce autem tempestas, & turbo nivibus pluviisque mixtus, subitò coortus in currum recta fertur:*

pile-

pileum, & mitellam pileo subjectam, e capite Prædicantis in sublime rapit, & post aliquot agri jugera jactat! Accurrunt gemini equites, pileum sudore penitus manantem referunt; at, dum capiti parant imponere, vident linguam Prędicantis, ad digiti longitudinem exertam, atque horrendum in morem nigricantem; ipso Prædicante crudelè rugiente!

1071. Quid facerent, tam diro Ministri spectaculo consternati satellites, ac ministri? Referet, uti cæpit, Legènda *Accelerant cursum, & tandem arcem ingrediuntur, Prædicante jam extincto. Constat, tum e vestigiis in barba ac pera repertis, tum e Medicòrum ac chirurgorum judiciis atque indiciis, Veneno sumpto, aut etiam rapta a malis geniis anima extinctum. Testantur enim satellites cum Landsberga progressi essent ipsi equis, duos alios pedites sibi prorsus ignotos, juxta currum celerrimè decurrisse; quoad cum tempestate illa ac turbine in altum sublati, disparuere Cadaver a carnifice trabæ impositum, extra civitatem tractum, juxta patibulum denique sepultum fuit*

1072 Tragica prorsum catastrophe! sed pręcessit Comica planè Actio Prędicantis. Nam & in sequente, quæ alterius Prędicantis scena est, actoris sibi partes Vernerus sumpserat, Agebat etiamnum in Arcę Aulaque Regiomontana Capellanum, cùm à Prędicante quodam ę Curlandia, Tragica Regiomonti scena aperta, tristi spectaculo septennium integrum spectatores tenuit! *Ioannes Dimlerus* (ut, quę pag. 225. inter res Cneiphovię gestas Hennebergerus narrat compendio quàm brevissimè complęctamur) *apud Curlandos, in Dorben Pastor ac Prædicans, Anno 1573. Ioanni filio apud Christophorum Vngermannum Academiæ Regiomontanæ per annos 30. Secretarium mensam, & hospitium conduxit. At filius, mali corvi malum ovum, scholæ & literarum, omnisque disciplinæ pertæsus, fuga se clam subducit, relicta apud omnes prope immensa suspicionum nube.*

1073. E-

1073 *Erat id temporis Regiomonti pellio quidam, a magia cæteri/que veneficorum ſtudiis non ignotus, eum Prædicans in Curlandiam uſque accitum* (vide quam in ſuis rebus aram Prædicantes adire primo loco ſoleant!) *de filio ſuo percontatur. Reſpondet ueneficus, filium intra ædes Vngermanni jugulatum, & cadaver in forica ibidem ſepultum eſſe. Aduolat ilico Prædicans Regiomontum, & Magi teſtimonio,* non ſecus ac prætenſo alias DEi Verbo, *confiſus (quanquam Magus dicta jam revocaret, & quæ dixiſſet in ſomnis ſibi viſa diceret) etiam intra foricas, ope carnificis,* non tamen ſine judicum ſententiâ, *filium,* dignum eo loco theſaurum, *inquirit.*

1074. *Sed cùm nihil reperiſſet,* putares gemino pudore ſuffuſum, *injuriæ veniam ab* Vngermanno *petiiſſe.* Ita quidem & ille facere videbatur, ſed uti eventus docuit, fraudulenter, vel, ut minimum, Prædicantum fide ac levitate. N*am ubi magus ille,* Prædicantum utique ope ſuffultus *comparata falſorum teſtium manu, Actor ex reo ſubitò effectus, Vngermannum, totamque illius domum ac familiam, patratæ cædis reos poſtulare ita cæpit, ut alij omnes ad vincula & carcerem, ſeruus verò & ancilla, inſuper ad eculeum & cataſtam depoſcerentur! Prædicans Dimlerus, (quanquam impetrata nuper Venia, nunquam ſe proſecuturum cauſam ſpopondiſſet) iterum e Curlandia advolat: mago ad proſequendam litem, & ut minimum, ad ſeruum & ancillam eculeo cruciandos, novos advocatos, teſtes, & alia ſubſidia adjungit. Quibus omnibus, cum Prædicantem, Aulæ & Arcis Eccleſiaſten,* de quo proxime actum, *Ioannem Vernerum, quaſi caput familiæ præfeciſſet, in Curlandiam iterum ſe recepit.*

1075. Vide hic mihi Prædicanticam fidem, conſtantiam, gravitatem! Non ſatis erat magorum, vel potius, per Magos, Dæmonum imploraſſe opem: non homines innocentes, honeſtos, familiaritatis hoſpitijq;

jure

jure sibi conjunctissimos, crudeli obruisse calumnia, imo & capitis iniquissime postulasse; nisi, contra datam etiam ab se fidem calumnias, falsa testimonia, & intentatæ mortis pericula augeret; imitatus illum, qui Luc. 11. 26. *Vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se &c.* Nisi fortè Dimlerus (ut de virtutibus tum magi illius, tum carnificis mago, uti vidimus, adjuncti, tum aliorum quatuor, partim advocatorum, partim testium, quorum tragicos exitus Henneberg. recenset, nihil dicamus) ipso quoque Vernero nequior fuerit.

1076. Certè Vernerus ad varias criminationes, stropham planè Prædicanticam adjecit. *Asserebat enim, puerum in ædibus Vngermanni occisum; idque se ex auditu coci* (qui id temporis apud Vngermannum versatus, ob alia crimina in furcam actus fuit) *confessione certò scire. Postulatus ut idipsum coram tribunali judicum palàm edicevet, negabat sibi fas esse, quæ in confessione audisset, aliis enunciare. Quo etiam pacto, flammam suspicionum plurimum accendit. Censebant enim omnes, si Capellano per Confessionis arcanum* (quod ille tamen, alijque Prædicantes, ita uti apud inferos affusam Vasa Danaidum aquam, servant) *fas esset proloqui, quæ sciret, Vngermannum cum suis, haud injuria succubiturum.*

1078 Acta hęc tragœdia Regiomonti septem integros annos; non sine maximo, famæ, fortunarumque Vngermanni, naufragio; cum interim filius Dimleri, digna Prędicante indoles, toto illo tempore, in vicinis Regiomonto pagis, apud rusticos serviret, & omnes rusticorum ac servorum operas laboresque obiret; non ignarus malorum, quæ sua causa innoxij homines paterentur; quippe qui & Regiomontum sępè viseret, & in familiam Vngermanni obujus interdum incurreret. Sed, vel ex hoc Prędicantum pullo colligas, quę istorum sit in proximum caritas! quæ animi indoles! quæ studia educationis ac disciplinæ!

1079. Et quid multis? Dum iste in Prussia latet, alius in Curlandia puer, nomen personamquè illius ac vultum, quoad potuit, ementitus, ita à Dimlero Prędicante acceptus est, ut agnitus, fraudem illam capitis supplicio expiarit; cùm interim illę quoque in Prussia tandem è versu, quem in fenestra exararat, agnitus, & Vngermanno Regiomonti redditus, atque octingentis ab eodem florenis redemptus, cura & opibus parentis adjutus, ob tâm egregias scilicet virtutes, sponsam de pręcipua nobilitate, ad primum inCurlandiam reditum, invenerit & Tragicam illam actionem, plus quàm comica hilaritate, ad Prędicantum artem, eodem Henne-bergero teste, finierit.

PROPOSITIO X.

Vita & mores Prædicantum, uti & populi Prædicantici, multò quàm Catholicorum sunt inquinatiores.

1080. PArantem me, plura de heroicis Prędicantum facinoribus, (quanto enim eorum doctrina impurior, fędiorque sit, vel ipsorum testimonio sup. n. 302 patuit) exhibere orbi Christiano exempla; occurrunt in tempore Prędicantum filij; atque ita auriculam vellicant. Quid tu? à moribus ad doctrinam Evangelij argutaris! Primum enim, utut impuri sint Evangelicorum mores, at puri sunt ipsi Evangelij fontes Tum deinde quantę in Vita Pontificum, ac Pontificiorum sordes! quę vulgi, quę Cleri, quę Monachorum, quę omnium Ordinum inquinamenta?

1081. Audio ego isthęc, & prius quam id, quod primo dictum est loco, expediam, aut potius cum Bellarmino *De Gemitu Columbæ*, Hosio Epist, 10, aliisque

scrip-

ſcriptoribus Catholicis, non tam atramento, quàm lacrymis exſcribam, poſterius aggredior, vel unius Hennebergeri cauſa. Ille enim, cùm ſuorum vitia, & effœnatas libidines celare non poteſt, audi quid Prędicantis illius Georgenburgenſis Calendario, (de quo hic n. 1055, & ſeqq) attexat. *Cùm hujuſmodi hiſtorias, Papiſtarum ſacrificuli audiunt, omnia apud eos plauſus & gaudij plena ſunt: ut uix aliud ore circumferant. Vident enim ſubitò feſtucam in oculo alieno, qui in ſuo trabem videre non poſſunt. Quin homines miſeri ac planè cæci reſpiciant, quo loco hæreant. Doctrina enim illorum nova eſt, & falſa: vita verò inquinata & corrupta. Quantumvis autem Voveant ac juramento firment caſtitatem; in iis tamen libidinis quin & inceſtus volutantur ſordibus, ut vel audire horror ſit. Et non deſinunt ſuam, quam aliis quoque hominibus venum proponunt, jactare ſanctitatem!*

1082. Non eſt hujus loci, omnes, hoc ipſo loco, à Prędicante offuſas diſſipare criminationes; pręſertim cùm de Doctrina, qua iſtę vitiorum catarractę panduntur, prop ſeq. diſquirendum ſit. Illud hic porrò videamus, an, quę Prędicantum oculis circumfertur, nil niſi Feſtuca ſit? quę verò noſtris, Trabs? Ac Barclajus quidem, *lib* 1. *paræneſ cap*. 4 á vita moribuſq; Catholicorum, ſi ad Prędicantum referantur mores, haud veritus eſt, experientia quoque teſte, palàm adſtruere, cùm apud nos plurima ſint publicę pietatis monumenta, in Prędicantum Synagoga, id propè ſtudio agi, ut publicæ fores Impietati ubique pateant; vel, ut Bullingerus voluit, ut omnes à vigente Vbique impietate, Prędicantes Vbiquiſtę dici poſſint.

1083. Jam verò *cap*. 8. oſtendit, neque unquam Catholicis defuiſſe, neque hoc ſeculo deeſſe, eminentiſſimę, & vel ipſis hoſtibus probatæ ſanctitatis viros; cùm ſectarij, ne quidem unum ex infinito ſuorum, pręcipuę

cipuequePrædicantum numero exhibere possint, qui vel levissima, non fucatæ sanctimoniæ, vestigia usquam impresserit.

1084. At verò Costerus, *Apolog. cap. 66. pag 364.* Adrianus Jungius *lib 2. Synopseos cap. 18. pag 218.* alijq; passim evincunt, multò gravius Prædicantes, & Prædicantum populum, quam inter Catholicos fiat, in luxum cęteraque vitia diffluere. Denique & Thomas Bozius de Signis Eccl. lib. 12. cap. 1. & seq. Vitam moresque impuros, ad eos, qui à Catholicæ Ecclesiæ castris profugere, docet pertinere.

1085. Quod, quàm sit verum, vel ipse Lutherus cap. 22. colloq. mensa. pag. 224. a. docuit. *Anno 1538. die 17. Aug. deplorabat D. M. L. eas, quę superGermaniam exundaturæ erant, propter contemptum DEi malitiāq; inde orientem calamitates. Sic enim ajebat. Simul atque initium alicubi apostasiæ factum (quod quidem, ut Syrach. cap 10 queritur, omnis quoque superbiæ initium est) vi atquè impetu facto vitia quoque exundant: uti proh dolor! nunc videmus.* Brevi enim tempore, vicesimo scil. ab exortu Lutheranismi anno. *ita mundus superbiâ, præsumptione ac præfidentiâ*, virtute Prædicantum propriâ, *avaritia, asperitate. insolentia ac crudelitate obsitus est, ut necesse sit Deum non conniuere, sed castigare.*

1086. Si Lutheri judicio publicum vitiorum diluvium Apostasiæ signum est, quis neget Apostaticam esse Prædicantum synagogam, in quâ, ut hic prop. 2. 3. & seq. vidimus, cum multis suorum Lutherus fatetur, tanta omnium est vitiorum redundantia. Sed Hennebergerus *Festucam* adhuc in suo, *Trabem* in nostro oculo intuetur! Collyrio homini opus est, ut ritè videat. Id ego illi cæterisque Prædicantibus collyrium ex ipsius potissimum Hennebergeri opere, paucis hic dabo.

1087. Ac principio, ex te Hennebergere quæro: Si nobis trabs, festuca vobis oculos pervasit; si, inquam, in nostra major est, quàm in vestrâ Ecclesia, libidinis vitiorumque omniũ sentina, quid ni eam toto illo opere tuo, quo tuorum sordes præterire minimè poteras, nobis, orbique spectandam exhibuisti? Tu qui Prædicantum quoque tuorum, tam multa, & tam fæda impuritatis spectacula, quorum superiore prop. nonnulla vidimus, non illiberalis utique munerarius dedisti; si quid in Catholico populo, ac populi illius ductoribus, præsertim sacerdotibus, vel limis observasses, intactum indictumque preteriisses? Unius duntaxat Monachi, (cujus tamen neque nomen, neque Ordinem memoras; quia fortasse ad Ordinem Prædicantum, ut fieri solet, noras translatum) facinus, inter acta Gedanensia ad annum 1556 pag. 95. eloquentiâ, fortasse & veritate, tragicâ repræsentas (quod quidem æquius in Prædicantum flagitiis multo verioribus, ideoque majoribus tum supra n. 1045. tum infra n. 1139. faciendum erat) & tu cætera, silentio involvisses?

1088. Quot sunt Catholicorum in Prussiâ Vrbes, oppida, vici? quos Hennebergerus, perinde uti & cætera loca, à suis infessa, depingit, & à rebus inibi gestis illustrat? Et monstrat ille quidem alicubi nonnulla, etiam in Catholicis Sacerdotibus, impuritatis, aliorumq; scelerum vestigia: sed quæ non uno jam, sed multis retrò seculis, à primâ scilicet Evangelij in Prussiâ luce, ad Prædicantum ortum fuêre impressa. Quo verò tempore Prædicantes illic nidum fixere, vix toto, & tam vasto volumine, exemplum Vnum manifestæ alicujus impuritatis, vel Palmarij alterius facinoris, quod præsertim à Catholico sacerdote patratũ sit, proferre potest.

1089. Quin (quod sanè mirandum, & Evangelij Prædicantici singulare præconium est) quæ tot secu-

lis retrò actis, sive Cleri, sive populi Catholici, vitia usquam memorat; neque magnitudine, neque fœditate, neque demum numero comparanda cum iis videntur, quæ per ãnos circiter sexaginta (tot enim fere ad id tempus, quo ille historiã suam edidit, a Prædicantium in Prussiam adventu, evoluti erant) sub regno Prædicantico in eadem Prussiâ erant gesta. Cui animus atq; otium est, decurrat volumen illud, & quæ utroque tempore atque regno gesta ille consignavit, inter se conferat; animadvertet, ut spero, dimidium fere Prædicantici regni seculum, tot actis retro Catholicorum seculis, quoad omnes flagitiorum, ac præsertim libidinum sordes, multò esse feracius ac fertilius.

1090. Sed finge, Catholicorum etiam sacerdotum paria, vel etiam majora flagitia, necdum Prædicantes istud Bullingerianæ Ubiquitatis regnum, Catholicis concedant. Quid enim? Objectant nobis Episcoporum, Summorumque adeò Pontificum flagitia! Fac vera esse, quæ tamen nusquam vera demonstrarunt, nusquam demonstrabunt! Adhuc locus erit veritati illi, quam Bozius alijque non pauci tradidére; vid. *Pessimum inter Summos Pontifices, etiam sanctissimo quovis Prædicante meliorem ac sanctiorem esse.* Ut enim nostris, (quia homines, & humana duntaxat authoritate, non etiam naturâ vel conditione superiores sunt) labi, atq; in aliquo vitiorum cæno eveniat cespitare; id fere humanâ mobilitate atque imbecillitate animi, quàm, quemadmodum in Prædicantũ castris, malitiâ & quasi erudita ad flagitium Curâ atque industriâ evenit.

1091. Fateri id coactus est quidam ex adversariorum factione Doctor, in dictâ Vittemb. disp. pag. 18. citatus. Non *inficior,* inquit ille, *etiam sanctos labi, & lapsos ex infirmitate naturæ resurgere in Novam vitam. Hic veró peccatur, non tam ex infirmitate naturæ, sed ex propo-*

 sito

sito, & certa intentione ac præmeditato consilio; ut quælibet secta Fastui suo & Ventri consulat. Et proinde tale peccatum, est contra Spiritum sanctum, sciendo & perseverando peccare. Quin & Lutherus ipse in cap. 47. Gen Tom. II. Vitemb Ger p. 280 fateri id cogitur. *Quo plus*, inquit, *prædcatur*, (quantum, vid Prædicantum & Lutheri Evangelium) *eo homines fiunt deteriores. Peccata eorum nimium magna sunt. Quia non peccant, ut ante in Papatu, ex ignorantia; Neque enim in intellectu error ullus est; sed contra lumen intellectus, nolunt homines eo induci, ut corrigi, & probi esse velint.*

1092 Adhæc, ut aliqua, etiam in Pontificũ albo, nomina a flagitiis notanda sint; quid mirum tot seculorum lapsu aliquos vitâ moribusque esse lapsos (nam de doctrina & fide Petri, super Petram æternùm solidàtâ, ne quidem fas est dubitare) cùm in Prædicantum albo, vix aliud quam atri, vti vidimus & prop. 13. videbimus, occurrant calculi, & vel feralia Θ, vel noxia C; vel, non minus in mores, quàm intra præcordia figendi obeli!

1093. Quid inquam mirum, si vel in Apostolorum collegio Judas aliquis; vel in cælesti Angelorum sublimissimorumque illorum spirituum regno Lucifer, & aliqui Luciferiani; & in augusto mysticoque Ecclesiæ Christi corpore, (quemadmodum in sole, Luna cæterisque sideribus maculæ) aliqui nævi, videri videantur, aut etiam reapse se prodant; cum vel in toto Prædicanticę Ecclesiæ corpore, magis, quàm in liliato, Calvini tergo, nihil fere aliud nisi stigmata pareant? vel, in novo illo Angelorũ novorũ cælo, quod & Anticyræ n 154 & 165. demonstrarunt, vix aliud quàm Luciferos & Luciferianos, vel, denique in istorum cætu Apostolorum Iscariotas multos, Petrum ne quidem unum invenias? Et tamen Ecclesiam Predicanticam, vix

vix seculum integrum sol aspexit! quanta & quàm fœda visurus, aut potius, quàm & oculos, quasi àb Atrei Thyestæque mensâ ac domo, retro actu us, si vel unius adhuc dimidij seculi interuallo, tam fœdis cogatur frui spectaculis!

1094 Fac deinde, ut Prædicantes ex eo Asse qui Pontificib⁹ Summis, qui Episcopis, qui Clero Catholico obvenit, habeant vel semissem, vel etiam trientem: fac, inquàm, habeant eas opes, fundos, familiam, libertatem, occasiones, &c. quæ ad vitium quasi manu ducere impios solent, illicia! Ausim ego dicere (id quod & Erasmus, apud Hosium Tom. 1 pag 491 & Jungius infra n. 1182. & plerique sapientum apud Regiomontum quoque non diffitentur) neque insolentius, neque impurius, neque per omnia scelera inquinatius bipedum genus fore, quam forent Prædicantes. Quibus enim modò tam multa allubent, cum tam pauca licent; quid futurum credas, si uti multa libent, ita multa liceant? Qui cum Pseudopropheta Sedechia 3 reg. 22. 11. falsis ita sese cornubus jactant; quid facerent, si vera haberent? Opus enimvero esset, unicuique mortalium, ad cujusvis Prædicantis occursum, inclamare cum Marone, Eclog. 9.

Occursare CAPRO (Cornu ferit ille) caveto.

PROPOSITIO. XI.

Vel ex ipsâ Prædicantum Regiomontanorum vitâ, atque exemplis constat., multó apud illos, quàm ferè usquam apud Câtholicos, fœdiorem Vitiorum stagnare Camarinam, âc proinde plus etiam Bullingerianæ Vbiquitati loci illic esse.

1095. Ne quis aut malignè, aut contumeliosè potissimùm in amplissimam, nobilissimam, mihique carissimam Regiomontanorum Vrbem, dici à me quidquam interpretetur, fas, ut opinor mihi erit, quæ Hennebergerus, si non verbo (quanquam & id minimè desiderari hic n. 1090. seq. passus est) saltem opere ipso asseruit, verbo proloqui. Quid igitur istud est? Nempe, dimidio illo Prædicantici in Prussiâ regni seculo, in omnibus Catholicorum, per eandem Prussiam, urbibus, oppidis, ac villis, non fuisse tot, & tanta, quot, & quanta apud Regiomontum designata, ac fere ab uno, Hennebergero excepta calamo, flagitia.

1096. Quin, & ea Catholicorum flagitia, quæ ille, tot ante regnum Prædicanticum, seculis patrata memorat, vix numero, fæditate, & magnitudine, cum iis conferenda sunt, quæ idem Regiomonti gesta consignavit. Deniqúe, quod ipse ego vix crediderim, vix in opidis omnibus, locisque, Prædicantum regno in Prussia subjectis plura quam Regiomonti impressa vitiorum omnium vestigia.

1079. Quid enim quæso alibi invenias, quod ille, & quidem fere etiam ab ipsis prædicantibus, Regiomonti gestum non memoret? Invenies alicubi veneficos, magos, necromanticos, sagas, & id genus dęmonum satellitium; uti in Domnnaw pag. 3. hortulani uxorem à Dæmone raptam & in stagno mersam &c. At idem fere Regiomonti in suburbio Roßgarten Anno 1588. contigit; ubi civis cujusdam uxor, juxta piscinam in hortum ab alto projecta, cum nulla humi inter nives apparerent vestigia, elisis faucibus inventa est, uti pag. 195. legi potest.

1098. Non memorabo militem pag, 220. vel sutorem pag. 234 & seq. Regiomonti à Dæmonibus per äera vectatos; non repetam, magorum oracula, in inquirendo

do Dimleri Prędicantis filio, consulta, ut supra n. 1893. Nihil dicam de Prędicantum combenbone, vel potiùs pullo, illo in Steinbeck ludi rectore, cui, ope dæmonum thesauros inquirenti, fauces ita elisę, ut Regiomonti ad Annum usque 1577. quo extinctus est, nulla spe curari, vel in pristinam sedem restitui potuerint, de quo pag. 438.

1099. Ad ipsos Prædicantes Regiomontanos venio. An non Prædicans erat Andreas Osiander? Et quidem uti n. 321. & alibi vidimus, Prædicantum Princeps, vel quasi quidam *Rex sacrorum.* At hic ipse *Osiander*, ut inquit Henneb, pag. 182. *Chiromanticus erat; quin & Ioannem Rügkerum, commensalem, in chiromanticis discipulum habuit. Cui Anno* 1540. *signum quoddam in manu sua, cùm exhiberet spectandum, rogavit, quid illud notaret? Ac tacente quamvis non omnino inscio Rügkero, Hæreticum inquit signat; & ego quidem hæreticus sum, sed, Papæ scilicet, Hæreticus.* Et miremur, si idem Osiander *horrendum rugiens,* uti Henneb ibidem scribit, *animam orco reddidit?* Hos inter psalmos ac hymnos, venefici, & magi, quasi quædam Orci lusciniæ, expirare solent.

1100 An non Prædicans, aut plus quàm Prædicans erat Petrus Paulus Scalichius, qui, ut Mislenta Manual. pag. O 1. ait, *circa Annum* 1566. *&* 1567. *varios in Prussia errores sparsit, eosque in multivarios fidei articulos impingentes?* At hic ipse magiâ, fascinis, notis, & characteribus, ipsâ Dominici Natalis nocte procusis, aliisq; veneficiis suis, Ducem Prussiæ Albertum I ac totam ferè Prussiam, ita dementarat, ut, quod Henneb. pag 187. scribit, *pro Comite,* imò & Principe à Scalâ, *ipsiusq; Principis Avunculo, vel consobrino haberetur. Quibus artibus multas opes & fundos congessit; sed Vitam inquinatissimam cùm duceret,* accedentibus in Prussiam Commissariis Regiis, de quibus sup. n. 637. *fuga se subduxit. voce carnificis*

nificis proclamatus infamis, & horrenda morte alibi consumptus.

1101 An non Prædicans erat ille, qui ut Henneb. pag. 325. narrat, *ante paucos annos, haud procul Regiomonto cum rustici ad sedandam quæ pago ingruebat, pestem; pro insolita superstitione, vel potius veneficio, cadaver peste primo loco sublati. è terra effoderent, ut deinceps ligone vel rutro caput eidem præsecarent; ipse præsens adfuit & consilio auxilioq; negotium promovit?* Ne ipse quidem Hennebergerus excusare fratrem suum, aut committere hoc loco potuit. quin exclamaret. *Propitius sit terræ DEus. ubi hujuscemodi Pastores inveniuntur. Et tamen, malunt hoc tempore rustici*, forte & reliqui in Regno Prædicantico cives, *istiusmodi potatores; & in popina socios, quàm* (quales in Catholicâ duntaxat Ecclesia sunt) *veros animarum custodes.* Sed *volenti non fit injuria, ut alius alium comitetur ad Diabolum,*

1102 Invenies alibi blasphemos, &, in Deum juxta ac homines contumeliosos, uti in Manßfeldt sartorem illum, qui à Passione Domini, canem suum vocavit GOttes Marter / ideoque cum cane & domo, fulmine ictus interiit pag 265. Non deerunt ejusdem furfuris Regiomonti, etiam Prædicantes. Talis fuit Franciscus Friedenhammer in antiquâ Vrbe Capellanus; qui teste Henneb: pag. 183 ajebat, *Sanguinem Christi tantum nobis prodesse, quantum rustico lancea, quam à tergo gestat.* Ipse Princeps suâ manu ad Osiandrum scripsit, ut blasphemum os castigaret. Quod, cum non esset factum DEus ipse castigavit Anno 1552. die 49 Martij pro concione obmutuit; indè domum ductus, & ad 25 Maij mutus, animam exhalavit.

1103 Talis & M. Joannes Sciurus, in Academiâ Græcæ linguę Professor, & simul Ecclesiastes; qui, ut testis est Henneb. pag. 183. *cùm neque modum, neque modestiam*

destiam blasphemando teneret, ad primum de Michaelis Beer amici Prædicantis morte, de qua infra, acceptum nuncium, horrore juxta ac pestilentiâ perfusus, subitò interiit.

1104. Invenies alibi homicidas, & humano sanguine madentes: Sed & Regiomonti sub Regno Prædicantum ij non defuerunt. Anno 1549 fratrem frater matri colloquentem pugione confossurus, ab eodem ipse, spectante matre confoditur, ut narrat Henneb. pag. 216. Anno 1550. Joannes Wegener pistillo mortarii, vitricum æquè ac matrem, eadem horâ occidit; agnitus è sanguine, quo calcei ejus madebant, candente ferro ustulatus, & in rotam actus est. *Idem ibid.*

1105. Anno 1578 duodecim sartores mutuo consilio atque operâ, unum itidem sartorem crudeliter occiderunt. *Idem Pag.* 241 De Barbara Preussin, & aliis matribus in suos partus, supra ferarum morem crudelissimè freqentissimeque sævientibus ex eodem Henneberg. pag. 218. jam supra audivimus.

1106. Invenies alibi adulteria, incestus, & id genus carnis flagitia. *Anno* 1546. inquit Henneb. pag. 427. *Mater & filius, nobili genere nati, qui ex infando incestu ternam prolem succeperant, capite truncati, & in rogum conjecti apud Schocka oppidum incinerati sunt.* Sed neq, Regiomonti desiderabis, si vel Hennebergerum legas.

1107. Anno 1568 chirurgi cujusdam Regiomontani uxor, nomine Charitas, ob varia adulteria, die 10. Decemb. capite plexa est; *pag* 214. Anno 1548. pictor quidam Regiomontanus, sexaginta annorum silicernium, idemque insuper hydropicus, rogo absumptus est: & filia, quindecim annos nata, qua-cum horrendo incestu pollutus est, ad multorum preces, nonnisi in exilium acta pag. 216.

1108. Anno 1762. die 10. Julij quidam itidem Re-

giomontanus, candente ferro lancinatus, ac tandem rogo injectus est, quod cum filiola infante patrasset inauditum prorsus facinus. Hoc, etsi Prædicans Henneb. pag. 221. referat, pudor & verecundia referri vetat. Quod si nulli in incestu Prædicantes, ab Hennebergero deprehensi in Prussia sunt, invenies alibi deprehensos ab aliis, & hic n. 1029. 1045 notatos. Nam adulteria Borussicorum ac Regiomontanorum Prędicantum quis enumeret? Paucane hic n. 1049. 1052. 1055. 1061. 1065, memorata? ut externa, aliaque n. 1022. 1025. 1027 1028 1032. 1033. 1038 1039. adducta, adeoq; illud de *Prædicante*, Tauro indomito ab adultera vectato, quod Bidermanus lib. de Strygibus; & quod in Hilariis suis Angelinus Gazæus pag. 144. de alio *Prædicante*, honestæ matronæ pudicitiam tentante, ab eademque arcæ incluso, & vęnum proposito enarrat, interim omittatur.

1109. Invenies alibi furtis infames: Sed & Prædicantibus ea laus debętur, qui non modo *Monedulas*, ut ille apud Angelinum pag 49. sed cum Vernero hic n, 1067. ingentes gazas harpagentur. Invenies alibi ebriosos, bibaces, temulentos; adeo ut Henneb pag. 469. scribat, *vulgare id jam esse quod juvenes Dominicis diebus a Templo prope omnes, à popina verò nemo absit.* & pag. 256. Ebrietatem dicit inter Nobiles vulgare esse vitium; ut plus artis & egregij facinoris is designet, qui plus haurit &c: vid. juxta ea quæ n. 968. Melan. edixit. Sed neque Regiomonti, neque aliis, inter Prædicantes Borussicos locis, exempla deerunt. Si qui enim alij, isti certè postulant sibi vetus illud occini, *In Triclinio choa*, & *in cubiculo noLa.* Refert Henneb. fuisse suo tempore *Prædicantem*, qui die Pentecostes, pro concione rusticis suis edixerit, præ foribus adesse, tum festas ejus diei vesperas; tum Annuas epulas, vulgo

Gild-

Gildbier dictas. Cum porrò Vesperę sæpius, Epulæ verò & sympoſium illud ſemel duntaxat, intra annum recurrat, ſatius eſſe, ut ea die ſymposio operam dent. Sed & nuper, (quod hodieque vulgi ſermone in Ducatu narratur) primus è Regiomontanis Eccleſiaſtes, pro Concione itidem pronunciavit, *Deum haud ita odiſſe Chriſtianorum ebrietates, cum non ſit rigdius Cato.* Hoc enim, ni fallor, aut plus ſonant illa, quæ circumferuntur, ejuſdem verba. Gott kan wol ein Chriſtlich Reuſchlein vorlieb nehmen/ dann Er iſt kein Holtzbock.

1110. *Sed* ſatius fuerit, ſi hæc in cauſâ ſuorum facinora enarret ipſe Hennebergerus. *Anno* 1556 ut ille pag. 348. refert, *aliquot militum ſigna in ſuburbio Haberberg dicto, agebant; cùm illac è* Perſike *villa Prædicans, Regiomonto domum revertitur.* Cùm illi, ut Plato dicebat τινὸς βίον πνεύμονος ζῶ pulmonis cujuſdam vitam agere, *liberaliusque ingurgitare ſe mos eſſet, haud gravatè ſe à militibus invitari paſſus eſt.* Certat igitur calicibus; cum interim milites ad ejus currum progreſſi, bubulam carnem, quam ille culeo ingeſtam vectabat, dextrè tollunt, euiſque loco mortuæ vetulæ cadaver, culeo condunt. *Prædicans*, non tam animo & mente, quàm benè curatâ cute ſanus, cum bonâ invitatorum veniâ abit; & domum propere progreſſus, uxori familięque ſuæ, gratum ab Vrbe munus promit. Reſolvitur culeus, & ecce putidum vetulæ cadaver! Redit ilico ad milites, ſed nemo de cadavere quidquam, ſcilicet, norat. Quin, coactus eſt *Prædicans*, datâ fide, cadaver domum reducere, & ſuâ ſuorumque operâ honeſte ſepelire. Ita animæ iſti ſiccæ, & ad prædicantum diſciplinam ſapienti, pudor, & ignominia, præmij inſtar, erant!

1111. Et tamen iſte Comicam videtur habuiſſe

Gata-

catastrophen : qui sequuntur, Tragicam. Anno 1564. *ut refert Henneberg. pag* 245 Michael Beer in Rumeven villa Pastor, à *Præfecto* Fischausensi aliquid postulabat; sed repulsam passus, ideoque subtristis, ingruentem tristitię nubem apud Consulem hausto largius mero diluit. Sub vesperam equum conscendit, & domum versus progreditur; cùm subitò ingens nivium tempestas & nimborum, temulentum intra paludes actum, etiam equo dejecit. Ignarus quo loci esset, aut quid ageret, stricto gladio frondium, quibus incubaret, præsecat fascem. Obdormivit, ut nusquam evigilaret. Quęsitus diu, ut vulgò raptus à malo genio crederetur; neq; ante resolutas proximo vere nives, repertum cadaver.

1212. Circa 1556 circiter annum, ait *idem pag* 312. fuit in Mottenhagen pago, è Thuringiâ oriundus Pastor; qui postquam singulari Principis liberalitate, cum ei antea panis quoque defuisset, abundare cępisset rusticorum sympoſia, & cauponas frequentare, hoc est aliorum mores *Prędicantum* imitari cępit. *Sunt enim* (ut ibidem in loco Henneb, addit) *è numero Pastorum non pauci, quibus mens, in popinis magis, & cyathis peregrinatur, quàm in libris, & officij pastoralis functionibus. &c:* Rusticorum igitur symposia cum frequentaret, potus aliquando è popinâ domū regressus, cōtractâ in itinere cum aliquo rusticorum rixa, eodem loci obtruncatus ab illo est.

1213. Deniq; e sicubi tota *Prussia* aliquod vitiorum germen in herba invenias, invenies vel Regiomonti, vel intra *Prędicantum* ædes, ubiubi sitas, in fructu. Quę ego non eo dicta velim, ut nobilissimæ amplissimęque Vrbi dedecori, sed potius ut documento sint, nusquam magis, quàm sub infelicissimo isto Prędicantum regno, tum intra męnia sua, tum omnibus Prussię locis Ubiquitati Bullingerianę locum fuisse, adeoque

etiam-

etiamnum esse; ut verissimum sit illud Pöetę. *Iliacos intra muros peccatur, & extra.*

1114. Vident enim in dies, quotquot Regiomōti solem adhuc vident, quæ, & quanta à Prędicantib⁹ in horas designentur! Paucos ante annos, Prędicans quidam (parcam & hujus & aliorum nominibus, ne magis in homines, quàm vitia hominum videar acuisse stylum) honestissimę inter Regiomontanos matronę, confessionis causa, in Templum ad se accedenti, eò tantùm quod *Polonica mitra*, contra impotens æquè ac injustum Prædicantum edictum, redimita esset, non sine contumeliis multis, & adsperso Prędicanticę vrbanitatis sale, Mitram de capite excussit. Et quamvis mulier, ira prope justa accensa, tum in Templo Prędicanti in vestes, faciem, barbamque involasset, tum deinceps apud omnia tribunalia causam prosecuta, victrix è campo discessisset, ausus tamen est idem ille Prędicans hoc ipso anno, alteri, honestissimæ itidem matronæ, ipsa Prima Adventus Dominica, similem de capite mitram in Templo, eodem loco, eademque de causa proturbare. A qua, similis audaciæ, contumeliæ, & injuriæ postulatus, jure ad tribunalia decertat; non utiq; dissimili, in causa planè simili, ut spes est, eventu

1115. Alter, qui priorem dignitate anteit, triennio vixdum evoluto vicinos sibi cives, contra omne jus fasque, ad servitutem quandam adigebat; pro potestate identidem imperitans, ne vel strepitu, vel congesto, pro more, ad parietem suum de platea fimo, molesti sibi esse pergerent. Qui cùm minimè (uti minimè tenebantur) dicto audientes essent; pro concione publica, Prędicanticæ floribus eloquentę sępius adspersi, neque tamen conviciis aut contumelijs tracti, publicæ excōmunicationis fulmine icti, & a Prædicanticę ...

tious

ribus ecclesiæ, velut putida membra præfecti sunt. Sed postquam jure experiri cum Prędicante conati sunt, submisit ille Prędicanticos, hoc est, plus quàm Prætorianos fasces, cantataq; ad universam populi panegyrin palinodiâ, quæ Vomuerat, resorbuit.

1116. Alter circa idem temp⁹ in viciñâ Regiomonto villâ, Pastorem agebat; elocatâ honesto & opulento civi Regiomontano filia. Quæ cū festis diebus, per lustra & popinas vagaretur, & interim, sumptâ insuper à Viro pecuniâ, ad baptismi sacra invitari se semper jactaret, quæsita tandem, atque apud Veneris sacra, intra popinas & lustra à Viro deprehensa, plagas, & quos merita erat pugnos, edit. Quod, cum filiâ referente, Prædicans didicisset, mitissimi scilicet ingenij Vir, generum omni verborum contumeliâ acceptum, confictis criminibus, & confutis undique dolis, capitis postulat. Comprehensus gener, vincula & carceres annum integrum passus; suavissimâ interim conjuge, liberius ac liberalius domi agente, imo quotidiano luxu, opes, domumq; Viri totam subvertente.

1117. Cùm porrò Prędicans impacta genero crimina, ne minimis quidem argumentis probaret, & solâ authoritate Prædicantica reum obruere vellet; neque pro tribunali aliud, *quàm Ministrum se Verbi Divini, dignum proinde fide esse*, occentaret; Lege talionis in eum agi cęptum est. Conjectus quocirca est in eum, quem gener evaserat, carcerem; & nisi judicum moderatione sopitum fuisset incendium, docuisset iste *Perillus*, *Ipse suum primus mugire juvencum*. Neque sanè indecorum erat, ut jugum ferret, quod alienæ cervici dum parat, juxta vetus illud, apud Zenodotum βοῦς ἐφ᾽ ἑαυτῷ κονίεται, *bos adversus seipsum pulverem ciet*.

1118. Longum esset cæterorum facinora persequi; unum tamen illum Christburgensium Pastorem, præterire

terre minime licet. Vixdum annus præteriit, cùm ille a suis quoque, in Templo cum ancilla sua deprehensus tandem est. Neque potuit flagitium, nisi mendacio declinare. Finxit igitur, nulli ab se rei inhonestæ, sed quærendis duntaxat, & lustrandis avium nidis, in Templo operam datam. Et tamen ob isthanc operam, tam scilicet diligens pastor & auceps! officio à suis ovibus motus, & ad tribunal quoque Catholicorum, vid Generalis Officialis Pomesanien. Adm. R. D. Petri Winckleri, Marienburgum citatus, quem causæ exitum invenerit, aut quod operæ aucupiique sui precium fecerit, me clam adhuc est. Simile prope facinus à Vilnensibus pastori suo objectum, idem Pastor in M S. Apologia fatetur; jure an injuria *Vilnenses certant, & adhuc sub judice lis est.*

PROPOSITIO XII.

Ubiquitatem Bullingerianam, in Prædicantibus, & Prædicantico apud Prussiam populo, variis de cælo prodigiis assertam, ipsi quoque Prædicantes fatentur.

1119. NUsquam ego id asseruerim, nisi longè præeuntem, vel invitus sequerer Hennebergerum Prędicantem. Plurima ille, intra paucos Prædicantici apud Prussiam regni annos, monstra, prodigia, *signa, terroresque de cælo*, recenset; ac ferè omnibus adjicit, vix aliud quàm flagitia, & Bullingerianam apud suos Ubiquitatem, iisdem ostentis signari.

1120. Anno 1570. ut ille pag. 188. scribit, die 15. Martij, natus est Regiomonti infans horrenda, & prorsus monstrosa specie; quippe cui pedes, manus, & pedum manuumque digiti, uti & reliqua membra obtor-

ta, & contra debitum naturæ situm ac positionem retro acta fuerunt. Quid hoc monstri portendit? Referet idem suis juxta ac Pseudo Episcopi sui Morlini verbis. Patet, inquit *omnium oculis, quo pacto mundus sese commendo, belluarum ratione carentium in morem, serviat Diabolo; qui homines obcæcat, & pervertit; ita ut semihomines ac semibelluæ sint. Quin sub clara ista Evangelij* Prędicantici *luce ita impiè atque impurè viuũt, ut necesse sit ipsam mutari naturam!*

1121. Anno 1585. die 9. Sept. natus est Regiomonti infans, sine oculis, sine naso; sed non sine dentibus, cani quàm homini ad speciem similior. Si ex Hennebergero quæras, quid portenderit? Respondet pag, 193. *Dentatum & mordax os ubique invenias sed non item aures; quia cum Verbum DEi ubique personet, quis est qui vel audiat, vel sequatur? &c:*

1122. Ita quidem ille; neque tamen incommodè alius, per Dentatum illud os, facundiam, qua Prædicantes Evangelium suum promovent, ob adjunctos conviciorum contumeliarumque morsus, propè caninam, significare dixerit Quam, si dura ad omne majorum imperium cervix, & pręfractus in obsequium Ecclesiæ animus sequatur, quid mirum? Cum dentata istiusmodi monstra, auribus oculisque careant; quippe quibus omne robur, & ratio, & panoplia in dentibus solis sit?

1123. Anno 1591. die 17. Oct. itidem Regiomonti natum est monstrum, cui oculus unicus, sed vastus in fronte, oculo leporis non dissimilis; at verò aures infra mentum sitę fuêre. Quid portenderit, (cùm, ut Henneb. pag. 197. & p. 198, & in simili causâ pag. 327 ac 467. dicit, *Deus & natura nihil faciant frustra*) docebit idem; qui l. c. impuram, & incontinentem, ac dissolutam multorum vitam notari voluit. Sed qui ad

ad illum in fronte oculum, & unà ad ea, quę in Anticyris n. 171. & seq. dicta sunt, respexerit; Vix dubitabit, Cyclopicam Prædicantum sive Ecclesiam, sive potius vitam, hoc monstro adumbratam; præsertim cum, ut paullò ante diximus, vel nullę sint aures, vel infra mentum, gulæ, & linguę, & dentium Draconinorum imperio libidinique subjectæ.

1124. Anno 1594 Itidem Regiomonti effusus partus humanus, sine oculis, sine naso; ore admodum enormiter deformi, capite ad muliebris vittæ morem composito. Quid ad hæc pag. 242. Hennebergerus? *Quandoquidem monstrosi partus*, inquit *ita frequentes sibi hoc tempore succedunt. Verendum, ne ea, quæ portendunt, magno cum dolore & gemitu nostro, brevi consequantur.*

1125. Sicut autem hoc, aliaque supra memorata monstra, sine oculis, sine auribus, vel naso edita; ita illud, Anno. 1575. die 13. Februar. Mülhusij natum, naso auribusque caruit, sed non item ore, admodum vasto, & latè tumente, oculis rotundis æquè, ac latè prominentibus; Ut utrumque ranæ magis, quàm hominis speciem referre, & (quod vel tacente Henneb pag 225. facile quivis colligat) ranas illas planè Ægyptias videretur adumbrare; quę cùm in cæno & sordibus ipsę vivant, alienos tamen mores emissitiis semper oculis, & voce (*vox enim sunt, præteraque nihil* ut est in fabulis Æsopi Antic. n. 187. & seq.) non omnino humili neq; moderatâ, æternum flagellant. Huc faciunt, quæ de Ascalapho n. 5. Aristarchi diximus.

1126. Quod porrò memoratis hactenus monstris defuit, cumulatè aliis, circa eadem tempora datum fuit. Nam & in Poberen villâ, Anno 1581. partus cum gemino capite effusus die 15. April. Principibus ipsis Regiomontium spectandus missus est. pag 351: & Anno Dom. 1583. In villâ Worinen / diri spectaculi monstrum,

ſtrum, cæterà hominem, ſed ore gemino leporem referens apparuit; naſus quoque monſtro geminus, & oculi quatergemini fuerunt; Quorum bini humanis, bini vitulinis ſimiliores.

1127 Quid portenderit, nihil pag. 320 Henneb. edixit; fortè quia ad id, quod apud ſe, circa id tempus apparuerat, interpretationem rejecit. Sic enim pag. 327 inter acta, quæ ipſe Mülhuſij Paſtor coram ſpectavit, narrat. *Anno 1585. Cucumis, ſive Cucurbita in horto meo Mülhuſij nata, anteriore juxta ac poſteriore parte* τὰ αἰδοῖα γυναικεῖα, *ita exactè referebat, ut nullius ſculptoris manu effingi poſſent exactius; quod plurimi, etiam de nobili genere homines, qui attoniti ſpectabant, facilè teſtentur.*

1128. Quid putes eo portento ſignatum? An quod ad Evangelij Prędicantici ortum, non pauci *cucurbitino capite* naſcantur homines? An, quod illud ipſum Evangelium, quod ſapientes jure aſpernantur, S, P. Q. Prædicantico, ex mente Suidæ κολοκύντης ὑγιέστερον, *cucurbita ſalubrius* videatur? Id enim Allio è ſiligine vel tritico, ſub ejuſdem Evangelij exordium nato, ſignatum Diſq. 29. prop 5 n. 939 & ſeq. audivimus. An quod mulierculis, è diſciplinâ Prędicantum, ſacras literas improbè, inutiliter, & ad muliebrem duntaxat pervicaciam accendendam, aſſiduò pervolutantibus, tritum illud ex Athenæo, non tam voce, quàm reapſe imperatur,

Τὸν σίκυον τρώγουσα γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε

O mulier, cucumi veſcens, contexito veſtem?

1129 Et ſanè magis id genus hominum *colus calathiq;* *Minervæ* quàm Biblia decent; Cùm præter D. Paulum, etiam reliqui ſapientes, Sophoclem imitati, ſilentium mulieri ita imperent, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει,

φέρει, *Mulieribus decus & ornamentum fert silentium.* Ut proinde Prędicantes, qui illa muliercularum in Sacris literaturâ, magnum sibi fructum, decus, atque operæ precium spondebant, Varronis & Plauti sensu dici possint, *Cucurbita glabriores*; adeoque illud quod in ignavos olim jactabatur, ipso illo cucurbitæ Hennebergianæ portento, quasi tacitè loquente, passim audiant, γυναικὸς πυγή: ipsa verò Prædicantum Synagoga, quam illi Vrbis instar, saltem Babilonicæ, in altum educere satagunt, dici possit Pygela; quæ unde, & quâ causa ita appellata, intelligent Prędicantes, qui Theopompum & lexica Græca versant.

1130. Interim nobis Hennebergerus, suam quoque super suâ cucurbitâ, divinationem edisserat. *DEVS*, inquit ille, *& natura, nihil frustra faciunt. Vnde, ad exortum illius cucurbitæ secuta è vestigio est impura illa & inquinata vita, quæ plurimum Vbiq; invaluit.* Ecce! quo pacto, etiam Prædicante interprete, Cucurbita illa, Vbiquitatē Bullingerianam significarit! Et potuit sanè interpres ille, divinitationis suæ causam & fundamentum, vel ab ipsis Jureconsultorum principiis arcessere. Nam (quod vel Dasypodius in suo Onomastico notavit) *Cucurbitare dicitur Vasallus, qui domini uxorem adulterat vel ad crimen istud saltem solicitat, turpiter tentat: Item qui filiam, neptem, nurum, aut sororem ejus polluit.* Quod, an Prædicantum operâ vel exemplo, aliis quoque extra Prussiam regionibus fiat, deinceps erit disquirendum.

1131 Portentis hisce jure accensendum est, quod Severinus Göbelius, ex Academiâ Regiomontanâ Medicinæ Doctor, & apud quendam è Magnis Litvaniæ Proceribus Medicus lib. 1 de Succino pag. 5 memorat. Succinum vix alibi terrarum, quàm in Prussiâ nascitur, etiam Ortelio, cæterisque Geographis fatentibus. Circa

Annum igitur 1580. novum & insolens Succini genus in Prussiâ apparuit; colore, prçter morem, nigro; & odore, præsertim cùm arderet, tetro. Ipse l. c Göbelius, id iræ ac vindictæ divinæ indicium dicit. Exundantibus enim, ac fædum totâ Provinciâ, sub illo Prædicantum imperio, odorem exhalantibus vitiis, ipsæ, quas natura Prussiæ largitur opes, vitæ moribusque respondent! Quod ipsum quoque Tritico in Allium mutato. n, 939. diximus indicatum. Quem quidem fructum, si Hermannus Neüwald/ in barbaro illo suo *Antiqui-novi* Jubilo respexit, merito pag 12. gloriatur, *sub Alberto XXXIV. Ord: Theut. Magistro, Anno* 1523. *fertile, frugiferum, ac dives Prussiæ solum videri potuisse.* Sin aliod igitum intendit, videtur κολοκώντας λημᾶν; ut non minus iste Neo-silvanus in suo Haberberg/ quàm laudatus illi pag. 10. nescio quis, apud Vittembergam vates, Bruder Fleck auffm Weissenberg/ haberi pro Tiresia possit.

PROPOSITIO XIII.

Aliorum quoque extra Prussiam Prædicantum, inquinati mores, & manifesta carnis vitia, Bullingerianam in eorum Ecclesiâ Vbiquitatem, cumulatè vigere probant.

1132 QUantum hic, & quàm nobile speculum exemplorum statui ob oculos posset? Jam olim, sub ipsum Evangelij Prçdicantici exordium, Erasmus *Epist. ad fratres infer Germ* inauditam Evangelistarum, Apostolorumque istorum salacitatem, attonito similis depinxit. *Iam, ut donemus*, inquit ille apud Hosium Tomo 1. pag. 491. *Evangelij præconibus, esse fas uxores ducere; quis non admiretur, Oviculas, mactationi destinatas, nihil in mundo quærentes præter gloriã Christi, tot curis distri-*

districtos, tot afflictionibus obnoxios, non posse vivere sine uxoribus? quas tam multi ob leviores causas, aut non ducunt, aut ductas nollent. At istis omnis Tragædia exit in catastrophen Comicam. Vbi contigit uxor, occinitur, Valete & Plaudite. Quæ, malum! est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere? Vnde tanta carnis rebellio, in iis, qui se jactant agi Spiritu Christi?

1133. E, ne sine exemplis, ad quæ hac & alijs Epistolis sæpè provocat, obscuriorem causam videatur reliquisse: *Non*, inquit, *nomino sacerdotem, Basileæ virgis cæsum, mox vrbe eiectum. Is, ut publicus ferebat rumor, & in carcere, & extra portam, cum à carnifice dimitteretur, publicè testatus est; se, posteaquam se illi sectæ addixerat, in omne flagitiorum genus proruisse. Quid de tota secta dixerit, non referam.*

1134. Poterat, Erasmus, quemadmodum *Epist. in Pseudo-Evang.* & alibi sępè innuit, plurima istiusmodi exempla proferre: possem & ego ex alijs quoq; scriptoribus non pauca: sed satis, opinor, erit, si ea, quæ Sigismundus Erhoffer / in defensione Catechismi è Lutheri scriptis collecti, & ab se editi, recensuit, hic attexam. *Hanc*, inquit *pag. M. 5. Lutheri doctrinam*, de qua prop. seq: *vos Prædicantes fidelissime in opus deducitis, ita, vt malus sordium vestrarum impuritatumq; odor mundum totum repleverit. Quam multa sunt præ manibus exempla? Ex his Surius quendam Prædicantem memorat, qui ad Prædicanticam assumptus, Prædicantissam sibi ilico adjunxit. Quam paullo post, quia non satis ad vota, nutumq; sibi esset, veneno sustulit, & ad secundas nuptias transijt. Quæsitus apud Iudicum tribunal, quid ita crudele facinus patrasset? respondit, Coniugio apud Lutheranos, carnis lasciviam & salaciam non extingvi.*

1135. Quàm hoc verè dictum sit, vel Nurembergæ, in cano illo, & jam decrepito Prędicante Michaele, patuit, qui, ut l. c. memoratur, *quæ flagitia, superstite etiam-*

 mum

num vxore, cum ancilla patrarit: quomodo eandem ante se nudam contemplari solitus sit, &c. honestæ aures ferre non possunt. Nimirum ut oleum flammæ affusum, ita coniugia, Prædicantum libidines extingvunt. Et quid coniugia extingvant, si Christi Passio, & quasi ante oculos stillans adhuc Christi Sangvis, non extinguit? *Basileæ*, inquit idem pag. M: 7. *ipso die Sacratissimo Parasceves ab ipsis magistratus apparitoribus, est in lupanari Prædicans repertus: idemq; iussu magistratus comprehensus, & civitate subitò eiectus est.*

1136. Ac vide quæso, quibus isti remedijs, & quam infandis, ad extingvendas, vel potius accendendas libidines suas uti soleant! Primum igitur remedium est, mutua uxorum inter se permutatio. *Mos enim inter Prædicantes* (ut l. c. M Sebestianus Flasch, olim quoq; Prædicans, deinde Ecclesiæ Christi reconciliatus, artium Prædicanticarum non ignarus testatur) *plerumq; inolevit, vt mutuo vxores, pecoris alicuius instar permutent, & abutantur: adeo vt dictus M. Sebastianus, à suis Symmystis, ea super re sæpius tentatus ac requisitus, consulere sibi, coniugisq; suæ pudorem, ac fidem inter illos servare, ac tueri ægrè potuerit.* Et miremur inter barbaros illos, omniumque literarum rudes, Schismaticorum Ruthenorum Popas, aliquando eiusmodi permutationem factam, ut junior seni juvenculam uxorem, datâ ad vetulam suam auctarij loco scrophâ, extorserit? *cum id inter Prædicantes*, eodem teste, *commune vsitatumq; sit?*

1137. Alterum remedium est, virginum, uxorumque alienarum, tum alijs modis, tum per audiendarum occasiones confessionum, solicitatio, & ad flagitium inductio. Usus inter multos, præcipuè hoc remedio est, Polycarpus in Weissenfels Prędicutius, *qui*, ut l. c. scribitur, *inter audiendas confessiones & convivia, pro natali baptizandorum celebrari solita, præcipuas ac formosissimas ci-*

mas civium uxores; venabatur, ac data postmodum occasione vitiabat. Et dubites istum, in illo confessionum arcano, ad suadendum, & inducendos in nassam pisces, alio quam Verbo Dei usum fuisse, atq; ita sacrilegium sacrilegio cumulasse? Nisi forte solenne illud, quod Pransus Paratus Vinc. Fabritij recitat, ipse quoque usurparit, & blanda, meretriciaque voce (tali enim prophetę isti solent) detonuerit,

Properate vivere Puerœ,
Quas sinit ætatula ludere,
Esse, amare, & Veneris tenere bigas.

Audi enim, quid de Polycarpo illo scriptor noster subiungat.

1138. *Ne porro sua flagitia, quanquam minime ignota vulgi sermone jactarentur, biennium integrum pro concione, octavum Decalogi præceptum, de non dicendo contra proximum falso testimonio, ingenti contentione, versabat: quoad tandem à consule, cuius uxorem propè oppresserat, deprehensus, ideoque ab Augusto Saxoniæ Duce æterno carceri mãcipatus est.*

1139. Tertium, sunt nefandi cum propinquis & sangvine junctis incestus. De quibus hunc in modum Ernhoffer. *Non unum, sed plura, plura, inquam, præ manibus exempla sunt; quod vos Lutherici Prædicantes, vestras ancillas, privignas, uxorum vestrarum sorores, & omnis sine discrimine generis feminas, secundum uxores vestras, ad vestram libidinem adigere vitiare, ijsque nefarie abuti soleatis.* Et ne nullum attulisse exemplum, ideoque minus demonstrasse causam videretur, paullò ante ita præmisit. *In Austria, loco Stein dicto Prædicans propriam, eamque prorsus germanam sororem, uxoris loco habuit & aliquot ex ea liberos suscepit. Cumque illa extremùm parturiret, filiam itidem suam vi invasit, & crudelem miserandumque in modum, usque ad interitum, vitiavit.* Quæ isthanc, plus

quàm belluinam feritatem, Oedipi scenæ unquam exæquent?

1140. Quartum, immanis parvularum admodum puellarum Violatio, vel potius laniena. *Anno 1557* ut idem scribit, *Prædicans quidam in* Onoltzbach/ *vino temulentus, toto oppido vagus, lupanar, & publicam inquirebat ganeam. Attoniti ea impudentia cives, respondent, nullum apud se lupanari aut prostibulo locum esse. Ille extra portam, domum versus progressus, puellam impuberem & admodum paruulam, quæ fortè obvia fuit, vi aggreditur, atque ita delicatè ovem lupus habet, ut, cum pudore, vitam innocenti simul eripuerit. Comprehensus ea de causa illo eodem anno, & extremo supplicio, multis quidem Prædicantibus, sed incassum deprecantibus, est affectus.*

1141 Eadem Rescius in Atheismis pag. 80. referendo, addit; Ministros, qui supplicationibus suis, alterius supplicio intercedebant, illud in causa prætendisse, vid *Opus id Evangelicum, naturæque consentaneum, & Lutheri Evangelio affine esse.* Vis geminum facinus, & facinori adiectum supplicium? *Alius in Moravia Prædicans*, inquit idem Ernhoffer, *puellæ itidem parvulæ vim, & vitium ita attulit, ut & illa extincta fuerit, & iste rogo ea causa iniectus atque incineratus.*

1242. Quintū, infanda Bestialitas. De qua *D. Hannibal* Nothelffer/ apud eundem l. c. *in sua ad Germanos Parænesi; uti & de aliis inauditis & horrendis, conjugatorum quoque Prædicantum facinoribus meminit. Annæburgi, loco Vittemberga tribus milliaribus dissito, Prædicans fuit, quem etiam Augustus Princeps sæpe solitus est audire. Is, quanquam uxorem non inelegantem haberet; Tamen in horrido cum vacca scelere deprehensus, & ad rogum damnatus fuit. Sed postmodum ne scil. Papistæ gloriandi inde ansam sumerent, quorundam deprecatione à rogo liber, exilio duntaxat multatus, Hallæ in Saxonia vixit.*

Qua-

1143. Quale verò illud, cujus etiam Prædicans alium Prædicantem edito scripto publico, accusavit? *In Austria Prædicans quidam*, inquit idem, *á suo symmystæ publico scripto accusatus est, quod non modò vaccam, verùm & matrem quoque suam iniisset.* Nunquid hæc omnes Oedipi, Pasiphäes & Myrrhæ, fabulas excedunt?

1144. Et iniquus, aut injurius adhuc in Prædicantes idem sit *si omnium impurissimos & profligatissimos nebulones appellet Prædicantes, quippe, qui paucis hisce annis, omnibus etiam impurissimis inter nos sacerdodibus, in isto libidinum sive stadio, sive cæno palmam longè præripuerint?* Et injurius quoque in eosdem sit, Laurentius Surius, gravissimus author? Qui apud eundem ita loquitur: *Sunt etiamnum homines inter nos, quibus rationes, & regestra, in Visitationibus Evangelicorum Prædicantum scripta. aliquando videre contigit In iis sane adverterunt, plura à Prædicantibus, quantumvis conjugatis & horribiliora patrari adulteria, quàm ab omnibus toto mundo Catholicis fornicationes?* Deniq; e injurius & ego sim, si, vel ex impurissimâ Prædicantum, cis & intra Prussiam Vitâ, Bullingerianam Vbiquitatem, per Ecclesias Prædicantum, in Prussiâ, & alibi Vbique diffusam, adstruere nitar?

1145. Certe injurij neque esse, neque dici poterunt, honesti illi, & in re politica non insipientes viri, qui sive nascendi sorte, sive alio casu ad Prædicantum stationem delati, cùm & hinc, tanta inter plurimos Catholicorum sacerdotum, continentiæ integritatisq; exempla; & inde, tot & tanta inter Prædicantes, quantumvis conjugatos, libidinum flagitia intuentur, malint vel innuptas, vel infimo etiam cuique potius, quàm Prædicanti nuptas filias suas esse?

1146. Audi, quid de Viro inter Hollandos non postremo, Libertus Fromondus, Epist. ad Gisb. Vöetium cap. 4. pag. 29. Anno 1640. scribat; *Et de vobis Hol-*

landis quidam nuper, quem nominare possim, Vir inter Vos Amplissimus, admirans etiam Illustres apud nos adolescentes; Clericorum aut Monachorum institutum suscipere, addebat; Ministri nostri e fæce plerumque plebis, & vilissimi sunt; ut nemo paullò honestior filiam suam, nuptui cuiquam eorum dare sustineret. Deinde quidquid aliud externa modestia & compositione vestis præferunt; intus avaritia & pravis cupiditatibus plenissimi sunt Nebulones: qui omnia divina humanaque ad lucrum referunt. Et ne ex vano hausta videatur protulisse, subjungit Fromondus. *Hæc ab amplissimo Viro, Principum Consiliario, cui ista narrabantur, accepi. Scripta ipse mea leget; & mortem malim, quàm mendacij apud eum infamiam subire.*

PROPOSITIO. XIV.

Ex doctrinâ, & novo Prædicantum Evangelio ipsorum quoque judicio, Vbiquitas Bullingeriana, & impura Prædicantum, Populique Prædicantici vitâ, tanquam a fonte vel causâ manat.

1147. Poteram ego, poterant alij mecum, jam olim divinare ac disquirere; quid tandem causæ sit, quod Novatores jactare magnificè soleant, Evangelium ab se, & Luthero potissimùm Promo. Condo suo, *De sub scamno*, promptum prolatumque, & orbi exhibitum esse? Si enim (uti quidem Joan. Aurifaber, cujus hic Disq. 17. vita moresque descripti sunt, in Præfatione Colloq. Luth. & post alios, novitius ille Silvanus, apùd Regiomontum, tenuem meditatus Avenam, de quo hinc n. 1131, in Satyrico suo Anni 1630 Jubilo, pag. 50 aliique sive Fauni, ac Satyrisci, sive etiam Sileni, plerumque gloriantur) innuere velint, contemptum in

in Ecclesiâ Catholicâ, adeoque instar purgamentorum habitum abjectumq; fuisse Evangeliũ, quoad tandem ab se in lucem preferretur; splendissimè profectò mentiuntur: cùm palàm sit, non modò Cajetanum, aliosque Luthero coævos; sed illum quoque proximè antegressos Catholicorum scriptores (quid enim alios Doctores, qui vel multis seculis præiverunt, vel etiam proximi non tam scripto, quam concionibus, & verbo, idipsum egerunt memorem?) ea in Evangelio, cæterisque sacrarum literarum monumentis industria, labore, diligentiaque versatos, ut, ne ad hoc quidem tempus, proferre Prædicantes unum de suis queant, qui illis jure comparandus sit. Quem enim dabunt, quem vel Alphonso Tostato, circa Annum 1444. Episcopo Abulensi; vel Dionysio Carthusiano, circa Annum 1450. ex parte componant? Quin, nisi Lutherus supra n. 486. citatus, mentiatur, Tum ipse, tum ejus Cöevangelistæ, & excucullati transfugæ, multo in Papatu Verbum Dei diligentius tractabant, qàm deinceps, quando Verbum DEi maximè exorsi sunt, buccis crepantibus magis, quàm vita & opere ipso jactare.

1148. Quid igitur vel causæ, vel mysterij tandem est in illo Prædicantum Celeusmate? Ego quidem, si præsertim ad Vbiquitatem Bullingerianam, de qua hactenus, respiciam, ita censeo; id, quod à Prædicantibus Evangelium orbi exhibitum est, nil esse aliud, nisi, vel mera vitiorum hominumque purgamenta & sordes; vel doctrinam & sapientiam, ad easdem sordes, sensus, animosque hominum inclinantem & quodamodo mergentem. Unde enim illud vitiorum diluvium? Vnde illa apud Prædicantes Vbiquitas Bullingeriana? E doctrina utique, & novo Prædicantum Evangelio, quod cùm illi, inter vitæ inquinatissimæ, & carnis ad libidinem exæstuantis sordes, vel invenerint, vel potius conce-

ceperint; novam facem & quasi Pharum vitiorum, Orbi, per sese satis in vitium æstuanti, accenderunt.

1149. Jam Olim, sub Annum 1532 Georgius Wicelius, elegantissimus scriptor, à factione Lutheri ad Ecclesiam Christi regressus tum alibi, tum in libro de *Moribus hæreticorum, & Retectione Lutherismi*, Lipsiæ Anno 1538. impresso, id copiosè demonstravit. Pag. B. 7. *Quis*, inquit, *nescit, quæ nunc regnet vitæ omnis impudicitia? Sodoma justificatur, & Samaria vix dimidium peccatorum peccavit, cujusmodi pars Lutheri &c. Cum inciperet olim Ecclesia Catholica, fiebant, qui crediderant, meliores. Nunc cùm restituitur, (fingo enim ita esse) fiunt credentes seipsis deteriores; idque adeo, ut periculum sit, ne Pagani ex Christianis, progressu temporis reddantur &c.*

1150. Pag. C. 1. *si nihil aliud esset, unde pateret, sectionem istam ex DEo non esse, illud cuiquam satisfaceret, quod hujus occasione, quidquid ad disciplinam spectabat, occidit: Quidquid verò ad licentiam, perdurat &c.* Pag G 4. *Ubi fides omnipotens, quam toties declamitamus? Ubi Charitas proximi? Die tu mihi, per Christum, an unquam minus Charitatis inter Christianos extiterit? O nos! quo labimur! Quàm turpiter, quàm indignè, quàm diabolicè impegimus! Septimius Tertullianus dicebat, Christianorum esse, quàm citissimè terris discedere. At nos Evangelici, ita terras, imò purgamenta*, sordes, ac sentinas terræ, *amplectimur, ut mallemus perpetuò hic vivere, Christo relictis cælis. Nolumus libentes egredi terreno hospitio: Tam bene nobis conscij sumus in EVANGELIO AB INFERIS REVOCATO! Tam certi scilicet sumus de sinu Abrahæ!*

1151. Verum quid ego Wicelium, quid Erasmum (qui in hyperasp. 2 *adeo per hoc, quod isti vocant Evãgeliũ, non corrigi scribit homines, ut videantur fieri deteriores nec fieri ut peccare desinant, sed ut peccent impunitius*) quid alios scriptores Catholicos, uti quidẽ plurimos possem, etiam

in

in cit. Vittembergensium Disputat pag 16 allegatos, testes producam? Nam hic ut iterum Wicelij verbis pag G 4 utar, *etiam ipsos sectarios habeo suffragatores; qui ingenuè confitentur, uberiorem vitiorum copiam nunquam extitisse, quàm ab iis annis, quibus succrevit Lutherismus &c.* Prodeant quocirca, ab ipsa adversariorum statione, qui causam hanc transigant; prodeant adeo Prædicantes ipsi, qui nos doceant, ab hac ipsa novi Prædicantum Evangelij Pharo & face, vix aliud hoc seculo, quàm vitiorum omnium, ac præsertim libidinum, accensas esse inter Christianos flammas.

1152. Primus sese nobis offert tum Lutherus, tum Calvinus, suorum uterque manu, quemadmodum prop. 4. jam vidimus, stipatus. Quæ enim de impurâ suorum vitâ afferunt, non aliunde, quam ab istis Evangelij novi fontibus, originem ducunt. Dicat tamen, vel extra ordinem hoc loco Lutherus. Cap. 22. colloq. pag. 223. *Ad istam vitæ securitatem, & licentiam*, quæ vel in rusticis ipsis, nimia jam tum erat, *plurimum faciunt Antinomi; qui istam in hominibus securitatem & præfidentiam, ac præsumptionem creant. Video namq; , proh dolor! quod sub specie & velo misericordiæ Dei, ausint patrare quæ velint: quasi non amplius peccarent fideles, essentq; ita justi, ut non amplius egeant prædicatione legis, &c.*

1153. Quæ Lutherus de Antinomis dicit, potiore jure de Luthero cæterisquè Lutheranis, quorum Antinomi posteri heredesq; ex asse sunt, dici possunt, & non modo à Tannero demonstrat 8 §. 3. alijsquè huj⁹ temporis scriptoribus, verum & ab ipso Lutheri, Prædicantumque exordio, dicta, aut potius prædicta à plerisque sunt. Non possum Borussicis nostris, Borussum Tidemannum Gisium, primum Culmen. deinde Varmien. Episcopum, non sistere. Is cum in illo Canonicorum Varmiensium Collegio (quod doctissimorum clarissimorum-

morumq́, semper Virorum ferax ac fertile seminarium est, & fuit) circa Annum 1523. Administrationem præfecturæ, œconomiæq́; Allensteinensis sustineret, Articulos á Luthero id temporis assertos, *quasi flores in terra nostra*, ut ipse ait, *apparentes*, forte ab amico nactus, ac paullo diligentius intuitus: Anthologiam, quæ Anno 1524. Cracoviæ impressa est, magno judicio, nec minore eloquentiâ, edidit.

1154 In ea, pro præsente causa ita scribit. *Ecce! Dei munere, per omnes Germaniæ Ecclesias, fidei præconia in cœlum tolluntur! At fidei fructus, & exempla, prava omnia, magis quam ante eminent! Qui jeiunare solebat, spontaneum esse jeiunium debere affirmat, & gulæ ventrem aperit! Qui continebat, cœlibatum humanis viribus maiorem prædicat, & genio frena laxat! Qui orabat, murmura precularum damnat, & maledictis omnia implet! Obedientia Christiana solvitur. Virginalis pudicitiæ sublimitas obscuratur: Exomologesis pene abrogatur; omnia litibus & seditionibus miscentur. Cùm tamen, si spiritus & fidei dona in nobis crescerent, sæpius, quam antea, jeiunijs & vigilijs carnem nostram affligeremus, &c. &c.*

1155. Experientia, quam Calovius nuper stultorum Magistram dixit, Lutherum diu superstitem, idipsum docuit. Unde, ut aliquem, non tam surgenti, quam exundanti in sua Ecclesia vitiorum omnium diluvio, obicem poneret: coactus est visitationes Ecclesiasticas instituere, & libro edito formam visitandi præscribere. In quo apud Cassandrum, Consult. art. 4. ita loquitur. *Multi dum audiunt solumodo credant, omnia ipsis remitti peccata, fingunt sibi fidem: & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarij & securi. Huiusmodi autem carnalis securitas peior est omni errore, qui ante hoc tempus vnquam fuit.*

1156. Quo verò pacto etiam Calvinistæ, tum alijs tum illis de fide sua justificante dogmatis, omnibus flagitijs

gitijs fibulam laxent, docuit in Epist ad Gisb. Voetium Libertus Fromondus cap. 1. & cum eo Daniel Tilenus quamvis Calvinista, in Notis ad Can. Dordrac. Sed & Martinus Bucerus Zvinglii juxta ac Calvini Achates, cũ ut n. 974. audivimus, dixisset *Maxima horum pars vid. Evangelicorum suorum, visa est, id tantum ex Evangelio Christi petijsse ut jugum qualiscunque disciplinæ, pœnitentiæ & religionis universæ, quæ in Papatu reliqua fuit, abijcerent: proq; carnis suæ arbitrio ac libidine, instituerent agerentque omnia:* Tandem subiungit; *Tum non ingratum eis fuis audire, justificari nos fide in Christum, non bonis operibus, quorum nullo tenebantur studio. Nec pauci eorum, qualemcunquè Evangelij prædicationem, eo tantum receperunt, ut in opes invaderent Ecclesiasticas.*

1157. Eodem sensu, atque adeò ijsdem prope verbis, hanc de Bullingeriana Ubiquitate, testium classem ipse Bullingerus claudet: qui in cap. 20. Matt. apud eũdem Jungium l. c. ita scribit. *Magistratus hodie ex Evangelio, quærit dispensationem, utinam non direptionem, opum Ecclesiasticarum. Concionatores quoque ipsi, Evangelij Prædicatione venantur honores, opes, vulgi favorem, & gloriam huius seculi. At promiscua plebs spèrat se in libertate Evangelica reperturam, quod decimas & census nullo Divino jure pendat, &c.*

1158. Quàm hęc vero consonent, docuerunt vel illa Rusticorum bella, hic n. 602, 604 611. 626. perstricta. De quorum primo, audi quid Lucas Osiander Pręfat. centur. 16 scribat. *Mobile & ignobile vulgus (impulsu seditiosorum quorundam concionatorum*, ut vel hinc constet, quod de seditionibus Prædicantum, aliorumq; sectariorum n: 307. 309. 311 313. 599. 610. 613. 626 631, 735. 794 scriptum.) *Doctrinam piam Lutheri manu dextra per Lutherum porrectam, rustici seditiosi manu sinistra apprehenderunt: quasi per Evangelion, libertas Cor-*

poralis ab oneribus civilibus, & licentia ad omnis generis carnales voluptates & flagitia daretur. Arma igitur rustici sub prætextu Evangelicæ doctrinæ adversus Magistratum capiunt, & multa violenter, iniustè, & flagitiosè faciunt, &c. Atquè hinc patere etiam potest, quàm Wittembergenses Æthiopem planè lavent, qui in sua illa Disp. vitiorum diluvium, & Bullingerianam in sua Ecclesia Ubiquitatem, negare cum non possint, negare tamen multis volunt, ex novi istius Evangelij fontibus pudita illa venena exhalare.

PROPOSITIO. XV.

Ipsa Prædicantum, Populique Prædicantici exempla evincunt, inquinatissimos eorum mores, & Vbiquitatem Bullingerianam, nullâ aliâ magis ex causa, quam ex Prædicantum doctrinâ sequi,

1159. NEmo id negarit, nisi ante præclaros illos, è Lutheri Prædicantumque Evangelio distinxerit Aphorismos: v. g. *si non vult Domina, veniat ancilla* Tom. 6. Vittemb. germ. p 177. Item *Quàm parùm in mea potestate est, ut vir non sim, tam parùm etiam in mea potestate situm est, ut absque muliere sim &c. quia hæc res, non est arbitraria, seu consilij, sed necessaria ac naturalis, ut omnis vir mulierem habeat, & omnis mulier virum &c. estque hoc plus quàm præceptum; magisque necessarium, quàm comedere, & bibere; dormire & vigilare; purgare & expuere &c:* ibid pag. 171. Item. *Nihil in mundo jucundius, quàm, si cui contigit, amor mulierum;* in glos. marg Bibl. ad cap 31. Prov. Item. *Votum castitatis multo est pejus quàm ullum adulterium, vel fornicatio.* Tom. 6. Vittemb. pag, 252. Item. *Institutum meum est, non dicere, qua ratione votum castitatis servari debeat, sed*

qua

quà ratione servari nec possit, nec debeat. Ibid. pag. 232.

1160. Has Lutheri, non jam Christiani, sed Epicuræi, vel Cynici Philosophi, planè κυρίας δόξας, quas vel Tannerus Anatom parte. 1. Demonst 8, n. 33. & seq. Parte 2. Demonst 8. §. 4. & noster Aristarchus n. 173. & seq. recenset; quicunque lectione vel auditione acceperit, ad virtutem accedetur? Quid, si huic inferorum igni, per Lutherum suscitato, cæteri quoq; Prædicantes affundant oleum? Quid si, inquam alij studium bonorum operum, & vitam ad Divinæ legis amussin exactam, non modò negligant, verùm & damnent? Quid, si ij ipsi, qui præceptis suis, vel à virtute retrahunt, vel accendunt ad vitia, non modò Antinomi, vel Majoristæ, ceteris quoque Lutheranis aliàs damnati, sed delibatus populi illius flos, & rigidi, ut vocant, Lutherani sint?

1161. Tales utique erant, qui partim de Vittemberg. partim de Lipsien. *A*cademiâ, à 20. Novemb. *A*n. 1568, ad 9. Martij *A*nni 1569. Altenburgi inter se collocuti, præclaros illos, de Lege & Operibus, *A*phorismos, à Tannero part. 2. Demonstr. 8. § 4. recitatos ediderunt. *Christiani Concionatores prædicare debent, verum Evangelium, & non Legem* 2. *Opera bona Legis non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent.* 3 *Lex non docet bona opera, nec idcirco prædicanda est, ut bona opera peragantur.* 4. *Nihil ad Christianos præcepta Decalogi pertinent* 5 *Christianus, qui credit, supra omnem obedientiam, & supra omnem Legem est.* 8 *Ad Sathanam spectant Christiani cum operibus bonis* 7 *Precari oportet Deum ut in fide, sine bonis operibus, ad finem usque, constantes perseveremus* 8 *Ab Apostolo Paulo, non solùm bonorum operum meritum sed etiam bona opera nostra excluduntur* 9. *Falsa est propositio, opera sunt necessaria.* 10 *Opera adeo necessaria non sunt, ut etiam ad salutem incommodent, sintq; perniciosa.*

1162 Plura isti Patres definiverunt in eandem sententiam; Satis hic fuit Decalogum producere. Quem quicunque tandem legerit magnum omnino ad virtutes Prædicanticas, sed non item ad Christianas, calcar inveniet. Quod & Borussici nostri oppidò exacuent. Quis enim nescit, quanti illi suum illud, super quo multis inter nos Disq 29. dimicatum, *Corpus doctrinæ* faciant? At in eo, sub finem, inter alias Quæstiones, apud senatum Conciliumque eorum agitatas, secundo loco, ita causa proposita. *Cùm in locis communibus Philippi in scriptis Chytræi, & aliorum, hæc propositio inveniatur, Opera esse necessaria ad retinendā fidem, an phrasis illa retinenda sit?* Quid ad eam quęstionem? *Non est dubium*, inquiunt nostri Patres, *Si illa propositio, opera sunt necessaria ad retinendam fidem, esset vera, esset etiam in bona consequentia altera propositio vera quod opera ad salutem sint necessaria. Cùm autem hæc, ex veris fundamentis sit refutata; nec illa poterit, ut vera, consistere. &c.*

1163. Quibuscum Mislenta Disp. 18. Collegii Pruten. cæteriq; Prædicantes Borussici, pro Corpore illo suo, tanquam pro aris & focis dimicantes, cūm strenùe faciant; extinctâ illâ, contra legem Christi Matt: 5. 16. Luc. 12. 35. vel excussâ *bonorum operum*, de suis, suorumque manibus, *luce vel lampade, ac lucerna*, quid aliud agunt, quam quod facem Pharumq; vitiorum, doctrinâ Evangelioq; suo accendant? Et adhuc Vittembergen. in suâ illa Disp. quęst. 8. *Ex eo quod bona opera ad salutem necessaria negent, faces à se ad omnis generis vitia præferri*, inficientur? Quid, si ijdem aliique omnes, Legem à renatis impleri pernegent, *an non ipsas*, quamquā quæst. 7. nolint, *vitiorū cataractas aperiunt?*

1164. Quanquam, & promiscua illa scripturarum lectio, permissa Laicis (quod ijdē quæst. 5 inficiari volunt) quantopere ansam perversæ vitæ prębeat, pauca, quæ

quæ affero exempla docebunt. Pictor ille hydropicus Regiomontanus, quem ob infandum cum filiâ incestũ Anno 1568. ad rogum damnatum, ſupra n. 1107. diximus, quo ſe alio telo, vel ad patrandum facinus, vel ad id, jam patratum, defendendum, excuſandumvè armavit? Prætenſâ utiq;, quantumvis impiè, ſcripturâ ſacra. Nam, ſi fides eſt Hennebergero pag. 216, Berſabeam filiam ſuam quindecim annos natam, quo alio, quàm Loth Patriarchæ exemplo, ad facinus, quod natura horreat, induxit? Quo item, idem facinus apud Tribunal defenſum ibat? Eodem Patriarchæ exemplo. *Quærebat enim*, ut inquit l. c. Henneb. *An contra DEum vel homines peccaſſet? Cùm igitur DEo reconciliatus, & ſacramento inſuper munitus eſſet, quid ad ſe judex terrenus haberet negotij? Cùm porrò Loth in hoc mundo ſupplicium nullum dependerit, neq; ſibi dependẽdum eſſe* Vide, Prædicanticas omnino argutias! quæ tamen miſerum illum rogo eximere minimè potuerũt; uti neq; Virum Nobilem, in Curlandiâ, paucos ante annos, in ſimili facinore deprehenſum, quantũvis idipſum flagitio ſuo velum oppanderet. Porrò, ut infra n. 1166. audiem⁹, alibi fortaſſe exemerunt.

1165. Quid ni vero, ad ſuas libidines abutatur vulgus ſcripturâ, cùm & hic exempla præluceant Prędicantum? Audi, quę Coſterus Apolog. cap 23. pag. 128. & ſeq memoret. *Londini in Anglia, non ita pridem, repertus eſt Calviniſticæ factionis homuncio, qui alterius deperibat uxorem. Quæ cum peccati enormitatem objectaret; ille actutum in promptu habuit Pauli verba, quibus ait, ſi uxoris marit⁹ dormierit, libera eſt à lege viri.* 1. *Cor.* 7 39. *Eaq; de cauſa, oportunum præſtolantes mariti ſomnum, in mutuos ruebant amplexus.* Didicit Coſterus id, referente inſigni Anglię Martyre Joanne Ingrámio.

1166. Quod ſequitur, à Matthæo Launoyo, Hugonoticarum quondam partium in Galliâ non poſtremo,

accepit

accepit, *Aurelijs in Gallia Minister fuit, cognomento de la Vallee, è Domicana familia Apostata. Qui etsi domesticam haberet thori consortem, ea tamen haud contentus, Monialem e S. Mariæ Magdalenæ cœnobio, sacrilego ausu conscelerauit, excusans flagitium suum Davidicis hisce verbis. Quia delectasti me Domine in factura tua Psal. 91. 5.*

1167. Ex eodem quoq́, acceptum illud, de Lorsilverio Anglicanę sectę Ministro; qui in *Angliâ* primæ nobilitatis mulierem, filij sui impurissimo incestu pollutam, tum exemplo Loth Patriarchæ; tum illo Psaltis Regij dicto, *Filij tui sicut novellæ olivarum p. 123. 3.* à pœna, fortasse & à noxa flagitij levare conabatur. *Ajebat* enim, parentes à filiis, non solùm temporalis vitæ subsidium, sed & carnalis voluptatis habere posse commercium.

1168. *Porrò, ut* ibidem Costerus addit, *quàm turpiter Gratianopolitanę Ecclesiæ Ministri Andreę Callij filia, illud Christi Matt. 15. 11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ad facinoris sui excusationem interpretata sit; nimis inhonestum foret commemorare. Qua tamen sacrilega explicatione potuit os parentis obstruere: eumq́; reddere pacatiorem. Cujusmodi quidem commenta, quotidie vulgò ab impura hominum fęce excogitantur, posteaquam semel unicuique patefacta est fenestra, suo arbitratu scripturas interpretandi,* ut l. c. Costerus, aliiq; observarunt.

PROPOSITIO. XVI.

Prava Prædicantum, populiq; Prædicantici, quà doctrinæ quà vitæ exempla, in Catholicos quoq́; redundant.

1169. VTinam id res ipsa minus, quàm Verba scriptioq́; loquerentur! Quod enim, vel sanctissimum Ecclesiasticæ disciplinę Frænum, populum, ac plebem

plebem, naturâ scelus aut sceleris licentiam anhelantem, satis arceat? Quin, an non ad istarum ortum sectarum, ipsi Sacerdotes, (cùm sive Religiosorum, sive sacerdotum aliorum ad seculum, seculiq; & carnis illecebras apostatantium, quotidiana prę oculis haberent exempla) iisdem unà rapi se senserunt, adeoq; plurimi in præceps rapti sunt? An non illa, satis alioqui lata ad perditionẽ via, cùm perpetuis doctrinæ Nöevangelicæ & Nöevangelicorum exemplis in dies sterneretur, facile atq; expeditum in prçceps euntibus præbuit iter? Atq; utinam hodieq; tũ plerniq; de plebe, tum de clero non præbeat! Lacrymis potius, ista Ecclesiæ generisq; humani calamitas, quàm atramento notanda venit.

1170. Et adhuc, ô Prædicantes, quotidianis tum populi, tum Cleri Catholici vitiis, insultatis? Cùm & illa, & ista non minimum à vobis acceperint, atq; etiamnum accipiant, incrementum? Vos, ad hanc messem, non postremam facitis sementem; præsertim sicubi *dormiunt* pro speculâ Ecclesiasticâ positi *homines*. Tunc enim per se, perq; emissarios suos fraterculos utiq; vestros, *venit inimicus homo & superseminat zizania.* Matt. 13. 25: Quæ, quantumcunq; adnitentibus fidis Ecclesię servis, si eradicari hoc potissimum ævo, non omnia possunt, fieri id tum sapientissimâ Patris familias providentiâ, tum magno etiam tritici, & alterius boni seminis commodo, manifestum est.

1171. Quantum porro Lutherus ipse, mali istius seminis in Ecclesię fundo sparserit, fatebitur ipse, dũmodo citra indignationem audiri possit. Tom. 4. Vittemb. germ. pag. 378. *Hactenus ego* inquit *scribendo nimis multos atq; etiam nimis fortes* vid. inter Catholicos, *reddidi Lutheranos! Qui profectò magis, & melius quam ego ipse, Lutherani sunt.* Quæso, quo tandem pacto illi, & Catholici simul, & Lutherani sunt? *Eo,* inquit *ipso,*

quia publicè didicerunt, Horas suas canonicas omittere, habent conscientias fortes, vel potius duras &c.

1172 Quàm Vellem Lutherani, cęteriq; quamvis jam degeneres, Lutheri posteri, hinc discant; quid tandem sit Lutheranum esse, ac se in suo speculo contemplentur! Lutheranum enim esse, vel Luthero ipso definiente, nihil aliud est, nisi statutas preces & cultum DEo debitum, proculcare ac negligere: conscientiam fortem & in malo obfirmatam habere, vel, ut S. Stephanus Act. 7. 51 Judæis, prædicantum majoribus, dicebat, *Dura cervice esse*; vel, ut Hieron. apud Aug. Ep. 26. *Ne quidem fracta cervice inclinari &c. &c:*

1173 Estne preterea aliquid, quod nostros quoq; homines Lutheranos reddat? Est, innatus vid. omnibus sectariis, Supremi & à Deo ordinati Magistratûs, potissimum verò Summi Pontificis contemptus. Sic enim ille pergit. *Lutherus illis, quantumvis invitis & ingratis, factus est Papa; quia ab illo didicerunt tanti facere Papam, quanti ipsi velint. In hoc enim penitus, & admodũ Lutherani jam sunt* Igitur ubi quis Deum Deiq; cultum abjecerit, voluntatem in malo obfirmarit, & magistratum potestatemq; à DEo ordinatam proculcarit, rite jam, ac germanè Lùtheranus est.

1174. Sed uti ceteris in rebus, sui sunt perfectionis gradus, ita in Lutheranismo. Qui enim *vult perfectus esse, vadat &*, non jam ut ille Matt. 19. v. 21. *vendat, quę habet, & det pauperibus, &c.* Sed potius ex adverso, quæ à piis olim, DEi causa vendita, vel relicta, vel etiam Ecclesiæ, pauperibusuè data sũt, impie, avare, adeoque sacrilegè ad se rapiat. Id enim demum est, quo Lutherus plerosq; etiam Principes, qui alioqui dogma Lutheri non recepissent, l. c. gnaviter Lutheranos factos memorat: Quia nempe, quemadmodum avarè cupiebant, approbante cum cæteris prædicantibus Luthero, sacrilegè Templa & fundos Ecclesiasticos expilare poterant

1175. Sed & in Symposiacis suis cap. 38. pag. 408. à Regum Angliæ, Galliæq; exemplis, Lutheranos & Lutheranismum suum, si non furtis, saltem prædis aut rapinis definit. *Rex Angliæ*, inquit ille, *uti & Galliæ, sunt Lutherani in accipiendo, sed non in dando. Quærunt quæ sua sunt, non quæ Dei* Viderint Lutherani, aliiq; in omni sectarum factione, Lutheri posteri; quo jure, vel urbanitate, à suo parente, impactam tantis Regibus tum Lutheranorum appellationem, tum appellationis causas tam inhonestas, tueri possint, nisi prorsus malint utrumque amoliri.

1176. Ego interim, quæ Lutherus, de Catholicis jam tum, ad sua fratrumq; suorumq; exempla, per præceps defluentibus usurpavit, usurpari hodie posse video. Quid enim? An pauci etiam in Clero Catholico, præsertim si Prædicantes aut Prædicantum greges, in vicino alicubi stabulentur. & pudoris, & conscientiæ naufragium faciunt? eâ potissimum de causâ, quod vel illis Lutheri Prędicantumq, aphorismis, vel etiam exemplis, animo etiamnum repugnante ac prope nauseante, ad audendum concipiendumq; facinus, sensim erudiantur? Vel eruditi jam, ad pariendum patrandumq;, quod conceperant, excitentur? Vel cùm patrarint, effusiq; adeo habenis per istud voluptatum cęnum ferri deinceps velint, parato apud Prædicantes asylo se solentur?

1177. Ausit aliquis Prædicantum isthæc negare, quæ oculis spectant indies universi! Nunquid enim pauci, vbi aliquandiu in eo volutari cæno, impendentem justi supplicij nubem ac tempestatem declinare nusquam possunt, ad illud Prædicantum asylum sese recipiunt? ac recepti, quasi de aliquâ virtutum palæstra victores, etiam coronantur? Hęc sanè istiusmodi sunt, ut si vel barbarus, etiam de Thracia Scythiavè hostis, rem æquis oculis respiciat, attonitus exlamet: *O tempora! O mores!*

1178. Interim tamen Prædicantes, tum de natis, tum de receptis apud se flagitiis, (quid enim de nobis triumphent, si Corpus Ecclesię, resectis illis sive vomicis, sive carcinomatis, purgari, & ad sanitatem decoremq; pristinum reverti incipit?) triumphum intra Sinum sibi canunt! Non est, mihi credite; non est triumpho opus, ô boni Prędicantes; si vel Reihingi, cum suis Laqueis; vel Francisci Albani, cum *suis Anatomiis*; vel alij ejusdem furfuris, cum tropæis, nescio quibus, ad vos pervolitent Quin, si Viri estis, obserate atque adeo obstruite asylum istud! Spondeo, perinde apud nos (non modò in Clero, verùm & in populo) flagitiorum, uti apud vos apostatarum minus fore. Asylиæ vestræ, utriusq; nostrûm pernicies sunt.

PROPOSITIO XVII.

Prædicantes, ac ferè etiam S. P. Q. Prædicantius, vix aliâ quàm Vbiquitatis Bullingerianæ causâ, factionem suam, & prætensam Ecclesiæ reformationem semel agressi, semper fovent.

1179. DOcuit id, cap. 6 Apologię suæ Andreas Wargocius; qui, post enumeratos præcipuos novi isti⁹ Evangelij buccinatores, quos vix aliunde, quàm de conscelleratissimis religiosorum ordinum desertoribus lectos dicit, tandem è Rescio memorat Anno 1536. Synodum Zvinglianorum Bernæ apud Helvetios actam, in qua fuerint ducenti nonaginta sex Ministelli, omnes ferè ab aliquo Ordine religioso Apostatæ. Deniq; subjungit, Ne, quęso, *crediderіs, eos studio Veritatis extra Monasteria actos; aut, quod integrè vivere nobiscum haud possent, à nobis digressos. Libido & vitæ licentia, quę in omnibus se spectandam exhibet, discessionis causa fuit &c.* Moneo

quocir-

quocirca, ut fraude hac agnita, fraudis architectos aversere; arboremq; ex fructu satis jam notam, caveas; & lupos à voce sua non ignotos fugias, nisi secus perire malis.

1180. Consonant hæc iis, quę de veterum quoq; sectariorum vita, Cyprianus lib. de Unitate Eccles & August. lib. de vera Relig. c. 8 prodidere *Nemo existimet*, inquit Cyprianus, *bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam, procella subvertit Inanes paleę tempestate jactantur; invalidę arbores, turbinis incursione evertuntur &c: &c.* Ad quem locum Jungius lib. 2 cap. 14. merito subjungit. *Quid mirum, si ventri pabuloq; dediti, à certis jejuniis ad perpetuam ingluviem; Si incontinentes a voto castitatis, ad monacharum conjugia id est approbata adulteria; si otiosi ac desides, ad solam fidem &c se transferant, & disciplinam laxiorem, carniq; blandientem complectantur, ubi, quod volunt, credant; quod nolunt reiiciant.*

1181 Jam verò lib 3. cap. 20. pag. 415. ex ipsa flagitiorum multitudine, & peccandi licencia, quasi à posteriori, colligit Prædicantes, suo cum Evangelio nil intendisse aliud, nisi eam, quâ de agimus, Vbiquitatem Bullingerianam. Et, quid ni id colligat, cùm *Paucorum*, ut ibi juxta prop. 11 nostram ait, *Evangelicorum Prędicantum*, & quidem *conjugatorum, idq; in ipso Evangelij flore*, cùm imbecilliores ad flagitia vires essent, *multò fuerint plura ac fędiora adulteria, aliaq, scelera, quàm ullę possint Cleri Catholici, in tam augusto terrarum orbe scortationes reperiri: ut verissimè Brentius de his suis fratribus in* 20. *Luc hom.* 36, *dixerit, Impurissimam & profanissimam illam vitam, quam maxima pars hominum sectatur, perspicuè indicare, quod non sentiant esse Vitam post hanc.* Declarat hęc Jungius exemplis. prop. seq. citandis.

1182 Quid, si Prædicantibus, uti non deest voluntas, ita quemadmodum prop. 10. n. 1094. advertimus, non deesset major peccandi facultas? *Non sane dubium est*, inquit ibidem Jungius, *si Ministri has facultates,*

quas Episcopi nostri, *essent adepti, & aliquantulum plus dominationis, quam nunc habent, quin multo turpiora commissuri videantur.* Sed nimirum evenit iis, quod apud Horatium, Equo.

Cervus equum pugna melior, communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis frænumq; recepit.
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frænum depulit ore.

Itaque uti Clero Catholico cum Cervo, per sacrilegam Ecclesiarum, Monasteriorum, imo provinciarum integrarum à sectariis occupationem, aliqua pars pascuorum communium quondam decessit; ita Prędicantibus, ceu Equo ferocienti, vel potius, juxta Jerem: 7. 8. *amatori & ad uxorem proximi hinnienti*, non modò Eques dorso, in Magistratu civili; Verum & ore, in curis rei uxoriæ ac familiaris, paupertati sæpe mixtæ, frenum accessit; ut, sicubi, certe hic locus sit illi dicto χίος δεσπότlω ὠνήσατο *Chius Dominum mercatus est.*

1183 Quid, si etiam, ut alicubi, ita *Magistri* isti, Vbiq; secundum 2. Tim, 4, 3. nacti fuissent, auditorem, vel populum *prurientem auribus*? Erant illi quidem multis, præsertim Germaniæ, Anglię, Galliæq; locis, ut vulgo dicitur, *Vnguis in scabie*: sed, divinâ utiq; providentiâ extremam Ecclesiæ calamitatem avertente, nō Vbiq; vel eandem scabiem, vel in scabię pruritum invenerunt. Verè Pruritus dici potuit, illa provinciarum lues. Nam *sicut jucundum est*, inquit Plato in Philebo, *scabiem scabere, at postea tetros ciet odores & dolores; ita vitiorum*, præsertim hæreseos *voluptas, gustu grata est, postea verò multum habet fellis & aloes.* Nunquid hoc hodieq; loquitur præsens Germaniæ, quæ illo pruritu primùm laboravit, calamitas?

1184. Pruritum hunc, more suo, graviter lib. 1. pa-

ræn. c. 3. ita depinxit Barclajus, *Lutherus huic pesti initium dedit, per Principum aliquot amicitiam fidentius scelera ausus. Populus, non authoris primùm amore, sed suorum Principum qui Luthero favebant, illam causam amplexus; mox deinde in hæreseos partes, sua sponte efferbuit: Legum amore ac studio, quas in effrenem licentiam,* quæ ad Bullingerianam Vbiquitatem via est, *iste ferebat.* Ferebat sanè iste leges, non jam sanguine, ut erant quondam Draconis, sed lacte aut melle scriptas. *Nam ut olim Montanus, Manichæus, & alij plures, inter severos Christianorum mores, ex nimia severitate hæreses instituerunt; ita iste, ad Desidis seculi genium, multaq́;, ac plerumq; indocta quiete marcentis, licentiæ sectam efformans, multorum vitiis atq; plausu exceptus est, Nihil mirum veterno corruptos in diversis regionibus homines, tam consonam suo genio legem amplexos. Et verò, si Confessionem auricularem non damnasset; nisi in Quadragesimale jejunium esset invectus; solvisset continentiæ vota; opera meritoria derisisset; certam salutem promisisset inter peccata viventibus, unquam tanto successu, & propè torrente funestæ victoriæ, tot terras inundasset?*

PROPOSITIO. XVIII.

Imprudenter, adeoq́; impudenter & iniquè faciunt Prædicantes; qui vel Cleri populique Catholici vitia, apud suos, pro more, exagitant; vel, à moribus Catholicorum, Doctrinam Catholicam, in invidiam apud suos vocant.

1185. QUid enim impudentius, quàm (contra divinæ politices aphorismum Matt. 7.3 Luc. 6.4) *Videre festucam in oculo fratris sui, & trabem in oculo suo non videre?* Vel mores fratris, semetipso neglecto, fingere ac formare, adeoq; fratri in os dicere, *sine ejiciam festucam de oculo tuo*; & interim in oculo suo *Trabem* & Tignum

Tignum ingens *circumferre*? Quid, inquam, hominum sanorum judicio magis insanum; quàm, cùm ipse scateas ulceribus, verrucas alterius castigare? *Loquitur enim* (ut ad cit. Matt. locum Hieronymus apud Pitseum observat) *de iis Dominus, qui, cum ipsi mortali crimini teneantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt; culicem liquantes, & camelum glutientes.* Qui verò ij soleant esse, non omisit idem Tract. de Purgatorio apud eundem notare. *Sunt,* inquit, *hæretici; de quibus Apostolus, Erunt homines sui amantes. Trabs in oculo superbia mentis est, quæ veritatem obumbrat sua tumida corpulentiâ; quæ dum mentis oculum occupat, facit, ut te videre, qualis es, non possis.*

1186. Benè ad hunc locum Juvencus, Poëta Christianus.

Diripias proprio fallax de lumine Tignum;
Tunc minimam alterius curabis demere aristam.

Nec male alius Poëta, quantùvis gentilis Juvenal. *Sat 2.*

Loripedem rectus derideat Æthiopem albus,
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cælum terris non misceat, & mare cælo?
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni:
Clodius accuset Mæchos? Catilina Cethegos?
In tabulam Syllæ, si dicant discipuli tres?

1187. Melius tamen, opinor, Socrates è suo carcere apud Senecam lib. de vita beata cap. 27 differens, nô tam concives suos, quàm Prædicantes nostros, Prædicantiumq; Trossulos ita alloquitur. *Vobis autem vacat aliena scrutari mala, & sententiam ferre de quoquam? Quare hic philosophus,* vel Episcopus, vel alius de Clero Prælatus, *laxius habitat? Quare hic lautius cænat? Papulas observatis alienas, ipsi obsiti plurimis ulceribus? Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum nævos aut verrucas derideat, quem fera scabies depascitur.*

1188.

1188. Jam verò, quid itidem imprudentius, quàm vel flagitiis, quæ accusant, certare, adeóq́; certando, uti prop: 11. & 16. vidimus, palmam ferre? vel, dum nos accusant, semetipsos jure potiore damnare? *Objicitis Platoni*, ut cum Socrate l. c. loquar, *quod petierit pecuniam! Aristoteli quòd acceperit: Democrito quod neglexerit: Epicuro, quod consumpserit, O vos maximè felices, cùm primum vobis imitari vitia nostra contigerit!*

1189. Ita nimirum mundi estis, ò boni cum alienis sordibus vestras eluitis! Ita innoxij, cum vitio novum sceleribus vestra roboratis! Ita integri, cum ad vestra ulcera saniem alienam cumulatis. *Quin potius*, ut ibidem Socrates monet, *mala vestra circumspicitis quæ vos ab omni parte confodiunt! alia grassantia extrinsecus, alia in visceribus ipsis ardentia!*

1190 Quid, si ad istàm imprudentiam, ut plerumque fieri amat, cœcitâs, illa potissimum, quæ malitiam sequitur, accedat? Quid si, inquam, perinde videant in nobis, quæ non sunt; uti non vident in se, quæ sunt? Quàm enim sæpe, *sua nos decempeda metiuntur?* Quoties eam nobis scabiem, quâ obsiti scatent, affricare nituntur? Ad morem videlicet gentilium veterum: qui, quæ domi suæ vitia messuerant, innocenti Ecclesiæ Christianæ agro adserere conabantur. Quibus graviter Septimius Tertul. Apolog. cap. 9 *Hæc in vobis*, inquit, *si consideraretis, proinde in Christianis non esse perspiceretis. Iidem oculi renunciassent, utrumque. Sed cæcitatis duæ species facilè concurrunt, ut qui non vident, quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt*

1191 Et tamen ausint etiamnum Prædicantes, inter alia, contra Ecclesiam Doctrinamq́; Catholicam, criminationum capita, etiam mores populi, ac præsertim Cleri Catholici, apud suos jactare? Ita nimirum isti, secundùm Juvenal. l. c.

Casti-

— — — *Castigant turpia, cum sint*
Inter Socraticos non ultima fossa Cynædos &c.

Quantò rectius, illud ab eodem I. C. scriptum adverterent, & sibi usurparent.

Nonne igitur jure, ac merito, vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, & castigata remordent?

1192. Quâ enim aliâ de causâ deridiculo suis plerumq; sunt, cùm in vitia Philippicas suas eboant; nisi *quia Vitia ultima fictos contemnunt Scauros &c*? Scauri enim isti sunt, qui, quam doctrinâ, exemploque suò vitiorum sementem fecerunt, nudo verbo sublatam nequidquam exstirpatamq; volunt. De quibus ibidem Poeta,

Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse
Dat veniam. Sed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt &c.

1193. Neque minus argutè vetus ille de Phrygiâ mythologus, Cancri exemplo de iisdem lusit. Suadent equidem isti suboli, stirpi, generique suo; ut, ad aliarum morem animantum, non iam retro, sed præ se gradum faciant. Sed frustra. Respondetur enim cujvis, solenne illud, *I præ, sequar*. Quia verò ipsi ad vitium ubique præeunt, quid mirum, si vel invitos, ac verbo quantum possunt, obluctantes, presso ubique vestigio, sui consequantur?

1194. Nisi fortè suos ad sua vitia cœcos, ad nostra verò putent duntaxat lynceos esse. Incurrunt profectò in omnium oculos tum gravitate fæditateq; sua; tum verò etiam multitudine; ut meritò Iungius lib. 3. cap. 20. pag. 415. scripserit: *si res exemplis illustranda esset, quantâ ego, flagitiorum ac turpitudinum vestrarum, silvam ingrederer*? Satis nobis vasta, prop. 7. 8, & seqq. exemplorū fædissimorum silva spectata! An est, quod insuper *Iungius*, ad Polonicorum præcipuè gloriam Prædicantum adjiciat?

1195. Eſt profectò, & quidem plus juſto. Profeſtat pauca de multis. *Novi ego*, inquit ille, *decimoquarto à Poſnania milliario, Miniſtrum Lutheranum vxorium, qui ob publica adulteria, & violentas, noctu præſertim foribus effractis, in domos civium irruptiones, ab eius oppidi Dño, ampliſſimo Regni Senatore, ad pœnam capitis, ſi abſq; tumultu oppidanorum capi potuiſſet, erat deſignatus.* Strenuum in caſtris Veneris militem oportuit, ac veteranum fuiſſe, qui & ariete, & cæteris armis tantùm valuerit!

1196. Didicerat nempè aliquid eius artis, etiam à præceſſore ſuo; quanquam maiore fortaſſè is in futurum ſuo ſuorumq; malo, minus artis illius, operæq; precium fecerit. Nam ut l, c. Iungius, *Alter iſtius deceſſor, ob publica latrocinia*, (ut videlicet illud Divinum, tantò etiã magis locum haberet, *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille Fur eſt, & Latro* Ioan 10.1) *aliquot ab eodem oppido milliaribus, quatuor eſt in partes ſectus.*

1197. Quid verò præmij debetur alteri illi, cujus tantò eſt fædius crimen, quantò etiam publico cæterorũ Prædicantum calculo & plauſu probatum? Audi enim eundem. *Novi alium, qui priori vxori dato repudij libello, illa adhuc ſuperſtite, ad alteras nuptias (verius ad publicum ſub obtentu matrimonij adulterium) vobis eius Symmyſtis applaudentibus, & factum approbantibus, convolavit.* Et quid illi, vel iſtis, mi Adriane, facias?

1198. Dices, aliam à Chriſto, aliam ab Evangelio latam legem! *Aliter certè Evangelium*, Luc. 17. 18. *Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mæchatur.* Ità quidem Chriſtus; ità Evangelium Chriſti! neque ſecus Anticyræ noſtræ n 306. ſanxere. Sed quid tamẽ Prędicantibus facias? Habent enim illi Evangelium ſuum; habent & Evangelicos Canones ſuos; è quibus primus, & præcipuus, ac ferè unicus ille eſt, *Quodcunquè libet, Prædicantibus, & S. P. Q. Prædicantico facere licet.* Hàc unâ-

unâ Lege, ubiq; præ oculis fixa, cæterà exleges sunt.

1199. Et dubitamus, novo isto Prædicantum Evägelio non modò admissam, sed ultrò etiam quæsitam in Christiano orbe, maledictam illam, & quam, vel Cataclysmus alius, vel supremum illud incendium manet, Vbiquitatem Bullingerianam? Et sustinem⁹ adhuc Prædicantes, pop. Catholici vitia, quæ Evangelij, & exempli sui face accenderunt, impudenter subsannantes?

1200. Non sannis, ô boni, sed lacrymis opus est. Lacrymis enimuerò, non sannis, publicum istud vitiorum incendium, quo Christianus Orbis deflagrat, restinguendū est. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Ier. 9. 1.* Æquius enimuerò est, vel cum Jeremia fontes lacrymarum elicere; vel, ut minimum cum Bellarmino, *Gemitus columbæ*, ciere? quàm scriptis Eristicis, (à quibus UBIQUE volitantibus, novam VBIQVITATEM, quam lubet CADMÆAM vocare, dolor prosequi vetat) & solitâ styli acerbitate, quâ si quid Christianæ suspereſt caritatis, lancinatur & configitur, vulnera vulneribus augere. Ad hęc nos, proh dolor! certamina, vel potius mutuam lanienam, ex provocatione, adegistis! Quàm è diverso vellemus, ad mutuam vos caritatem adigi! Ecce! veniunt ad vos, toto, quà, latè patet, Poloniæ Regno, Legati pacis! & cum suo, tū Serenissimi, Augustissimiq; Regis VLADISLAI IV. & totius Ecclesiæ Catholicæ, ejusdemq; Pastorum ac Præsulum nomine, illud 2. Cor. 5. 20. non sine mixtis gaudio lacrymis, inclamant. *Obsecramus* PRO CHRISTO, RECONCILIAMINI DEO. Quibus ego votum meum iterato jungo, & coram DEO supplex, ad vos pronuncio; UT RECOCILIEMINI DEO, RECONCILIAMINI ECCLESIÆ!

INDEX.

INDEX

Iuxta numeros Paginis ubiquè insertos.

acta

INDEX

Pol.

INDEX. D.

Cervo

1030

INDEX I.

§ § 4 *exempla,*

seq:

I N D E X. L.

Men-

&

INDEX N.

Oculi

seq

tholicis

1001.

INDEX. P.

doctrinæ

Prussia

Nic.

S. Thomas